WIMBP
Opole

II

30 st.

5h2
Croll
Basil

542:61

Akc VI 311/34 62/C



Cum Gratia et Priuilegio S. Cæs. Maiest:
Francofurti, Impensis Godefridi Tampachij

Ad Illustriß. & Sapientiß. ANHALTINUM
PRINCIPEM

CHRISTIANUM,

COMITEM ASCANIÆ, DYNASTEN Servestæ, ac Bernburgi Dominum, & Patronum suum clementissimum,

OSUALDI CROLLII Epistola Dedicatoria.

INdaganti mihi toto mentis conamine, Illustrißime, omniq; laude dignißime PRINCEPS CHRISTIANE, FAMILIÆ ANHALTINÆ *summum Decus, num nostris istis deploratißimis Temporibus, in quibus nil fere à petulantißima Invidæ Linguæ Maledicentia tutum esse solet, hanc meam* BASILICAM CHYMICAM, *variis ac diuturnis peregrinationibus, laboribus & vigiliis indefessis, sumptibus haud exiguis, longa deniq; observatione ac meditato studio congestam ac ante aliquot annos conscriptã, in Lucem emitterem, ancepsq; Iudiciorum pelagus subirem: Occurrerũt in ancipitis iudicii bivio hæsitanti impedimenta varia. Qui enim ratione*

WIMB
Duke

Perscrutamini Scripturam & Naturam, in qua Dei Miracula occultata sunt.

...ius se totos, hac nostra infelicissima ætate, ad Veræ Sapientiæ studia convertunt, & relictis Vanitatib. Ethnicis, spretisq; Scholasticarum sterra arena. fundatarum opinionum, errorumq; labyrinthis ...eins ...ps in abstrusis Naturæ Mysteriis diligenti investigatione inquirēdis, ...demq; labore sagaci omnia vivente in lucem eruendis suam feliciter ...uint impendere operam: et si opus arduum, magnum & laudabile susceperunt, diuersa tamen multorum hominum, & sæpe sine ullo suo merito iniquissima solent superborum experiri judicia. Tanta est enim ferrei, & à virtute alienissimi huius ævi nostri Malitiæ plenitudo, ut cuilibet integrum sit suam infantiam, nequitiam, & improbæ mentis arrogantiam mundo prodere, aliorum laudatos labores carpendo, ita ut fere nil per rabularum livorē intactum maneat. Dum enim alter alteri felicitatem ingenii invidet, fit, ut quem quis imitari non possit, eūdem odisse incipiat: Ignavi insuper homines mundanis irretiti illecebris, aut divitiarum cupiditate flagrantes, eos contemnere solent, quos virtute præstare, usumq; fructum Talenti sibi concrediti ad DEI Laudem & gloriā cum proximo suo egeno cōmunem habere animadvertunt. Postpositis tamen his remoris omnibus, vicit me tandem non Privatum sed PUBLICUM Commodum, non Astrale & Ambitiosum scripturiendi, sed Veritatis Chymicæ ab Impostorum larvis repurgandæ & manifestandæ studium: Animus inprimis bene de omnibus liberalibus ac Philosophicis Reipub. Spagyricæ, tā præsentis quā posteri sæculi Ingeniis merendi cupidissimus: Non ignorans Homines (post celebrationē ac Honorem Creatoris) Hominum gratia procreatos, ut mutuis inter se studiis & amicitiæ officiis societatem colant, aliiq; aliis (siquidem homo homini Deus) in Timore Altissimi succurrere ac prodesse, tum possint, tum Charitatis Christianæ vinculo iure etiam teneantur. Prodeat ergo fœtus ille, Nutu DEI, feliciter sub auspiciis

Donorum dissimilitudo non fixatur inter bonos.

1. Petr 4. sect. 10.

...RE & NOMINE CHRISTIANI CIPIS: qui singulari sua Munificentia hujus in lucem editionis ... expeditumq; mihi laborem fecit: Quo nomine tota etiam Respub. Medica & Spagyrica, omnem inde provenientem utilitatem, excerptumque fructum, mèrito post Deum Immortalem Celsitudinis ipsius Liberalitati, mecum acceptam feret: Et sic ad perpetuam Nominis eius Memoriam & Honorem illo fruentur etiam Nationes Exteræ. Alij autem Magistantes, sibi inde Exemplum capient, ut iisdem facultatum irritamentis & calcaribus multorum ingenuorum fortunæ indignatione dejectorum, humiq; jacentium animos erigant, & quia Virtutis amantissimi Virtuti deditis libenter præsto sunt, sua benignitate, favore, ac munificentia pristinam Principum Humanitatem imitati, viris dignis egestatis onere pressis, ac commoditati publicæ consulere capientibus, & valētibus, clementer succurrant.

Principis est studium Sapientiæ promovere, ac Naturæ & Artis secreta indagare.

Cum autem multis abhinc sæculis, Inclyte Princeps, consuetudine diuturna sit receptum, ut libri Novi Viris Principibus (quos omnium maxime, mysteria maxima nosse, & his donari præ aliis decet) consecrentur, quo illorum patrocinio & favore ceu Minervæ ægide muniti, ab iniuria Invidorum Calumniantium (prout est immundi hujus mundi, ubi sæpe alter in alterius livet & grassatur ingenium, corrupta consuetudo) eo magis vindicentur: non dubitavi hos meos labores, & hoc vigiliarū mearum munus Tuarum Virtutum meritis ascriptum, Illustrissimæ Celsitudini T. offerre, eamq; huic Mæcenatem & Patronum diligere, ut si improbi quidam Sophistæ, crassa livoris & calumniandi insania illud arrodere velint, ipsum jam Tuum factum discretionis perspicacia, ac judicij candore feliciter protegas atq; defendas, siquidem Antiquissimorū Regum, Principum, & Sophorum Exemplo laudatissimo, inter paucos hac

Qui insuper artium maximarum rerumque secretißimarum cognitione excelleret & abundaret, sicuti cum admiratione fatentur etiam literatißimi Viri, qui Celsit. eius familiariter norunt. Et cuius ceu Armaæ Palladis admirandas & Heriocas virtutes, iuxta invictam animi magnitudinem in Expeditione Gallicana prope Rotomagum patefactam, qui oculata fide diligenter atque accuratius perspexissent præsentes, nunquam satis ob dictionis inopiam pro merito laudare possent.

Quamuis autem longe pretiosori munere dignus sis, Tuaque Virtus maiora mereatur, Optime Princeps, tamen hoc exiguum Clientis literarium munusculum (submissæ meæ erga se observantiæ & gratitudinis debitæ monumentū) Celsſ. Tua serena fronte in præsetia accipere non dedignabitur: Et cum hactenus fortuna non obtulerit melius, illudinterea singulari suæ innata Clementia, animo donantis æstimabit. Vale felicißime, Principum omnium nostri seculi Decus singulare, & Thesaurum Luminis Gratiæ & Naturæ in agro Cordis repositum diligentißima & piißima indagine, petendo, quærendo ac pulsando eruere perge ad Sacrosanctæ TRIVNITATIS Ineffabilis Bonitatem, Sapientiam & Potentiam agnoscendam, suspiciendam, atque celebrandam, donec Tenebricoso Quaternarii Puncto superfluo amandato, & adepto Purificati Ternarij Puncto copulatiuo ad Monadis simplicitatem reducto, post sufficientem Supercœlestium Virtutum, Metaphysicarumque Influentiarum speculationem & comprehensionem, tandem peracta statione fiamus denuo Beata Immutabilique. Quiete VNVM in ipso VNO, in quo omnia sunt VNVM: Huic Vni & Soli omnis Laus, Honor, Virtus & Gloria, ab omni semper exhibeatur decanteturque Creatura, Amen Pragæ Anno 1608. è Musæo.

Ternarius sacer per Binarium in Vnitatem omnis consummatæ Perfectionis autorem reducendus est. Ioh 17. sect. 11. 21 22. 23. 1. Cor. 6. Pſ. 145. sect. 21. 150. sect. 6. 148.

[illegible] ſpectate ſere præcipuus
[illegible] teritatemque Mentis largitus eſt, vt [illegible]
& examine recto expendere ſciat; Et de quo ſibi merito gaudere & gratulari poteſt, quod cognito Summo TRIVNO BONO, DIVINO ſcilicet, MACRO- ET MICROCOSMICO, DEI vt pote, LVMINIS NATVRÆ & SVI IPSIVS, in reconditiſſimis illis Scientiis, quibus in Sublunari mundo non ſanctiores, non præſtantiores aliæ nullæ, Cabalæ videlicet Magiæ, & VVoarchadumiæ. (æternæ cœleſtis noſtri Patris SAPIENTIÆ, ſolius Veræ, pediſſequis caſtiſſimis) ſingulari Diuinæ Prouidentiæ Benignitate, Celſitudo Tua poſſit ſuum Nomen profiteri: & iuxta prudentißima Reipubl. Gubernacula & ſceptra feliciſſima, etiam Philoſophorum ac Sophorum ſtupenda cumulate addiſcere myſteria. Quæ Fortunata Beatitudo è ſexcentis Proceribus vix vni: è Reipublicæ Literariæ anteſignanis ne milleſimo contingere ſolet. Quapropter ſera poſteritas, iure aliquando mirari poterit, quod Venerandæ Antiquitatis veſtigia, etiam noſtro hoc caliginoſo ſæculo in magni illius Oſanis, Oſiridis & TER Maximi HERMETIS nepotibus & genuinis heredibus deprehenſa & conſpecta fuerint, qui videlicet difficilimos rerum abſtruſarum aditus intueri, ſcrutari, contemplari, diſcernere & diiudicare valuerint. Sed ne multa verba, forte non ſatis apto loco profundam, intra propoſiti cancellos me recipio. Talem igitur iure optimo Patronum & Principem eligere conueniebat, qui vt modo dictum per ſe poſſet curvum diſcernere recto: qui oculis videret propriis, auribus non audiret alterius, nec ore loqueretur alieno · Et cui non auderent maligni Homines dicere

Candida de nigris, & de candentibus atra:

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

RVDOLPHVS *Secundus diuina fauente clemẽtia Electus Romanorum Imperator semper Augustus ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Virtembergæ, &c. Comes Tirolis &c. Agnoscimus & vigore præsentium notum facimus omnibus & singulis, quod cum noster & Sacri Imp. fidelis dilectus Osualdus Crollius Illustr. Christiani principis Anhaltini, Comitis Ascaniæ, & Domini in Bernburg, Consanguinei & Principis nostri clarissimi Medicus Ordinarius nobis humiliter exposuerit, longo se studio laboribusq; & sumptibus immensis in gratiam vtilitatis publicæ Basilicam Chymicam, præstantissimis Chymicorum Remediorũ formulis refertam, partim ex monumentis Paracelsi & conuersatione eruditorum Virorũ, partim si experientiæ suæ ipsius documentis congestam & ordine methodoq; certa in corpus redactam, typis in lucem edere statuisse. Vereri autem ne quod fieri solet, alii quæstui inhiantes eandem Basilicam Chymicam sibi aut Typographo suo in fraudem edant, ac proinde nos rogarit, ut Priuilegio nostro suæ consulere indemnitati dignaremur. Nos sane pro benigna nostra in præfatum Osualdum Crollium, cuius ipsi opera usi fuimus, animi inclinatione, & in bonarũ artium ac disciplinarum studia affectione, humilibus eiusdem precibus deesse noluimus. Quamobrem authoritate nostra Cæsarea omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis & aliis quibuscũq; librariã negotiationem exercentibus serio inhibemus & vetamus, ne quis prædictã Osualdi Crollij Basilicam Chymicam, verũ etiam alios libros Chymico Medicos imposterum ab ipso edendos per decem annorum spatiũ à prima cuiusq; editionis die cõputandum intra Sacri Rom Imp. Regnorumq; & Dominiorũ nostrorum hereditariorum fines simili aut alio quouis typo vel forma siue in toto siue in parte recudere aut alio recudenda dare, vel alibi etiam impressa adducere, vẽdere aut distrahere, clam aut palam citra voluntatẽ & consensum prænominati Osualdi Crollij & heredum eius præsumat. Si quis vero secus faciendo Priuilegium & interdictum hoc nostrum cæsareum spernere, negligere aut transgredi conatus fuerit, eum non solũ huiusmodi libris perperam quippe recusis & adductis (quos quidem antedictus Osualdus Crollius illusq; heredes & mandatarii vbicunque deprehensos siue propria authoritate vel Magistratus loci illius auxilio sibi vendicare poterunt) de facto priuandum, sed & pœna insuper decem marcharum auri puri fisco nostro Cæsareo fraudis vindici & sæpedicti Osualdi Crollii eiusve heredum vsibus ex æquo pẽdenda decernimus, omni spe veniæ sublata, mulctandum. Dummodo tamen istiusmodi libri nihil in se scandalosum Orthodoxæ Religioni Catholicæ, Sacriq; Rom. Imp. constitutionibus aduersum, vel bonis moribus contrarium siue in præfatione siue in textu contineant. Et iam dictus Osualdus Crollius terna vt minimum singulorum operum exemplaria propriis sumptib. quam primum ad Cancellariam nostram Imperialem transmiserit. Mandamus ergo vniuersis ac singulis nostris & Sa. Imp Regnorumq; & Dominiorum nostrorum hereditariorum subditis & fidelibus dilectis cuiuscunque status, gradus, Ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ existant, tam Ecclesiasticis quam secularibus, præsertim vero iis qui in magistratu constituti vel proprio vel superiorum suorum nomine & loco iuris & Iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam Priuilegium hoc nostrum Cæsareum temere & impune transgredi, violare aut spernere patiantur, quin potius contumaces, si quos comperierint, præscripta pœna plecti aliisq; idoneis modis coerceri curent. Quatenus & ipsi eandem mulctam euitare & grauissimam indignationem incurrere noluerint, Harum testimonio literarum manu nostra subscriptarum & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die secunda mens. Maii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo octauo, Regnorum nostrorum Rom trigesimo tertio, Hungarici trigesimo sexto, & Bohemici itidem trigesimo tertio. &c.*

RVDOLPHVS.

Ad Mandatum Sa. Cæs.
Maiest. proprium
Io. Barvitius.

Leop. à Stralendorff.

(:)(:) JOH.

IOH. HARTMANNUS, MED. D. ET CHYMIATRIÆ IN ACADEMIA MARPURGENSI Professor Ordinarius LECTORI S.

SAt scio, quisquis es, LECTOR HUMANISSIME, qui studiis Chymicis favere, ac propterea toti Rei Medicæ, hanc tot seculis desideratam accessionem gratulari uicè allaboras, mecũ optabis, hujus BASILICÆ CHYMICÆ AUTORI OSWALDO CROLLIO vita suppeditasset longior, quo præclara illa partim mente & manu, partim Stylo concepta & effecta opera MEDICO-CHYMICA perficere, & bono publico sincere & candide, sicut reuera cœpit, communicare potuisset. Haberemus, me hercule, non CHYMIAM modo sed vniuersam adeo nostrã MEDICINAM omnibus numeris absolutam perfectamque Verum quando aliter visũ est ei, in cuius manu arbitrioq; posita sunt omnia, voti nobis non licet esse prodigos sed potius decet esse gratos, eo, quod datum est Concessúq; diuino munere, frui, quam multis de fati celerioris iniquitate conqueri. Jamitaq; hac secunda Editione, non melius quidem, sed sua bonitate satis commendabile, attamen à mendis repurgatum da-

(:) (:) *mus*

mus tibi in Vſus tuos HOC OPVS CHYMICVM: quod ſerio: etiam ad Labores Publicos in hac Academia cum aliis innumeris revocandum, commendamus. Caterum à me nonnulla vel adjcienda vel clarius edenda qui optavit, fuit nõ nemo: nec ego curam illam & laborem reformidaſſem, niſi: in aliena domo, ut ajunt, curioſus, alieniq; operis Criticus audire voluiſſem. Quod ſupereſt igitur Praxi Medico-Chymica digniſſimum, neq; adhuc dum manifeſtæ luci expoſitum, id CHYMIATRIA mea (quam Deo benedicente, ſub auſpiciis Illuſtriſſimi Celſiſſimique PRINCIPIS AC DOMINI, Dn. MAVRITII HASSIÆ LANDGRAVII &c. Studiorum Chymicorũ Patroni, Principis & Mecœnatis mei benigniſſimi, iã ſub manibus habeo) *brevi, ſine verborum involucris ſincere & caſte expeditũ dabit. Tu interea,* LECTOR HVMANISSIME, *his Crollii Laboribus fruere: quos ſane ubi tibi profuiſſe perſpexeris, nomen ejuſdem & memoriam gratiſſima recordatione mecum celebrare perge. VIVE & VALE feliciter. Dabam Marpurg. Calend. Martij, Anno gratiæ. MDCXI.*

PAV-

PAVLI MELISSI FRANCI,

COMITIS PAL. ET EQU. AVR.

CIVIS ROMANI

ODE ALCAICA

AD OSVALDVM CROLLIVM,

Medicum excellentiſſ.

PLVRES per annos Galliam & Auſonas
CROLLI peragras, diſcere fervidus
Artes honeſtas, exteraſque
Jnſimul ore rotundiori
Sonare voces, quaque Machaonum
Requirit vſus laude celebrium
Callere, non ex more vulgi,
Aut leviter ſale ſive lympha,
Fictæve tincti corticis unguine:
Sed ex profeſſo ſcripta veterrima
Graium Latinorumque ad unguem
Noſcere, & egregium quid ultra
Tuopte Marte extrudere. Vividum
Natura neſcit acrior impetum

Celare, nec præstantior se
Ignículos cohibet sepultos
In corde Pallas. Novimus, in quibus
Versere flammis, eliciens aquas
Membris salutares vietis,
Balsameosque creans odores,
Et quicquid ægris expedit artubus.
Plus una prodest gutta tua (scio)
Stillationis, quam de tota
Vitra medentum aliorum & olla.
Quin una saltem plus pilula efficit
Pusilla, quam vel septem alia aut novem
Maiore compacta pugillo,
Ventriculo minus utiles, nec
Tam profuturas. Fallor, an inclitos
Quos aula honorat splendida Cæsaris,
Sollerter æquabis Galenos,
Hippocratemque Menecratemque,
Et AEsculapi Inumen, & obviis
Quicumque morbos tollere pharmacis
Norunt, & optatam medela
Pæonia dare sanitatem?
Experte raras Mulciberis face
Inventiones ac medicamina,

Divine

Divine CROLLI confer unum
Cuncta reperta breve in volumen,
Vt his fruantur, qui studij flagrant
Amore talis. Pro meritis quibus,
Fidem precabuntur, perennes
Incolumis maneas in annos,
Addens repertis plurima commoda,
Queis longiorem corporibus diem
Dones, amicorumq; vitam
Nestoreum revoces ad ævum.

AD OSUUALDUM CROLLIUM.

ADSPICE naturæ succorum propria, CROLLI.
Senserit herbarum cum distillatio flammam
Horas per certas, artis non insciа doctæ,
Salpetit ima, oleum medio nat, spiritus alte.
Hæc tria sic inclusa vitro distincta colore,
Singula quæ possis oculo internoscere claro.
Quis non aureoli PARACELSI dia reperta,
Ingeniumq; sagax, & mirum prædicet ignem,
Quo præeunte artes chymici didicere novellas,
Quo monstrante ægri curantur simplice gutta?
At te felicem quis non miretur, in usus
Humanos promus condus qui talia servas?

Anno CIↃ IↃ XCII. Haidelbergæ.

Melissus F. In Ba-

IN BASILICAM CHYMICAM CLARISSIMI & EXCELLENTISSIMI VIRI D. OSUALDI CROLLII MEDICI &c.

CROLLIVS Invidiæ quia sese audentius offert
Edendo medicis scripta probata sophis,
Tam virtute sua peragit monimenta perenni
Syncera præstat quam pietatis opus.
Sed quia grata Deo, affectisq; salubria membris
Exigit: æternum Phœbus Apollo mihi est.

Aliud.

O CROLLI decus, & medicæ Coryphaecaterua
Qualemcunq; etiam secula docta ferunt,
Spagyricas si quis sapit & discriminat artes
Proscriptis grates, quas tibi debet, agit.
Invida turba tonet, turgescant ilia fastu,
Laurigeros feriunt fulmina nulla sophos.

ELISABETHA IOANNA VVESTONIA ANGLA.

PRÆFATIO.
ADMONITORIA
AD LECTOREM CANDIDUM,

In quâ, juxta Medicinæ Chymicæ comprobatam præstantiam, & Hominis Microcosmi excellentem dignitatem, à pauciſſimis obſervatam, de utriuſq; Philoſophiæ, GRATIÆ ſcilicet & NATURÆ Myſteriis profundiſſimis ac reconditiſſimis agitur.

AUTHOR AD ZOILUM.

Invide, quid laceras Chymicorum Dia reperta?
Hæc bona ſi non ſunt, tu meliora doce.

AD PIUM ET CANDIDUM LECTOREM,
Chymicæ ac Philosophicæ Medicinæ studiosum,

OSUALDI CROLLII,

ILLUSTRISSIMI PRINCIPIS CHRISTIANI
ANHALTINI Medici,

PRÆFATIO Admonitoria.

QUAMVIS, *benevole lector, Romani Angeronam Græci Harpocratem, Taciturnitatis nomine commendarint: omnes etiam antiqui Philosophi secreta prophanare, Naturæq; thesauros sordidis, & nondum defæcatis hominibus temerè prostituere, Actæonis exemplo graviter prohibuerint: Attamen cum Pater noster cœlestis, nos omnes affluenter suis donis præveniens,* SOL *sit, omnibus æqualiter lucens (sine respectu enim & invidiâ Bonis & Malis, Gratis & Ingratis suam communicat lucem) meritò hunc, cujus filii esse debemus, imitari tenemur: iiq; omnium maximè, quos sua gratiosâ misericordiâ, è tenebroso Laborum Errorumq; labyrintho & circumferentiâ ad manifestam Quietis & Veritatis semitam ac centrum deduxit. Ideò talentum mihi à Patre Luminum concreditum impiâ quadam taciturnitate in sudario, diutius in humanâ obruere invidia non visum fuit: cum ingenuis animis Sapientiæ fores semper patêre debeant, neque talibus* Μυστῶν θύρας *unquam conspectæ fuerint* ἀφθονοι. *Benignum namq; & humanitatis plenum officium est, erranti proximo, viæ præmonstratorem se præbere facilem, non errantem verò, in viâ rectâ retinere. Quo nomine, amice lector, ad Divinæ Majestatis & Liberalitatis (cujus instrumentum*

Ps. 145. sect. 9. Matth. 5. Joh. 16. 5. Strabo ait tum demum mortales imitari deos, cum benefici fuerint. Matth. 25. Luc. 19. Victor. Dona Dei crescũt & augentur communicando.

& calamum saltem me cunctarum suarum miserationum & præstitorum beneficiorum longè minorem, esse & opto & spero in hac evulgatione) laudem & gloriam: proximi etiam seu totius Reipub. Chymicæ commodum & incrementum, è cordis mei profundissimo scrinio, præstantissima depromo hîc tibi: Arcana Spagyrica (quorum præparationes post multiplices sumptuum, temporis, & laborũ errores propriâ meâ manuali experientiâ sunt à me priùs comprobatæ omnes) qualia in hunc usq; diem, simul & semel in publicum prodiisse, nec auditione accipere potui, nec è veterum intelligere monumentis. Alienum à me semper fuit, nugis & mẽdaciis, quorum seculum nostrum (fæx & amurca mundi) admodum ferax est, lectorem onerare: multò minus ingens volumen (qualia complura apud me diuturnis laboribus collecta latent) tædiosissimarum Receptarum formulis complere, quibus centonibus jam video Medicinæ studiosos obrui & ita intricari, ut ipsi ferè sub tam gravi Receptarum pondere corruant & moriantur. Quæ autem per annos ferè viginti in molestis meis ac variæ fortunæ laboriosis peregrinationibus, per Galliam, Italiam, Germaniam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, à Chymiatris, maximæ experientiæ doctrinæq; viris, partim precibus partim pretio & permutatione (ut taceam in praxi medica nutu Dei proprio studio inventa mea, eaq; non pauca) indefatigatâ diligentiâ, & curiosâ exploratione adeptus sum, utilitati privatæ communem præferens, charitate insuper Christianâ, miseriâ & necessitate ægrotantium motus, pro meâ in Rempub. medicam fidelitate, priùs Vulcani beneficio probatissima oculatis, ut ita dicam, manibus aspicere & contrectare volui, antequam illa emolumento publico à me donarentur, ut hoc pacto filii doctrinæ indagatores & amatores veritatis, quod ego magno meo malo didici, nunc optimo consequantur compẽdio, videlicet non fallaces, ut hactenus in tantâ impostura rum fertilitate conquesti sunt) opiniones, sed multis experimentis exploratam diuq; exoptatam veritatem. Et sic quoq; nonnulla confecto priùs magni anni Platonici curriculo cum fœnore ad suos integra & longè splendidiore ornatu vestita revertentur gratis, quæ non ego eadem ab autoribus semilacera & pretio olim acceperam. Nam apud nonnullos, ad quos rumor multorum Arcanorum reconditorum me tædiosis itinerum difficultatibus & sumptibus pellexerat, ipsa præsentia, ut sæpè fieri solet, famam minuit: ita ut aut trita tunc mihi viderentur, quæ illi pro secretis ostentabant: aut mutila & manca, quorum defectus erat supplendus è multis descriptionibus à me in unam reductis, com-

pro-

Fuerũt etiam ex mea spontanea cõmunicatione ab aliis quædam ex his pro Imperatore nostro Rudolpho præparata.

Quò plerũq; majores Receptæ, eò minores virtutes.

Benignũ est, teste Plinio in Epist. ad Vespasianum, & plenum ingenui pudoris fateri per quos profecimus.

probante nihilominus eandẽ priùs proprio ignis examine: permutatione etiam ipsis non damnosâ secundum pervulgatam illam consuetudinem Chymicam, ὃς τὸν κῳ λαβὲ τὸ) sæpè me studia mea cum ipsis conferente, ovum in colloquio mutuo pro nuce accipiebant, quâ longis operosis & vanis laboribus fractâ, carioſum tandem reperi nucleum aut nuclei loco cortices & siliquas obtinui: indè factum est, ut sine Naturæ VULCANO *, verissimo artium & mysteriorum à poetis decantato inventore & doctore: maxima pars illorum (pace tantorum virorum salvâ hoc dixerim) qui nostra ætate, de secretioribus præparationibus Spagyricis ex aliorum relatu, non sua scripserunt manuali experientia, hunc fructum Chymiæ studiosis attulerint, ut plerũq; post magnos in vanum locatos sumptus, tandem etiam causam ipsis perditi cum laboris, tùm longissimi dederint temporis. Rem ita se habere fatebuntur mecum lubentes ii, qui meo exemplo & alieno damno non acquiescentes, talia Pyrotechniæ & Chymiæ ministerio dediti nceps examinare suoq; periculo proprio cautiores fieri malverint: Et sicuti multa sunt in dictis quæ nunc reperiuntur in factis, ita multa cadunt inter Theoriam & Praxim: Experietur, qui sibi de alieno periculo cupit facere proprium & decipi ab his, qui ab aliis fuerunt decepti. Ideò in hoc studio, non cuipiam ulterius habeatur fides, quàm quisq; propriâ suâ experientiâ palpando & videndo per debitum ignis falsum à vero diiudicantis examen comprobatum reperit. Et quia secundum Aeschylum ille demum reputatur prudẽs ὁ χρήσιμα, ἐχ' ὁ πολλ' εἰδὼς, malut pauciora & selectiora offerre, animo subinde revolvens illud Damasceni, Medicamẽta tibi pauca tenenda sunt, quorum vires & operationes multoties es expertus. Nihilominus hac paucitate tibi confidenter asseverare possum in totius Naturæ maestate & penu (si universalem illam & celebratissimam Medicinam ab antiquissimis à condito mundo sapientibus Philosophis possessam, & ad miraculum usq; legitimis suis heredibus decantatam excipias) vix latenter quiescere, præcipuis his medicinæ secretioris Arcanis oblatis, selectiora & efficaciora: ἐ γαρ ἐν τῷ μεγάλῳ τὸ εὖ, ἀλλ' ἐ τῷ εὖ τὸ μέγα. Qui syncerius Philosophiæ operã navando intima Naturæ penetralia, præparationum piâ assiduitate, naturaliumq; causarum diligenti contemplatione conjuncta debitè adierit, experientiæ insuper labores & difficultates non recusaverit, ex hoc Naturæ gremio revelato, manuariæ operationis solertiâ (si gratia favoris Altissimi ipsi infusa fuerit) proferret longè majora, quàm prima facie polliceri videntur. Quam vis autem vires singulis or-*

Discite aliorum monitis cavere, ne insumptæ operę pœniteat.

Vide Anaxagoram in suo libello περὶ φυσικῶν ἐκφάνσιν.

Fructus & summa utilitas laborẽ artificis rempusque impẽsum satis superq; compẽsabit.

dine assignatas, ego, à quo medicinam facio, non omnes expertus sim, sicuti ipsas opere ipso præstiti operationes: attamen, quia potissimam partem usu medico deprehendi veram, Spagyris in laboribus Chymicis provectis & exercitatis, filiis videlicet artis, terminorum ejus peritis, ac veræ Philosophiæ fontibus prolutis, qui de his solo etiam intuitu haud iniquam censuram ferre, faciliq; conjectura assequi possunt, (ejusmodi enim, & non duræ cervicis, obtusiq; ingenii artificem hæ præparationes, nihil cum Alchymistarum vulgo cõmune habentes, requirunt, ne indignissimâ calũniâ τὰ ἔχνίτα σφάλματα τὴ τέχνης εἶναι νομίζηται) illis inquam artificibus ἐγχρητικοῖς nullum erit dubium, quin & cæteræ vires ab expertissimis Chymiatris longo rerum usu, certoq; experimento comprobatæ, & nunc unâ operâ publicatæ, indubiè desideratum præstando effectum sine voto & avidæ expectationi satisfacturæ. Ideò veri & profundiores Medici, divino afflati spiritu, misericordiâ Samaritanâ erga ægrotantem proximum, cujuscunque sortis & conditionis, moti, qui in timore DEI methodo cõvenienti & artificiosa his sua propriâ operâ legitimè, (nisi velint effectu desiderato defraudari) nõ alienâ ut plerunq; fieri solet sophisticè & fraudulenter præparatis utentur, experimento cognoscent, adhuc longè majores efficacias, & virtutes inter medendum, si præsertim pro natura infirmi & judicio præsentis medici offerantur, quã ego hic assignare nec potui nec debui, sicuti Temporis filia DEI nutu docebit Veritas.

Qui propter intellectꝰ inertiam suum desiderium non obtinet, ignorantiæ & imperitiæ suæ culpam, non naturæ defectui, nec mihi, sed sibi impetet.

Sed quibus me hoc publico promerito nunc fluctibus obiicio? quid obsecro in hac judiciorum alea & diversitate agendum? quid in tanto carptorum peßimè vel optima arrodentium proventu faciendum? Scutum obiicimus intrepidus, quo me tuear, synceritatis videlicet meæ, beneq; de Repub. Spagirica merendi studium: Hoc imperitorum superba non timebit judicia, & omnia adversariorum prævisa tela, Iracundiam puta, Maledictionem, Invidiam, Supercilioßum contemptum verissimum Insciticæ testem, facilimè retundet.

Ignorãtia Superbiæ & Nequitiæ individua comes.

Insurgent in me & irascentur graviter primò secretiores Philosophi Hermetici, quibus potiora isthæc arcana anteà fuerunt ex parte perspecta: conquerentes injuriam sibi fieri, si illa, quæ summis studiis & longo temporum intervallo conquisita, altoq; silentio hactenus compressa fuerunt, tam subitò lucem videant, & cum hominum vulgo communicentur: Fractorem me sigilli Chymici vocabunt, quod, mystico Pythagorico silentio non initiatus, & Hippocraticæ legis immemor τὰ ἱερὰ ἱεροῖς, Veritatem Chymicam, in Umbrarum & Invidiæ carceribus

bus hactenus detentam, liberaverim, liberatamq; è vinculis foribus patefactis benignè communicarim posteritati. Verùm hi, quia veræ Sapientiæ heredes, & Regni Philosophici cives, clausa Invidiæ fenestra, Dei & proximi semper amantes sunt, aut saltem esse debent, sublato in altum capite & oculis Caballisticis, nõignorabunt in vera Cabala, Magia, & Woarchadumia longè potiores thesauros sibi Oratorii & Laboratorii beneficio, petendo videlicet, quærendo & pulsando, indefessis laboribus & vigiliis eruendos repositos esse, à GRATIÆ & NATURÆ *Lumine, temporis tandem progressu, omnibus indifferenter manifestandos, ubi exacto prius* SANGVINEO FILII JUDICIO, PATRIS AQVEUM *indubitanter subsecuturo, in* TERTIO *demum* SPIRITUS SANCTI *seculo, (olim per* IGNEM, *propter occulti manifestationem, renovando)* HELIAS *Artista Reparator omniũ advenerit: Cuilibet enim divinitatis Personæ, suum seculum esse destinatum, non obscurè colligere est, è duodecim tripartiti Symboli Apostolici Articulis, totidem Magni & unici Diei, huius videlicet duraturi Mundi horis congruè correspondentibus. Et sic posteritati gratæ, in Chymicis Lumine naturali expertæ, & à Deo ad harum præparationem incitatæ (Scientiæ videlicet ac Sapientiæ heredibus dilectis) præsentes has mecum nullo modo invidebunt micas: ab inexercitatis enim pigris seu ignaris contemptoribus arcana hæc Chymica, ob manualis operationis ineptitudinem, benè intacta manebunt: sicuti etiam à prophanis, pravis, & ingignis, revelatorum mysteriorum Theologicorum, Philosophicis apto loco (sermone brevi sed sufficienti his qui intellecturi sunt) immixtorum, nullum erit ob spiritus Sapientiæ carentiam, ingeniorumq; tarditatem comprehensionis & perceptionis periculum.*

Syracid. c. 43. sect. 36, 37.

Zephan. ca. 3. sect. 9. Malach. 4. sect. 3. 6. Zach. 14. se. 9. Sirac 48. sect. 10. 11. 12.

Spurii autem & aduterini Theophrastæi (sceleratissimum hominum genus) rabidissimè meam synceritatem accusare non desinet, ægerrimè ferentes, quòd deinceps simulata sua experientia, amicitia ficta, pietate fucata, pollicitationibus variis & vanis, dolosè suas impostoras venales, & magna pecunia redimendas, apud illos, qui animum ad cavendũ fallendumq; minime instructum habent, circumferre non possint: Nec prout est quorundam de facie & vestitu se non facilè manifestantium artificiosa vafricies, dum ex aliorũ congressu & colloquiis sententias captando, sibi deinceps suppresso benefactorum nomine eruditionis, sapientiæ, prudentiæq; famam apud magnates aucupãtur, & quæ ab aliis bonis viris, technarũ multitudine, suis videlicet fallaciis ac versipellis astutiæ

Soli qui sunt digni illa verè intelligent, quibus videlicet Deus rationẽ humanã per MENTEM illuminavit: ideo nemo temerariũ se ostendat judicem ante veritatis causę agnitionẽ sententiam suam proferendo.

2.

Tales furto ac benefactorũ calumnia quętunt ingenii laudem.

tiæ fraudibus ac versutiis expiscati sunt, more suo solito pretio amplius distrahere, multo minus ementitas suas, sine ulla veritatis scintilla Cacochymicas & Sophisticas literâ longa dignas artes, pomposâ specie vendere, quod hac vice Pharisaicam pellem, vulpinum ac maledicum animum tegentem, (quo multos innocentes virtute sua & inculpata vita viros integerrimos, pessimi illi ad arrugias condemnãdi impostores perfidi ac scelerata linguæ famicidæ, quorũ etiam umbra nocet, non solũ mendaciter insectari, verum etiam honestum laudabileq; eorum nomen in odium & periculum vocare consueverunt) sibi detractam animadvertent. Natio hæc prava & adultera, cui decipere dulce est, mavult esse famæ magnæ, quàm bonæ, & plerunq; quia virtutibus nequeunt, sceleribus innotescere volunt. Ideo his à cœtu omnũ verè Philosophantiũ in perpetuum excommunicatis impostoribus, mysteriorum Dei, secretorumq; Naturæ ignaris & indignis (propter quos laudatissimum & honoratissimum veræ ac inclytæ Alchymiæ nomen, non solum apud rude vulgus, verum etiam apud literatos, quitamen ex sua ignorantia aliorum scientiam metiuntur, infame ac odiosum immeritò evasit) displicuisse, verè laudari est. Quid enim potest contingere illustrius, quàm ab illis perditissimis agyrtis & seplasiariis ad haram potius, quàm ad Aram Spagyricam idoneis vituperari, quorum laus sæpè suspendio digna, & à quibus non nisi optimi & doctissimi quique semper odio sunt habiti.

Nõ artis hęc, sed hominum arte abutentiũ sunt vitia.

3. Ubi invidia & odium in cõsilio est, cæcũ est ibi judicũ.

Galenistarum verò pars syncerior & subtilior, Nicodemiana, ingenio mitiore, quæ propter metum & excommunicationem Rabinorum quorundam Athenienſium veritatem publicè profiteri, hactenus nondum ausa est, lucem hanc diutissimè exoptatam, obviis ulnis excipiet avidissimè absit tamen omen, quod haud vano mentis augurio præsentio, ne post plenariam istorum perceptionem Invidia *hinc certò suboritura doleat hæc usui publico cõmunia facta: ita ut postea iidem simulato contemptu, in fervidius carpant: velut aliquando plus sapere videantur, contractis supercilijs, ac concrispatis naribus eadem (suis tamen usibus, sed sine Dei benedictione, clanculum reservata) frigidiuscule commendent. At cum Invidiæ stimulis semper vulnerata conspiciatur Virtus, ac proficientium & Reipub. studentium comes sit Invidia: imò ne Iupiter quidem, seu pluat, seu serenus sit, omnibus placeat, & difficilimum sit ingrato mundo operam gratam præstare posse, misericordia potius quàm ira digni sunt, donec aliquando ex Invidiæ suæ Purgatorio cruciante, sponte se liberent.*

Omnibus placere non studeo, cum nec omnes nec omnia mihi placeant.

Pars

4.

Pars vero crassior & fæculentior, quæ veritate relictâ, comitem sibi errorem adiunxit, omnis humanitatis & veræ Philosophicæ literaturæ plane rudis & expers, omnium maximè ludibriis superciliosis hanc meam erga Rempub. lacesset benevolentiam. Verum enim verò, cum secundum Comicum his maleferiatis Misochymicis & Misosophis in ignorãtia sua sepultis, nil quicquam iniustius: horum insuper demersæ in cœno & pulvere scholastico mentes nil sublime suspicere possint, imo veteri semitæ & crassæ suæ insciti immori malunt quam ut discipuli habeantur eorum, in quos sibi docendi imperium arrogarunt: nemini mirum videatur, si hi insolentes & manifesti Naturæ secretorum contemptores, elato supercilio, audito solo Chymiæ *Nomine inhorrescentes, hucusq; divinissimam hanc artem sine omni rubore, stultâ ac barbarâ quadam arrogantiâ improbandaridere, omni convitiorum genere impudenter proscindere, & instar canum, ignota allatrantium, stomachose insectari ac indigne lacerare, non sunt veriti, quam tamen ne à limine quidem salutarunt unquam: tum quod Divinæ Sapientiæ exortes profatuamentis insciti, ambitiosaq; stultitia, nulla habẽt arma alia, quibus contra Veritatem dimicent, ac margaritas proiectas conculcent, quam Dux illorum illis suppeditavit* Binacus *ille Calumniator: tum etiã quod iracundiæ seu rabiei Cyclopicæ in Anticyram deportandæ causam non habeant aliam quam (ut ipsimet & publice & priuatim fatentur) legitimæ præparationis ignorationẽ. At cum ignoti nulla cupido, & de ignotis tanquam de rectè cognitis statuere, nõ ineptum modo sed ne à turpitudine sit alienũ, quomodo quæso eiusmodi Doctores Scholastici ob intellectus inopiam Sanctuarium Naturæ nunquam ingressi, hominum non vulgarium non vulgaria studia condemnare vel audent, vel saltem iure possunt? Et cur Philosophiæ & Medicinæ Titulos & Honores iniustè usurpant, & Nominis sua stipendia impetrant publica, si præclara illa opera, in quibus universa Naturæ potestas viget, veritate tandem convicti & compulsi, ceu miracula Magica cum plebeis admirentur? Nec tamen cessant contemnere multos famatissimos seculi nostri etiam literatissimis viris comparandos Medicos, totius vitæ decursu in artis operibus versatos, & Arcanorum Naturæ peritissimos viros, quod (quamvis in utrâq; Medicinâ & veteri & novâ, tàm è lectione probatissimorum Autorum, quam ab ipsa Luminis Naturæ, vulgaribus medicis plane incogniti, experientia sufficienter instructi) vanissimos illos mundi Honores, & Doctoratus, ut vocant, Autoritates, & Titulos, quib*

Alchymia duplex, Naturalis à filius Artis in magno precio habita: Sophisticaab iisdem summoperè detestata.

Joh. 5. sect. 44. Vide Paracelsum Tom. 5. in fragmētis medicis fol. 167. 168.

Impia Tyrannis, captiva tenere ad præfinitos autores studiosorum ingenia, & initiādis discipulis adimere libertatem indagandæ & sequendæ veritatis.

* Fit hoc mediāte pecunia & gratia, non scientiâ.

Error ejusmodi medicorum terra tegitur, ut dicit Socrates de temerariis medicis cum corio humano, seu verius DEI imagine impune ludentibus, & cum animæ suæ detrimento novum cœmeterium erigentibus.

Solus Deus est Naturę Dominus & Magister: Gradus autem seu Titulꝰ, licet majorem in mūdo authoritatem ac nominis existimationem ob vanam gloriam afferat, sapientiorem tamen & doctiorē efficit neminem.

*nec Hippocratem nec Galenum, nec ullos illorum coætaneos, licet authenticos eorum judicio, medicos præditos aut gloriatos legimus) propter suas Rationes non expetant, potissimū ne manifestata veritate, sepositâ in Ethnicos Deorū Scholasticorum errores jurare, ipsisq; immori Academico astringantur juramento. Et hi quidem personati Tituli, etsi olim instituti laudabili virtutis calcar, & eruditionis præmium demeritum erant, hodiè tamen in facultate præsertim medicâ, multis indignissimis, aut prece, aut * precio conferuntur (non loquor de illis, qui doctrinæ meritis Gradus sui iustos Titulos Laureasq; assequuntur) qui post quam primo biennio seu triennio studiorum suorum documenta daturi, figulinam in jactură vasis adeo nobilis experti sunt, procedendo secundum suam methodum omnia errata excusantem, sive vivat sive moriatur æger, demum anno quarto, quinto, & sequentibus eruditionis in medico requisitæ insufficientiam & inopiam, proprio etiam nominis dedecore & conscientiæ remorsu animaduertunt: Et tunc meritò dubitare deberent, num etiam Galeni Theoremata nobis non minus, ut scribit, quàm ursis & apris destinata, eiusque medicinæ Methodi, nulla antiquitatis autoritate stabilitæ quibus nostrū triumphat seculum, bonum haberent fundamentum quia finem suo principio in magnis morborum curationibus non respondere ocularitèr convincuntur. Dum autem aliorum bonorum virorum literas pro nihilo ducunt, nescientes artem medicam ita immensam & amplam esse, ut præclarè nobiscum agi existimare debeamus, si vel in primo senectutis limine hanc ipsam quod satis sit fuerimus assecuti, quamvis ex laboribus & aliorum observationibus suæ socordiæ & pigritiæ, nil ulterius discendi argumentum sumant, tandem tamen depositâ suâ pertinaci arrogantiâ, quâ se longè eruditiores viros, laudi aut vanæ gloriæ non studentes, superciliosè deprimere nituntur, à calce ad carceres revocari, & ipsos naturæ non doctores aut Magistros sed discipulos & Ministros renasci oportet, si modo suam stationē deinceps cum laude & honore tueri, & inscitiæ ac avaritiæ infames exprobrationes apud plebem devitare velint. Quam multi mihi ex illo grege clanculum conquesti sunt, quorum tecta iam nive erant cooperta & qui meliorem vitæ partē ferè in vulgaribus scholasticarum vanitatum vanitatibus, & ad medendum nil planè facientibus opinationibus medicis sine ullo fructu infelici pertinaciâ traduxerant, ὁμοιοι καρκίνῳ μασσωμένοις, οἱ δι ὀλίγον τρόφιμον πᾶι πολλὰ ὀστέινα ἀχολοῦντι: quod agnitæ veritatis dulcedine allecti, post tàm longas deviationes, & seram, seriam*

Mundus regitur opinionibus.

Deus est primus liber ad vitā æternam: ex Deo enim vitæ Regula. Firmamentū seu cœlū cum inclusis secūdus est liber Naturalis ad vitam mortalem: ex Astris enim Physica scientia haurienda.

Beatitudo præsentis vitę cōsistit in cognitione Naturę, ideo post æterna in rebus temporalib. summum est investigatio secretorū Naturæ.

Eiusmodi medicum ceu insignem Tetreni Luminis magistrū non pœnitet.

Vide Agrippam lib. 6. epistola 6.

Mundani medici omnia pecuniæ & honoris proprii desiderio faciunt, cum tamen Finis medicinæ non sit numerorum corrasio sed manifestatio secretorum Naturæ & Amoris medici in proximum ægrotantem.

seriamq; errorum, fatuitatum & stolidarum persuasionum cognitionem ac confessionem, salubri adhibitâ pœnitentiâ, depositis prius scientiarum impedimentis Opinione *videlicet &* Fastu, *veluti post limina non erubuerint, in ipso senio (quia pulchrum, senem Sapiētiæ studere, & cum Diogene in stadio currente cursum non remittere) prudentis serpentis imitatione senectam deponere, ac novâ assumptâ pelle, hujus artis Chymicæ esse discipulos suosq; in posterum dies cum Arcanis & in* DEO *& in Natura consumere: ac iuxta magnum librum* GRATIÆ *(unde Animæ nostræ salus æterna) etiam alterum* NATVRÆ *arcana tractans, ad salutem corporis spectantia, exquisitius rimari, nec præcipuos Naturæ thesauros, in quibus grauissimorum morborum medicinæ ab Altissimo collocatæ sunt intactos relinquere: Ne autem in mortuis superficierum umbris, seu externis Qualitatibus Galenicis errore infelici morerentur & sepelirentur, suæ senectuti πονηρίου & Naturæ Fanum, ceu monumentum quoddam honoratissimum extruxerunt: E quo juxta Creatoris luculentiorem cognitionem (ad quam tàm per sedulam operam* DEI *scrutationem & admirationem, quam per Creaturarum seu Naturalium rerum laboriosam examinationem & sequestrationem Philosophicam pervenerunt) hunc etiam eximium laborum suorum, vigiliarum, temporis & sumptuū sunt cōsecuti fructuum: ut cum deinceps ceu multâ experientiâ confirmati medici, ad ægrotorum lectulos vocarentur, ubi nō πολυγλωτσία medici ad disputandum, sed ejusdem πολυπραξία ad curandum conducitur, non amplius opus fuerit conari in arte quod desideratur externis resarcire illecebris: numerosa videlicet officiorum multitudine subterfugia quærere, & molliendo sermones suos inscitiæ patrocinia, ut superciliosum medicorum vulgus (lautiores saltem ægrotantes infamis lucri causa, angustioris fortunæ rusticellis ut vocant neglectis ambiens) difficultate primorum & præcipuorum officiorum perterritum facere consueuit. Ex hac vulgi farina seu furfure, aliquorum insuper ea est peruersitas & malitia, ut Carbonariorum (quos ita vocant) medicorum inventa & arcana medica, dolosa discendi cupiditate clàm captata, quibus cum successu atque emolumento uti se posse animaduertunt, tumidis verbis annihilent, reiiciant & damnent, & vulgo tanquam venena prohibeant: ipsi vero interim debitas autoris laudes sibi ipsis vendicant, mendaci ac inverso furto, artium inventores & benefactores suos demeritis spoliant honoribus, ut medicamentis his technis acquisitis pro suis cō cōmodius & majori cum ostentatio ne*

Paucorum culpa in multitudinis non debet redũdare detrimentum.

ne uti possint. Et his sane laureatis Apuleis, sive leonum sive vulpium pellibus indutis ad Balnea Divinæ aditus non solum præcludi debebat, Pythagorâ ipso vetante cibos in scaphium ponendos esse: verum etiam in hortum Chymicum iisdem ruditer irruentibus selectissimas has præberi non conveniebat Lactucas, cum ipsis Tribuli & Cardui sufficerent: Attamen cum stultorum & improborum calumniæ secundum sapientum virorum iudicium, magno animo parvi faciendæ sint, & olla fervens muscarum insessum non formidet, meliora me quoque sperare iuberent quorundam voluntates humaniores & faciliores redditæ, ac Censurarum violentiæ (iniquo veritatis odio deposito) mitigatæ, quibus vulgo & magnatibus invisa & suspecta reddere talia DEI *dona conati sunt: nolui bonos & immeritos experiri damnum ingratitudini sordidæ alioquin debitum: nec indignitate quorundam veræ & antiquæ Medicinæ sectatoribus benignos hos occludere fontes, qui & veterum doctrinam medicam exacto iudicio perpensam, quotidie ad incudem revocant, & tempestivâ ab erroribus pœnitentiâ desistentes, Paracelso etiam (invidiâ & maledicentiâ fugatâ) suum, quem in practica & præparationibus meretur locum, relinquunt.*

Quamvis autem accusationum copia sæpe iudicibus fastidiosa & suspecta extitit, tamen propter mundi iniustitiam ista hæc, hoc loco, & his temporibus, ubi iniquitas abundare, & multorum caritas, quam in Christianis pectoribus erga fratres ardere æquissimum erat, refrigescere cœpit, cõmemorata, nullo modo superflua & parerga censeri debent: neq; vero Medicos pia doctrina præditos sermo hic offendet, quem de solis superbiæ, Invidiæ & Ignorantiæ mancipiis Chymicæ Veritati contra conscientiam in DEI *& Naturæ contumeliam, Reipublicæque detrimentum reluctantibus, hic dictum velo. Antequam vero ipsam Remediorum descriptionem aggredior, operæ precium me non exiguum allaturũ confido, si prius* DEI *summi auxilio fretus in hac Præfatione Admonitoria quædam pertractem, quæ à Philosophico Medico, summo mentis apice & diligentissima indagine sunt perlustranda.*

Et Primo, Quænam sit illa Medicina, ægritudines à corporibus humanis expellens, à paucissimis Medicis hactenus cognita & observata cui addita est absoluta Elementorum & Hominis Microcosmi descriptio Philosophica, Oblivionis fere ignorantiæ matris caligine obsita & involuta.

Secundo, ubinam illa Vera Medicina lateat.

Tertio,

Tertio quod Corticibus tecta beneficio Vulcani erucnda, & debito artificio præparanda sit.

Quarto, qua virtute & quo modo in corpus humanum illa agat, & morbos expellat.

Quinto, qualem ministrum requirat Medicum.

Sexto, de antiquissimorum Philosophorum Medicina universali & summâ à multis decantatâ, à paucissimis non dico possessâ, sed nec visa nec credita, Coronidis & Epilogi loco aliquid, in proclamatæ Veritatis subsidium, agetur.

I. DE VERA MEDICINA.

VEra Medicina, de quâ imploratâ prius divini auxilij assistentiâ, hîc agere decrevimus, merum est Dei Altissimi donum: non ab Ethnicis, sed à suprema universitatis unico Rectore, solo videlicet Deo, dierum Antiquissimo, & errare nescio, Luminum patre, petenda & discenda. Ideo non ex Creaturis, sed ex Deo discenda est Sapientia qui omnium Arcanorum conditor solus scit, quas proprietates cuiq; creato indidit. Nunquam enim à mortali præceptore aut litera mortua, tam rectè & commode discitur, quam ab eo, qui omnium rerum est perfectus artifex sicuti est ipse Creator sublimis & gloriosus Deus à quo ad nos profluit, non aliter atq; à radiis solaribus calor, qui flores & omnis generis germina producit: Quid enim habet Homo, quod non superne accepit? Omnes per retrogressionem discunt à primo & hîc à Deo, qui ei scientiam creavit. Medicus nasci debet è Lumine Gratiæ & Naturæ ab interno & invisibili Homine, interno Angelo, Luce Naturæ, quæ instar veri Doctoris homines instruit, prout Spiritus Sanctus Apostolos linguis igneis instruxit. Exercendo cõfirmatur illa & in lucem producitur, non stabilitur Humanâ, sed Dei & Naturæ institutione. Fundata enim est nõ supra figmenta Humana, sed supra Naturam quã Deus sancto suo digito sublunaribus præcipue vero Metallis perfectis impressit, ideo verum eius Fundamentum Deus est. Medicina ergo nihil aliud est quam creata & incarnata misericordia à Patre cœlesti, egentibus & ærumnosis mortalibus erogata, ut patiens ægrotus sensibiliter videat, & experiatur benignum erga se in afflictionibus suis Creatoris sui amorem, misericordiam, & auxilium sicq; Deus in suis mirabilib. glorificetur. Hæc autem vera Medicina seu Mumia Naturalis

Sirac. cap. 34. sect. 20. cap. 37. sect. 26. Vide Labyrinthum medicorum apud Paracelsum.

Matth. 18. Ioh. 6. Psalm. 58.

Frustra enim docet præceptor discipulum, qui ad artem non est natus ex Astris.

Medicina est gratia data à Deo, cuius fundamentũ non sunt Academici libri, sed invisibilis Misericordia Dei & Donũ:

Illa insuper scripta quæ vero fundamento ac experientiâ innituntur.

Hæc essentia medica vocatur in medicina Aurum.

& Naturæ nucleus invitali Sulphure continetur, totius Naturæ thesauro: & fundatur in Balsamo Vegetabilium, Mineralium & Animalium, cui omnium actionum in Natura principium acceptũ referimus. Illius potestate vnica omnes omnium morborum curationes absolvi possunt, si (ut paulo pôst dicetur) debitè præparata & ab omnibus impuritatibus separata, legitimaq; methodo convenienter, imbecilli, languenti & prostratæ Naturæ humanæ à piè docto administretur Medico. Huius medicinæ fundamentum est, quantum minor Mundus, id est, Homo cum maiore & externo conveniat mundo: sicuti per Astronomiam & Philosophiam duos globos superiorem & inferiorẽ explicantem abundè edocemur. Philosophia enim docet vires & proprietates Terræ & aquæ, sicuti Astronomia Firmamenti Aëris Philosophia & Astronomia faciunt internum & perfectum Philosophum non solum in Macrocosmo, verùm etiã in microcosmo. Necesse igitur Macrocosmi tanquã parentis dispositionem Microcosmo filio scilicet homini accõmodare, & mundanam Anatomiam cum Microcosmi Anatomia debitè conferre. Exterior mundus est theorica Anatomia, speculum, in quo minor mundus, id est, homo videtur, siquidem ex ipso homine mirabilis & præcellentis suæ structuræ & creationis quantum medico necessaria est, comprehendi non potest. Conveniunt autem non forma externa, aut corporali substantia, sed in omnibus viribus & virtutibus, prout magnus mundus, ita quoque parvus, in essentia & interna forma planè unum & idem sunt, forma saltem externa discernit mundum & hominem. Id nobis evidentissimè palam facit naturæ lumen, quod nihil aliud est, quàm illius mundi visibilis cum corpore microcosmico divina quædam analogia: Quicquid enim inuisibile in homine latet, hoc in Anatomia visibili totius universi manifestatur, quia natura Microcosmica in Microcosmo est invisibilis & incomprehensibilis. Ideò in magni mundi Anatomia visibili & comprehensibili, utpote in suo parente omnia manifestantur: Parentes hominis Cœlum & Terra, è quibus ultimo Homo creatus, & qui parentes novit, & anatomisat, ille Hominis filii, Creaturæ videlicet perfectissimæ cognitionem veram in omnibus suis proprietatibus assecutus est, quia in ipso ut Centro omnia totius universi confluunt: & ipsius Anatomia in sua Natura est Anatomia totius universi. Externus mundus est figura Hominis, & Homo est mundus abscõditus. quia visibilia in ipso sunt invisibilia, & ubi fiunt visibilia, tunc morbi sunt, non sanitates, siquidem est microcosmus, non mundus: Et hæc est

Medicina à Deo illuminante mirabiliter libro naturæ, id est, Cœlo, & Terræ inscripta, ibi per Chiromantiam & Physiognomoniã legenda & investiganda.

Sine cognitione luminis Naturæ seu majoris mũdi nullus medicus potest habere exactam morborum & Microcosmi cognitionem.

Macrocosmus est theoria & speculũ hominis Microcosmi.

Finis Philosophiæ & Astronomiæ est Homo.

hæc est vera cognitio, ut homo microcosmicè visibiliter & invisibiliter seu magicè cognoscatur. Ex utriusq; microcosmi & macrocosmi Anatomia vera atque solida, cuiusq; sani & perfecti medici excrescit eruditio, cui demum tutò veluti sacræ cuidam anchoræ inniti potest: Considerando omnium morborũ originem, apparebit naturam tam Macrocosmi, quàm Microcosmi esse medicinam, morbum, & sui ipsius medicũ: Medicus ex natura necesse est ut crescat, quia in ipso, ab ipso, ex ipso nil est, nisi ex natura, natura instruit medicum, non homo. Et quia hominis materia est Extractum quatuor Elementorũ, oportet ut in se habeat familiaritatem cum omnibus Elementis & suis fructibus: Imò absque illis vivere nonpotest. Quis enim mortaliũ Aêre, Terra, Aqua & Igne aut fructibus illorum potest carere? Deus enim Elementa creavit, propter suos fructus, ut hominẽm nutriendo & medicando sustentent. Omnia ergo Elementa externa præfigurant totum hominem, & illis cognitis, cognoscitur Microcosmus, sunt enim similia, & sunt Micocosmus, & in quatuor Elementis est una Anatomia, essentia, materia, nullum aliud discrimen præter formam: Sic in rerum natura est Ignis, Aër, Aqua terrestris: rursus Aqua, Terra cœlestis: similiter Terrena, Ignea, Aërea aquá: postremò Aëreus Ignis, Aqua aërea, & Terra aërea. Ita quatuor Mercurii genera, & quatuor genera Metallorum, Nix quadruplex, Amethysti & gemmæ quadruplices cuiuscunque semper sunt quatuor, unum in Firmamento seu Elemento cœlesti: Alterum in Aëre: tertium in Aqua: quartum in Terra: Ita Homo quadruplex: Deus enim longè mirabilitor in suis operibus invisibilibus, quàm visibilibus, teste Paracelso, creavit in omnibus quatuor Elementis ad evitandum vacuum Creaturas vivas, inanimatas, (videlicet sine Anima intellectuali) quadruplices scilicet Elementorum incolas, ab hominibus adimaginem Dei creatis, intellectu, sapientia, artibus, operationibus & mansionibus discrepantes. Aquæ sunt Nymphæ, undenæ, Melosynæ, & harum monstra seu spuriæ Sirenes aquæ innatantes. Terræ sunt Gnomi, Lemures, Sylphes, Montani, Zonnetti, quorum monstra sunt Pygmæi. Aëris seu nostri mundi aërei sunt umbratiles sylvestres, Satyri horum monstra sunt Gigantes. Ignis seu Firmamenti sunt Vulcanales, Pennates, Salamandræ, Superi, quorum monstra sunt Zundel ut taceam Flagas, quas in multa millia genera divisas Theophrastus Animæ Macrocosmi incorporatas in suis scriptis asserit. Sic etiam quadruplex Medicina: exempli gratia, COR Macrocosmicum igneum, aëreum, aqueum

Cognitio quatuor Elementorum omnes morbos & curas unius Hominis mõstrat.

Medicinæ cognitio in exteriori mũdo fumenda videlicet ex Limbo, unde hominis cognitio etiam dependet.

Quodlibet Elementum suam potentiam & operationem in omnibus quatuor elementis perficit.

queum, Terreum, CORDI Microcosmico Hominis in omnibus correspondens. in Homine enim sunt omnia unius operationis: sic etiam de reliquis membris corporis intelligendum semper enim Microscomi filij membra, quadruplicib. membris Macrocosmi parentis correspondere debent: Ita deprehendemus, quemlibet morbum & medicinã eiusdem esse Physiognomoniæ, Chiromantiæ, & Anatomiæ: Qui huius Fundamenti intellectu caret, non potest esse probatus medicus: Sic etiam è Veterum scriptis compertum habemus inter Astrologos & Chymiologos non modicam esse cognationem: Cœlestis enim Astronomia inferioris est quasi parens & magistra, quandoquidem est utrisque suum Cœlum, suus Sol, sua Luna, sui alij Planetæ, & suæ Stellæ ita tamen ut Astrologia rerum superiorum Chymiologia rerum inferiorum rationem habeat. Quicunq; è nigris illis Philosophis divinâ gratiâ fulti MENTEM cõsecuti sunt, artificiosaq; Analogiâ corporum proprietates in superiori globo animadversas Astris & corporib. inferioris globi legitime accommodare poterunt, omnes difficultates Philosophicas, ænigmatica obscuritate involutas, compendiosâ facilitate verissime aperient, & ad Indos vel Americos non sibi Philosophandi gratiâ deinceps peregrinandum esse fatebuntur Providentiâ enim & bonitate Creatoris factum est ut invisibilia reliquorum Elementorum Astra, in supremo Elemento visibili specie repræsentarentur, motuumq; leges, & temporum prædestinationes clare explicarent, quamvis nil sit in universa inferioris Naturæ Familia, quod non innatis Astris totam Astronomiam officiis prædestinatis accommodatam absolvere possit: sic Aestatis, Hyemis, Veris, Autumni sydera, ut doctè P. Severinus Danus* annotat in Terra continentur, in Aqua, Aëre, quæ nisi conspirarent cum Astris Firmamenti (cui soli è vulgaribus Philosophis plurimi errore infelici totã Astronomiam ascripserunt) steriles Cœlestiũ utiq; accusaremus impressiones in annonæ difficultate. Cœlum namq; duplex est, Externũ, ut omnia corpora Astrorũ in Cœlo Firmamenti, & Internum, quod est Astrũ seu corpus invisibile ac insensibile in omnibus cœli stellis: Istud corpus Astrorum invisibile ac insensibile est Spiritus Mundi, seu Naturæ ut vocat Paracelsus. Hylech, diffusus in omnia Astra, seu potius ipse est omnia Astra: Et sicuti iste Hylech in magno mundo omnia Astra particulariter continet: ita quoq; internum Hominis cœlum, quod est Spiritus Olympicus, omnia Astra particulariter complectitur. Atq; sic Homo invisibilis est omnia Astra non tantum sed unum & idem prorsus cum Spiritu mundi,

* In sua Idæa medicinę Philosophicæ.

Testantur Arthritici qui instantẽ temporum mutationem præsentientes sæpè suo dolore vates & Astrologi fiunt involũtarii: Sic multi ægroti præsentiunt mutationem futurorum in quatuor Elemẽtis, & Elementa homi, nis interna præsentiunt mutationes externorum.

Ut Ratio Astra externa egit, ita Medicina Astra interna.

Astrum Hominis & Cœli unum sunt,

mundi, sicuti albedo in nive. Quemadmodum omnia ab intra scaturiunt & procedunt ab invisibilibus & occultis, sic etiam visibiles corporales substantiæ veniunt ex incorporalibus spiritualibus, ex Astris & sunt corpora Astrorum, & manent in Astris, unum in alio: Hinc sequitur quod non solum omnia viventia, sed etiam omnia crescentia, imo lapides & metalla, & quæcunq; in universa rerum Natura existunt, spiritu sydereo sunt prædita, qui vocatur Cœlum seu Astrum, Faber occultus, à quo omnis Rerum procedit Formatio, Figura, & Color. Ab hoc proprio & interno Astro (quod Paracelsus vocat Ens seminis & virtutis) Sole videlicet microcosmi, generatur, producitur, pingitur, formatur, & regitur etiã Homo. Quando autem dicimus omnẽ Formam Rerum fieri ab Astris, non intelligendum est id de Cœli Carbonibus visibilibus, nec etiam de invisibili corpore Astrorũ in Firmamento, sed de cuiuslibet rei proprio Astro: Ideo superius Firmamentum in inferius specificatum non virtutes vel arcana infundit, ut falsò Philosophia opinatur per stellas Firmamẽti influere virtutes herbis, arboribus, minime gentium: Quodlibet crescens & vivens fert suum proprium Cœlum ac Astrum apud se & inse, superiores stellæ suo cursu per Zodiacum excitant inferiores crescentias. providẽt ipsis roribus, pluviis, tempestatibus, sed non influunt Astrum internum crescentium, non odorem, nõ colores non formam, sed omnia ab interiori Astro seu Fabro occulto proveniunt, & non ab extra: Astra externa nec inclinant nec necessitant Hominem (siquidem non ab Ascendente, nec constellatione Planetarum, sed de manu DEI, per spiraculum vitæ habemus conditiones, proprietates, & mores, ideo Hominis Ratio Astra externa debebat regere) sed Homo potius Astra inclinat & sua Magica imaginatione inficit, & impressiones lethales causatur: nisi enim nos filij magnæ Creaturæ Patrem nostrum irritaremus nostris peccatis, maneret mansuetus erga nos, teste Paracelso in Paramiro lib. 2. de Origine morborum, cap. 7. Cursus externi Firmamẽti cum suis constellationibus liber est, & à nullo regitur: ita cursus Firmamenti & stellarum in microcosmo (qui non materialiter sed in spiritibus corporum perficitur) cum suis constellationibus liber est, & minime regitur ab externo Firmamento. Sicuti enim non potest Aer vel Sol, pomum aut pyrum supra arborem collocare, oportet ut à centro ad circumferentiam crescat ex Astro interno, è Cœlo interno, multo minus externum superius Cœlum potest influere virtutem crescentibus: Nihilominus Fructus Astrorum seu seminum Cœlestium, Aëreorum,

Formatio rerum est in Astris sicuti Ferrum in Imaginatione fabri ferrarii.

Par. in Paramiro de Ente Astrorũ. Hinc nativitates etiam sunt erigendæ.

Lege Paracelsum in Paramito de Ente Astrorum.

Angeli Platonici & Catena Homerica nil aliud sunt, quàm ordo & series Rerum Divinæ deserviens Providentiæ, Rerum gradaria & concatenata Sympathia.

Terrestrium, Aquæ, in unam Rempub. conspirarunt, eiusdem Anatomiæ cives: quare societate & actionum grata vicissitudine se invicem mutuo fovent. Hæc est toties decantata Aurea Catena, visibilis & invisibilis Naturæ societas hoc cœli Opisque matrimonium, hi Platonis Annuli, hæc abstrusa in intimis Naturæ adytis Philosophia, cuius adipiscendæ gratia scimus Democritũ, Pythagoram, Platonem, Apollonium ad Brachmannes & Gymnosophistas, item ad Hermetis columnas in Aegyptum commigrasse. Hoc ergo fuit Antiquissimorum Philosophorum studium, à Lumine Naturæ singulari DEI inspiratione ab ipsis comprehensum, in quo admiranda & infinita Creatoris nostri Potentia & incomprehensibilis elucet Sapientia, ita ut inæstimabilem eius bonitatẽ in creaturis, & ineffabilium mysteriorũ Infinitatem, satis admirari & prædicare non possimus.

Nec hoc silentio prætereundum, TRIA *esse Rerum omnium* Principia, *quæ in quolibet composito reperiuntur. Notissimum est enim ea, in quæ resolvuntur corpora naturalia, quoq; partes, ex quibus constabant, ab initio suæ compositionis existere Nullum autem corpus à Natura compositum, in plura neq; pauciora potest artificio solutionis partiri, quam Tria,* Mercurium *seu liquorẽ,* Sulphur *seu oleum, &* Sal: *In his tribus, quodlibet creatum generatur & conservatur: Nam Sancta* Triunitas *per suum* Triunum *prolatum verbum* Fiat, *omnia creavit* Triuna *analysi Spagyricâ teste: Deus per verbum* Fiat *produxit materiam primam, quæ ratione trium Principiorum contentorum primo triplex est, & postea hæ tres species separatæ sunt in quatuor diversa corpora seu Elementa, non aliter ac si peritus artifex è Plumbo faciat Minium, Cerussam, Vitrum, & Spiritum Saturni. Ita Mundus cum omnibus creatis corporibus nihil aliud est, quam fumus coagulatus, è tribus substantiis, ut à Sulphure, Sale, Mercurio: Hæc enim tria sunt materia, è qua omnia corporalia creata sunt. Hoc à Spagyris visibili experientiâ & certificatione incontradicibili demonstrari potest: In lignis viridibus tria etiam existunt humiditatum genera, Primum quosum Mercurio fugitivo respondens, quod lignum à combustione præservat: Alterum admodum pingue & oleaginosum inflammationis & combustionis causam instar Sulphuris administrat: & hæc duo ab igne consumuntur: Tertium autem unctuosum ac quantitate exiguum, in cinere remanet (Sal videlicet) subtile est & perenne. Ita etiam materialis, corporis humani causa est Terra triplici*

triplici illà Salis, Mercurii, Sulphuris q; substantiâ ditata: Sal coagulatione corporibus Soliditatem tribuit, Colorem ac Gustum: Sulphur Salis coagulationem benignâ commixtione tẽperat, dat Corpus, Substantiam & Transmutationem. Mercurius, qui instar Elixiris dat Virtutes, Vires, Arcana, assidua vitalis ac vegetativi liquoris irrigatione, duo priora actionum frequentiâ ad siccitatem & senium in horas festinantia fovet, fluidaq; ac labili substantia mixtionem omnem facilem reddit. Tria hæc corporum omnium Principia, officiis proprietatibus q; propter virtutis mixtionem plurimum sunt distincta, licet unam, similaremq; corporum substantiam sensibus exhibent. Quidam Theophrastæi, qui rerum occultarũ plenius examinatius q; perscrutati sunt causas, Quartum *addere solent, quod Spiritum vocant, qui quamvis è Mineralibus & Vegetabilibus haberi possit, tamen in Animalibus propter subtilitatem artificis actionibus non subiicitur, nec capi potest: sic Sulphur Igni, Sal Terræ Mercurius Aquæ, Spiritus Aëri responderet. Et quia in Elementorum mentionem incidimus, de illis è compendiosa Severini traditione hæc pauca subjungemus: Vera Elementa planè spiritualia custodes sunt, nutrices, loca, mineræ, matrices, & receptacula totius Creaturæ: imò essentia, existentia, vita & actus Entium universorum. Loca autem sunt Rerum non otiosa, sed suis proprietatibus instructa, quæ vitam & alimentum exhibẽt suis locatis, id est, seminibus, ut ea de se proferant, quæ in thesauris & penetralibus recondita observant. Distributa sunt in globos duos, superiorem, Ignem seu Firmamentum scilicet & Aërem, albumini & testæ ovi comparandum: inferiorem, Aquam & Terram, vitello ovi similem. In his quatuor Naturis incorporeis, inanibus, vacuis, Lucem & Seminales Rerum omnium Rationes Benedictione divina semel repletas, nec in æternum defecturas, incomprehensibili Magia ex æternis divinæ Sapientiæ Thesauris, imposuit Creator, virtute* VERBI *explicantis unitam multitudinem, & Spiritus illius, qui super Aquas ferebatur:* PRINCIPIA *corporum adiungens, quibus ceu vestimentis & domiciliis induerentur in mundanam hanc scenam progressura: In Elementorum enim Thesauris invisibilibus, tanquam in Abysso delitescunt* SEMINA *&* ASTRA *rerum vincula, ab initio Creationis collocata (visibilia invisibilibus, summa infimis cõiungentia) & destinatis tẽporibus progredientia, quorum beneficio Elementa conspirant & consentiunt, ac totius Naturæ sympathia cusloditur, illorumq; ministerio Mundana Provincia administratur, & nova so-*

Deficiente sale, id est, Mumia, res ad vermium generationem est idonea.

Spiritus Domini super aquas.

Gen. cap. 1.

bolis suffectione æternitatem æmulantur. Sine his Seminibus, quia Elementorum officia explicarunt, adipisci non potest Elementorum cognitio. & ut Semina Elementis, sic ijsdem corporum Principia Seminum indissociabiles comites, nexu indissolubili conserta cohærent, & ad Generationum Lithurgiam incomprehensibili donorum varietate instructa sunt: (Semina enim & Principia Rerum Generationis & Multiplicationis vim acceperunt potestate VERBI illius, cuius imperio universa obtemperant:) Quemadmodum autem Semina ab Elementis, vix ulla mentis subtilitate ab invicem disiungi possunt: Sic Corporum Principia ab illis Naturæ legib. nunquam vix ullâ artis industriâ idq; non perfecte separari queunt. Notandum etiam hoc loco, quod quædam Elementorum corpora, proprietatibus magis vestita sunt, & sunt Arcanis destituta, nec habent in se Cherionium, steriles sunt saltem qualitates Relollaceæ, in quibus nulla δύναμις ad sanandos morbos: quædam autem corpora Seminum proprietates imitantur, quæ habent Tincturas in quibus, quamvis concurrant Caliditates, Frigiditates Humiditates Siccitates, ab iis tamen actiones non procedunt, pro præsentiâ saltem assistunt legatorum comites: in his corporibus separatio potest fieri virtutum ab invalido, puri ab impuro. Elementa autem nostra Elementata visibilia quatuor, videlicet Ignis seu Firmamentum, Aër, Aqua, Terra, omnium rerum matrices productrices & receptacula sunt. Fructus sunt Seminum, aliorumq; Elementorum perenni fluxu & irrigatione generationibus inseruientes: Ex tribus primis etiam sunt composita, & in eadem resolvuntur: Tria etiam nunc dicta in qualibet matrice reperiuntur, & quolibet cuiusq; matricis fœtu. Anima in Homine est Elementum Igneum Cœleste: partes solidæ & spermaticæ sunt Terra: partes humidæ ut Sanguis & alij Humores sunt ex Elemento Aquæ: Aër est totum, quod vacuum est, & ubi nulla est substantia: Sed hæc, ut iam dictum, audienda sunt de Elementis Elementatis (vera enim Elementa sunt spiritualia) quia minima quæq; Semina mundanam Oeconomiam æmulantur, & adumbratam Elementorum ac principiorum analogiam ostendunt atq; hoc pacto Rebus omnibus inesse Elementa fatemur, eaq; misceri & cõservari beneficio Balsami & Radicalis Tinctura: Sic Aqua ipsa, quatuor Elementis instructa, fœcunda nutricatione, & multiplicatione Semina sua fovet. Hæc è Severino hactenus allata, quia iniecto pulvere oculis non attente legentium caliginem & tenebras offundere possent, Elementorum doctrinam lucidiorem

Hipp. in lib. de Antiqua med. πάντα ἐν πᾶσι μοῖραν.

In Animantibus Terram referunt Ossa, Caro Aerē, Spiritus vitalis Ignem, Aquam vero Humores.

rem subiungemus. Verus Philosophicus Medicus discens doctrinam quatuor Elementorum seu quatuor mundi columnarum, se ipsum saltem cognoscere discit, & illud ex quo ortum habet: sicq; ab Externo cognoscit Interni fabricam veram videlicet maioris & minoris mundi Anatomiam. Terra ut dictum cum Aqua est Centrum: Aër circulariter ambit Aquam & Terram: Novem Sphæra vel Firmamentum cum omnibus stellis sunt Ignis. Vera Elementa, cum suis propriis Astris non sunt visibilia, aut sensibilia, sed sicuti Anima in corpore est insensibilis, ita etiam Elementa in suis corporibus. Corpus Elementorum est res mortua & tenebricosa: Spiritus est vita, & divisus est in Astra, quæ suas crescentias & fructus de se dant: Et ut Anima suum corpus à se separat & in illo habitat: ita etiam hæc Elementa spiritualia in separatione rerum omnium excreverunt à se corpora visibilia per separationem. Caliditas potentialis separabat à se stellas, ut herbæ in Terra flores à se separant: Humiditas Aërem: Frigiditas Aquam. Siccitas Terram, hoc est, ex Elemento Terræ prodiit corpus Terræ: ex Elemento Aquæ emanavit corpus Aquæ: ex Elemento Aëris efumavit corpus Aëris & compactum est in sua Natura: ex Elemento Ignis emicuit corpus Ignis, & compactum est in sua substantia, Cœlum videlicet visibile. Ex his corporibus Elementorum, tandem prodeunt ac proveniunt crescentia, & ex his demum fructus mediantibus & operantibus Astris: Nam omne corpus visibile non est à se, nec ex se, sed à suo invisibili Elemento & Astro Ex corpore Igneo emicuerunt Astra visibilia, seu stellæ in Firmamento: ideo Ignis est nutrimentum & conservatio stellarum, testatur Nostoch, quod Igne vescantur & eundem à se excernant denuo, licet in inferiori aere supra terram in mucilaginosam materiam vertatur. Ex corpore Aquæ crescunt Metalla, Salia, Mineralia. Ex corpore Terræ crescunt Arbores & Herbæ. Nostra visibilia Elementa sunt aliorum saltem corpora & domicilia, & vim illorum impediunt & remorantur. Omnia enim, quæ visibili corpore copulata sunt, suffocant & frangunt vim, potentiam, & operationem interni spiritus. Terra est duplex, Externa visibilis, Interna invisibilis. Externa non est Elementum, sed est corpus Elementi, & est Sulphur, Mercurius, Sal. Elementum autem Terræ est vita & spiritus, in quo Astra Terræ iacent, quæ per corpus Terræ producunt omnia crescentia. Terra enim licet videatur mortua, nihilominus in se continet omnium rerum semina seminalesq; virtutes: Ideo ipsa dicitur Animalis, Vegetabilis, Mineralis, quæ ab

Ex Elementis formatæ sunt omnes creaturæ: Aeri attribuuntur animātia, Terræ vegetabilia, Aquæ mineralia. Ignis unicuiq; dat vitam. Quatuor trices Rerum.

Omne Productum seu Crescens diversum est & separatum à sua matrice generante ut pisces ab Aqua.

Ex quo quid nascitur, ex eodem ēt cibatur & conservatur: Ita halec extra aquam cito moritur.

Hanc Regulam ēt Theologi & medici sibi applicēr.

Terra per se mortua, sed Elementū est invisibilis oculis vita.

omnibus reliquis Elementis fœcundata, omnium ex se ipsa est gignitiva: Sic arbores, herbæ, gramen, flores, fungi & omnia Terræ crescentia sunt corpora Astrorum, & fructus Terræ, ex invisibilibus Astris ferunt suos fructus, vt flores, pira, poma, cerasa, & quilibet horum fructuum iterum est Astrum & Semen. Aqua etiam duplex est Corpus, videlicet, quod est Mercurius, Sulphur, & Sal: Elementum autem est vita & spiritus in quo Astra Aquæ continentur, quæ instar matris è suo abysso proferunt omnia mineralia, salia, metalla, lapides, gemmas, arenas, & omnes Aquæ fructus, qui tamen è Terra effodiuntur. Cujusq; enim Elementi Astrum in peregrina regione & matrice parturit, suosq; fructus deponit: Et insigni prouidentiâ cuncta videntur ad Terram declinare, ejusq; fœcunditatem promouere. Sic Firmamenti fructus in Aëre absoluuntur, hinc inferiori globo cõmunicantur, sicuti nix ex Igne generata in Aëre & Terra reperitur. Aërei fructus ex centro ad circumferentiam procedunt, ibi coagulationẽ & perfectionem consequuntur. Aquæ semina in terræ gremio pariunt, deinde ad superficiem tendunt: Terra verò in hanc circumferentiam, in qua viuimus, vigemusq;, fructus suos educit: Granum enim in Terra productum, colligitur in Aëre super terram: Ita universorũ Elementorũ procreationes ad Humanam Prouinciam veluti ad desideratum terminum voluntario festinant impetu, & benignâ irrigatione, omnes naturæ partes fovent: Sic etiam æternæ legis immutabili decreto fieri videmus Aquam non plus producere, quam Terra enutrire, Aër fovere, & Ignis absumere possit. Ita Aër duplex est: habet etiam suum Elementum in se, tanquam inhabitatorem: Balsamum est omnium creatorum, & vita reliquorum trium Elementorum, nec subtilius Elementum à Deo creatum, quod per se vivit, & omnibus dat vitam, sine quo nec Firmamentum, nec Aqua, nec Terra possent suos fructus producere; imò Ignis sine aëre non posset ardere multò minus Ignis Crescentiæ Cœli videlicet Carbones lucere. Similiter Firmamentum seu Ignis etiam duplex est: & habet in se suum Elementum tanquam inhabitatorem, & illud Elementum habet in se omnia Astra & semina: Ignis enim Elementum seu Firmamentum corporeum, ex se emisit corpora stellarum, Solis, Lunæ, & Planetarum. Sicuti autem ex Terra crescebant herbæ, flores, & arbores, & manebant in Terra, ita etiam crescebant (tempore Creationis) ex cœlo corpora stellarum, & manebant in Firmamento seu Cœlo, in suis orbibus natantia ceu volucres in aëre. Duodecim signa Cœlestia in Zodiaco, cum

Tanta Elementi Aquæ potestas, ut ne spiritualis Regeneratio fiat sine Aqua, sicut Christus ad Nicodemũ dicit.

Ignis noster non est Elementum, cum instar mortis omnia consumat. Cœlum est Quartum & primum Elementum reliqua omnia in se concludẽs, quemadmodum testa ovum.

Nullum Elementum altero carere potest, sed semp commixtio quatuor Elementorum in generatione omnium rerũ reperitur.

Par. in Paramiro de Ente Astrorũ dicit Aerem ante omnes Creaturas creatum.

Omnia humida à Sole attracta è Terra consumuntur in aere, cuius fructus sunt species Terenjabin Mannæ.

Elementum Ignis secundum Paracelsum est Firmamentum Cœli.

co, cum aliis stellis in Cœlo sunt fructus Ignis, veniunt ex invisibilibus Astris Ignis: Quò enim firmamentum subtilius est Terrâ, cô fructus ejus aliorum trium Elementorum fructus superant subtilitate & operatione: Sic Septem gubernatores mundi nihil aliud sunt, quam fructus Ignis: Ex Elemento Ignis separati sunt & per separationem creverunt, vt in Terra flores vel herbæ, sed flores manent in Terra, in suo loco immobiles stellæ autem in Firmamento mirumè, ambulant enim in Igne, & DEI Prouidentia natant illa Spherica corpora in suis orbibus, sicut pisces in Aqua, pluma in Aere habentq; suum nutrimentũ à Cœlo: Sunt etiam duplices ut omnia alia creata, visibile eorum corpus oculis videmus tanquam lucentem lucem, invisibile Astrum seu spiritus sydereus in stellis aspectum nostrum fugit: Ita Solis corpus verè non est Sol, sed spiritus in corpore latens. Idem etiam de homine audiendum. Porrò quatuor dictorum Elementorum Astra sunt semina in quatuor matricibus, semperq; duo sunt simul & in uno, utpote Corpus & Astrum, Invisibile ac Visibile: Corporale crescit è Spirituali, manetq; in eo, ac ita propagantur Virtutes Invisibiles, Semina, Astra, per Corporale Visibile in multa millena millia: sicuti Ignis se augmentat in ligno, vel in materia convenienti semper unus Ignis ex alio oritur: Angeli se augmentare non possunt, quia non habent corpus: Homo se augmentare potest mediante corpore. Omnia crescentia, herbæ, arbores, pisces, aues, animalia, possunt se augmentare beneficio corporis hoc modo (Semen enim vel Astrum sine corpore nil facere potest) quam primum ubi Semen vel Astrum moritur, & putrescit in sua matrice, tunc Astrum progreditur in nouum corpus, & multiplicat se, ut Christus similitudine & exemplo Naturæ ipse utitur, & inducit granum Tritici quod in Terram projectum morte putrescit, & demum fert multos fructus seu grana, quæ eandem vim habent quam habuerunt priora, de quibus descendunt. Putrefactio consumit & separat veterem Naturam, ac educit novum fructum. Ideò Vita æterna nõ potest esse in aliquo corpore, nisi prius fuerit mortuum, quia mors est causa glorificationis ipsius corporis in Vita æterna, sicuti corruptio est causa novellæ generationis Diuinæ substantiæ: Vita prima herbarũ & medicamentorum moriatur necesse est, ut per Putrefactionem & Regenerationem operâ Chymici habeatur Vita secunda, in quâ Tria Prima cum suis arcanis viribus medico necessariis se demum manifestant, nam absq; Regeneratione nullum Medicinæ Arcanum, quod sine omni qualitatum complexione consistit haberi potest. Cognito

Sicut in Terra flores stellarum colores: Ita sydera in Cœlo Terræ pratum ostendunt.

gnitio itaque externo Mundo cognoscit Philosophicus Medicus etiam Hominis Corpus Physicum à Terra nutrimentum capiens, & Sydereum à Firmamento victitans, nempe Corpus Physicum nil aliud esse, quam Sulphur, Sal, & Mercurium (omnia enim Corporalia ut paulo ante dictum his tribus continentur) & videt crescentia non ex quatuor Corporibus visibilibus, nec humoribus quatuor sed ex Semine oriri invisibili, sicuti herba aut arbor è semine crescit. Non Anatomia Localis microcosmi & cadaverum, sed Anatomia Essata & Elementata mundi & microcosmi ostendit morbos & Recepta: Membra magni mundi sunt Remedia membrorum microcosmi, concordando externam & internam Anatomiam, non gradus contra gradus: Quemadmodum una Anatomia viri & mulieris: ita etiam una Anatomia morborum & medicinarum. Sicuti in Homine Homo morbi ita etiam in Medicina Homo Medicinæ. Ac licet arcana Herbarum virtus seu stellæ Cœli medici nobis notæ sint, potissimum tamen etiam considerandum est medico, ut sciamus Naturæ Concordantiam, videlicet quomodo Astrum Medicinæ seu Cœli magici cum interiori Hominis Astro & Olympo concordandum sit, propter hanc similem Anatomiam Mumia sistit sanguinem Humanũ, Luscinia morbis aranearum obnoxia esu illarum restituitur: Externum enim ducit ad Internum: sicuti est in magno mundo, sic etiam in parvo: Qui igitur cognoscit crescentia & fructus Terræ, herbarum, arborum, quod videlicet omnia è semine vel astris progrediantur, ille simul cognoscit in Corpore Physico tam varios morbos latere, qui morbi non ex quatuor fictitiis humoribus seu qualitatibus, sed propter Analogiam maioris & minoris mundi è semine verius oriuntur: morbis magni mundi cognitis, non sunt morbi microcosmi incogniti: Quot species mineralium in Mundo, tot etiam in Homine: Tot enim genera morborum quot species, corpora & semina crescentium: Numerus morborum non scitur, nisi quis sciat numerum omnium crescentium. In Elementis enim Humanæ Naturæ consentaneis, Semina fouentur, & Astra Cœlestia Aërea, Aquatica & Terrestria, quæ digestis decretisq; temporibus fructus producunt sanitatis vel morborum nuncios: Sic ergo tria prima sunt causa omnium morborum: In quocunque enim corpore illa per unionem conveniunt, illud vere sanum iudicari potest: in quo vero non (siquidem Sanitas in Temperatura consistit) morbum & mortis primæ radicem subintrasse plane statuendum est. Morbi hereditarii è semine vel Astris producti, partim vocantur Elementares, quia

Anatomia morborũ corporis ex Astris internis petẽda, seu impressionibus, causantibus medico magis necessaria quam illa Localis cadaverum

Basis verorũ medicorum, Morborum & Rerum Anatomia.

Causa & subjectum morborum.

Ex mineralibus microcosmi (quæ Iliadus omnia in se continet) multi oriũtur morbi.

Morborum origo ex tribus primis in quę Astra possunt aliquid imprimere, quemadmodum Ignis in lignum aut stramen, vel crocus in Aquam.

Morbi Elementares Elementaribus Remediis, Astrales Astralibus curentur: De his Astralibus Remedijs Sagaci & Adepto medico notis Galenici nil intelligunt.

quia qualitatibus calidis, humidis, frigidis se manifestant. Alii, quorum maxima pars. Astrales seu Firmamentales, qui oriuntur è Firmamento Hominis quod in Homine non minus integraliter continetur sicut Elementa: Et ut cõpori visibili crescit suus cibus à Terra: ita etiam sydereo Hominis spiritui seu Homini invisibili (qui exterioris domus incola est) ab Aëre & Igne seu Firmamento externo crescit suus cibus, videlicet ab Igne Firmamenti, ut artes omnes opificia, linguæ, facultates: Cœlum enim est pater & doctor omnium artium, excepta Theologia & Sancta Iustitia quæ non ab Astris, sed immediatè à Spiritu Sancto discuntur: Nam omnes Credentes & Renati manent incogniti & occultati Astronomo, ut videre est in Paracelsi Philosophia Sagaci Quemadmodum enim Magnes ferrum attrahendo spiritum Martis exugit, relinquendo æruginem, ita Homo habet duplicem Magnetem ratione corporis, partim enim Astra ad se trahit, & prout Apes è floribus & herbis mel, ita ex illis suum cibum exugit, Sapientiam videlicet mundanam sensus, cogitationes, partim vero sua vi attractativa ab Elementis allicit quotidianum nutrimentum carnis & sanguinis sui: Ac sicuti corpus Elementale attrahit Elementaria corpora per famem & sitim, ita spiritus sydereus Hominis à radijs superiorum sydorum, omnes artes, scientias, & facultates omnemq; sapientiam humanã Firmamentum enim est lumen Naturæ quod Homini omnia naturaliter influit. Porro Astra seu Elementa (quæ spiritus sunt) ἄποια, id est, sine qualitate, nec calida, nec frigida, nec sicca, nec humida, sed producta ex ipsis sunt qualitate pradita. E Terra enim provenit Papaver, Opium, Lolium frigidum: Flammula, Persicaria calida: Ex Elementis namq; contraria crescunt. Ex Igne crescit Nix, Pluvia, Ros, Iris, Tonitru, Grando, Corruscatio, & similes meteoricæ impressiones omnes, ab Archæo Firmamenti ex tribus primis productæ. Sunt enim fructus & egestiones, ut loquitur Paracelsus stellarum Firmamenti: imò sunt fructus invisibilium Astrorum, quæ in stellis sunt & invisibile visibile faciunt: Stella enim instar arborum Terrestrium suos fructus suppeditant. Inde manifestè liquet, quod morbi non curentur per contraria, quasi calor deberet frigus pellere, ac si Elementa ex Homine essent expellenda: verùm per arcana vel Astra quæ medicus beneficio Chymiæ ex materia ultima in primam reducere potest: Et hæc arcana nec frigida nec calida sunt actu, tollunt omnes morbos sicuti securis arborem cædit, quæ nec frigida nec calida est: Eusmodi etiam sunt Quintæ Essentiæ, Magisteria & similia.

Mors demonstrat hominẽ bipartitum in Externum & Internum: In Externo, qui est pulvis & terra, latet morbi materia, & illud quos affligit: id eò à simili medicina petenda, & Spargiricè à fæcibus separanda; Internus & Astralis Homo habet etiam sua medicamenta Medicinæ Adeptæ cognita.

Ex quo quid nascitur ex eodem etiam cibatur, nutritur, vivit, servatur, sanatur, ægrotat, punitur & moritur.

Nunc De Hominis Microcosmi Generatione Dignitate ac Excellentia aliquid auxiliante Deo dicturus sum.

Altissima & utilissima scientia est Dei cognitio & sui ipsius probè cogniti despectio. Lucæ 16. Paul. 2. Cor. 4. Ioan. 14. sect. 17. 10.

SIcuti summa Philosophia est animum illustrans se ipsum rectè nosse, ita extrema Turpitudo atq; morbus animi pestilentissimus se ipsum ignorare. Ignorantia, ait Trismegistus ad filium Tatium est maximus hostis, & primarius ultor intra unumquemq;. Vætibi homo qui negligis immensum patrimonium & talentum ac depositum tibi commissum seu Thesaurum in vase fictili reconditum & effodiendum non animaduertis. Non vides Deum in temetipso quem mundus non videt nec recipere potest, licet nobis intimior sit, quam nos nobismetipsis sumus siquidem in medio cordium nostrorum Dei spiritus habitat. In rei veritate toto vitæ curriculo, nil aliud discere possumus, quàm Divinum illud è Cœlo delapsum Γνῶθι σεαυτόν: Agrippa ergò piè & doctè disserit. Veram viam (secundum Apollinis Delphici oraculum præforibus ejus templi scriptum) ad veram sapientiam, perpetuamq; Beatitudinem consequendam sit te ipsum cognoveris, quia est in Homine omnium rerum, naturarumq; Vera & Realis possessio: insuper vel ipsius omnium Creatoris peculiaris perfectaq; Imago: Ideò oportere omnium rerum ac naturarum ipsiusq; Creatoris cognitionem (in quâ solum vera Sapientia Beatitudoq; consistit) à se ipso primum exordiri: sic quod Homo intelligens se ipsum, in se ipso, tanquam in quodam Deifico speculo intuea tur, intelligatq; omnia quo nomine David Ps. 139.* dicit Domine mirabilis est facta tua scientia ex me: E contra, qui se ipsum ignorauerit, nullarum rerum veram intrinsecamq; ac essentialem cognitionem habere possit: Nulla enim cognitio siue à Cœlo influxa, sive ingenii labore terrenâq; diligentiâ acquisita, perpetuò manebit in animâ, sed oblivioni sub ectâ trâsibit nisi sola illa quæ in abdito Intellectu Essentiali cognitione intrinsecus recepta est: ipsa autem Essentialis intrinseca cognitio non est ex Carne & Sanguine, nec in multitudine Librorum & lectionis, nec in pluralitate Experientiæ & antiquitate dierum, nec in persuasionibus Humani verbi, & contentione Rationis sed in ipsa passione Divinorum, non in discendo, sed in patiendo Divina, Hominis Mens perficitur. Totum situm est in cognitione, quia sumus ex omnibus & omnia in nobis portamus,

Prima Dei cognitio scire quid Homo sit. Aug. Ps. 39. Qui enim se novit Deum novit, quia Deus nusquã vult habitare, quam in Homine, vbi maximè conspicuus. Ab intra videmus Deum. * Sect. 14.

Dionys. in lib. Divinorum Nominum. Joh. 17. sect. 11. 12. 1. Jo. 4. sect. 17.

mus, non aliter, ut ipse Deus Pater noster. Filius æqualiter possidet omnia cum patre suo: Omnia ergo bona Naturalia & Supernaturalia antea sunt in homine, verum ut per peccatum obtenebratur in nobis divinus ille character, sic expurgato & expiato peccato, rursus ille magis magisq; illucescit: Concreata est nobis omnium rerum notio, & in meditullio spiritus latent cuncta, saltem opus est excitatione nostri à stercore & somno, qui per peccatum obdormivimus in donis à Deo oblatis, ut nec videamus, nec sentiamus, aut credamus illa bona esse in nobis præsentia: Est enim humanus intellectus maximarum disciplinarum capax, velut Platoni placet, priusquam corpori iungatur, omnium scientiarum plenus, qui corpore oppressus latet, ut ignis sub cinere sopitus, sed ab humoribus iam dictis excitatus & commotus splendet, & quæ suis thesauris delituerant, ostendit opes. Nisi enim omnes Thesauri cœlestis & terrenæ Sapientiæ antea essent in nobis, certè Christus non iussisset nos quærere, nec possemus invenire, si nihil esset à Deo nobis datum aut depositum. Nobis ipsis igitur probè cognitis in utroque lumine, secundum Spiritum & Naturam, tunc ope divina intra vimus ianuam apertam in nobis, & ante ostium cordis pulsanti Deo aperuimus, viventes secundum Dei voluntatem, omnia habemus necessaria ad præsentem & æternam tàm sapientiam, quàm vitam: Et ex hac sui contemplatione & cognitione sedula, oritur etiam immediatè vera Dei cognitio (neutra enim sine altera exacta & absoluta esse potest.) & potest homo bonam, magnamq; partem cognitionis eius Qui est, ex sui ipsius consideratione venari, siquidem omnes ad Dei cognitionem, pro data capacitatis gratia obligamur. Dionysius ait, Nos Deum non ex ipsius natura cognoscere posse, sed ex Creaturarum omnium ordinatissima dispositione ab ipso producta, ut imagines quasdam ac similitudines divinorum ipsius Exemplarium præ se ferentes. Homo, qui Deum ignorat, à Deo ignoratur, & qui relinquit Dei notitiam, à Deo relinquitur. Ignorantia autem Dei, omnium malorum fons, omnium scelerum radix est, per quã omnia vitia convalescunt & augentur: Sicuti è contra in omni probitate & innocentia, omnium rerum cognoscere & amare Principium ipsum, omnium creatorem Deum summa pietas, summa iustitia, summa sapientia, summaq; hominis felicitas est. Eam ob causam Salvator noster verè dicit, Hanc esse Vitam æternam, ut Patrem verum Deum Cognoscant Homines, & IESUM CHRISTUM, videlicet ut Trinitas in credente agnoscatur & colatur, quæ cognitio sola affert

Lumine Naturæ bene cognito, cognoscitur Deus. Apoc. 1. sect. 10.

Inexcusabilis est homo, qui ignorat Deũ. maledictus autem, qui illum agnoscẽ nõ veneratur. Ioan. 17. sect. 3.

vitam æternam: nam ambulans in Vita Christi nascitur Filius Dei, *natus Filius* Dei *necessariò habet Patrem, habens Patrem obsignatur Spiritu Sancto: Qui autem cognoscit Filium, etiam novit Patrem, nam hi unum sunt. Cognitio* Dei *est Beatitudo & Vita Aeterna, nam qui Deum in Christo cognoscit, fit habitatio & Templum* Dei, *& sic Deificatur, fit enim filius* Dei *ex Deo natus: Et sicuti per cognitionem Mundi visibilis pervenimus ad cognitionem Opificis invisibilis, ita ex Christo visibili seu vita Christi discimus nosse Patrem, nam est Via ad Patrem: sicuti autem nemo potest venire ad Filium, nisi audiat & discat ex Patre, ita nemo recte poterit cognoscere Mundi machinam, nisi doctus à Deo: Hinc patet Ethnicorum scripta de Natura plerunq; falsa esse, quibus Philosophia & reliquæ facultates contaminatæ & depravatæ sunt. Vanum ergò esset scientiam ab illis quærere qui in inquirendo omnem suam ætatem consumpserunt, ac tempus ac industriam perdiderunt, nec ullam veritatem invenire potuerunt, licet plurimi illorum ex ignorantia magis quàm malitia errore ducti & abrepti fuêre, Luce Veritatis illis nondum exorta, Lumineq; Naturæ à Spiritu Sancto necdum accenso Omnis vera Philosophia cum reliquis facultatibus è sacris Literis fundari debet & redire in Deum, ut semen inter spinas ob defectum Solis apud Gentiles suffocatum, apud Christianos renatos ad perfectionis complementum deveniat: ad perfectionem omnium artium requiritur Renascentia, & vera Philosophia debet esse fundata supra lapidem angularē Christum: Quapropter summoperè nobis cauendum est, ne permittamus Ethnicorum errores Philosophicos supra Christianæ Philosophiæ rationes militare. Soli namq; Christiani, quibus Veritas insita est semen ex Deo ad Philosophiam beneficio Regenerationis Ethnicis denegatæ habentes, verè & sine errore & philosophari, & reliquas facultates rectè tractare norunt. Post effusum enim Spiritum sanctum credentes possunt esse ex Deo docti. In summa in cognitione Dei totius mundi Thesauro omnia sita sunt, adeò ut sine hac nemo possit venire ad Vitam æternam: Nam cognitionem sequitur Fides, Spes, Amor, Amorem sequitur Adhæsio, Adhæsionem sequitur unio, in unione sita est Beatitudo & Sapientia. Hanc Regenerationem intra secretam religiosi pectoris sui silentio tectam sacer* HERMES *& alii corde mundi, & vita sancti viri, ante incarnatum* VERBUM, *per Spiritum sanctum illuminati melius cognoverunt quàm è nostris plurimi, qui se Christianos vocare solent, & malunt potius Dei cognitores, quàm amatores*

Quò quis magis cognoscet Deum, eò magis ipsum amat, & eò firmius credit in ipsum, & qui amādo credit Deo, eidē adhæret, & qui Deo adhæret, fit unus spiritus cum ipso.

Theologia enim est fons naturalis & supernaturalis scientiæ.

In Pœmādro.

amatores videri. O magnum miraculum, Homo cuius animus Deo per Christum unitus, veram possidet omnium rerum Sapientiam, & omnium arcanorum cognitionem absolutissimam.

1 Ioh. 2. Sap. . Ion. 7.

Porrò qui cognoscit se ipsum, Fundamentaliter cognoscit in se omnia, ac intra Tempus & Aeternitatem locatus supra se contemplatur Deum æternum Creatorem suum, ad cuius imaginem & similitudinem cum reliquis Angelis est amore imperscrutabili conditus: Iuxta se novit Angelos æui æternos pares socios & comites, à quibus corpore, & futuro iudicio saltem discriminatur: Infra se magnum videt Mundum visibilem, cuius simulachrum gerit & omnes creaturas, cum quibus symbolum habet, videlicet Parentem suum, ex quo natus est, secundum externum & mortale corpus. Natura enim homini versatilis & versipellis, ingenii vero Proteo, *flexibilem indidit animum, ut in medio huius Mundi Paradiso constitutus, Divina cooperante Gratia sursum se erigendo in Quietum Angelum regenerari, vel fortunæ suæ faber deorsum serpendo in Inquietum Brutum degenerare possit. Sed Creatura rationalis libera, neglecta paterna admonitione, & obedientia debita, instar furis & latronis è medio ad se ipsam reflexa, spreto Creatore suum* MALUM *& Proprium Nihil, voluntario damno & exitio experta est: Et ita abutens indulgentissimi Patris liberalitate, quam dederat ille liberam optionem è salutari sibi noxiam fecit, & non contentus sua sorte more Luciferi ambitiosè appetens altiora ex opposito se locans cōtra Deum, tandem ex deliciarum horto insperata metamorphosi in hanc lachrymabilem & tenebrosam Miseriæ & Ignorantiæ vallem deiectus fuit. Primus enim Homo relictus in manu consilii sui, sponte sua, à recta calle declinavit in extremum Miseriæ gradum, & vtriusque Boni & Mali possessionem in sui perniciem appetiit, prout Hermes & Moyses sufficienter demonstrant. Homo, mundi copula ultimum animal admirandum & honorandū sexto die loco lapsorum Angelorum post reliqua omnia è* LIMO TERRÆ, *seu totius mundi machina visibili è Cæloseu cœlestibus sphæris & Terra compacta, videlicet è subtilissima Essentia totius machinæ mundi in unum corpus cōcentrata, extrahitur & formatur à summo Spagyro in formam corporalem: nimirum è præstantissimo composito & subtilissimo Extracto totius mundi, ex Centro omnium circulorum Ideo Nazianz. de Hominis opificio, Homo à Deo post reliqua factus ut Deus in ipso exprimeret, sub brevi quodam cōpendio quicquid diffusè antea fecerat omnia vi-*

Anima enim Dei proles & imago. Apoc. 22.

Siracid. 15. sect. 14. Ier. 21. sect. 8.

Gen. 2. sect. 7.

Arrogatio enim alterius bonorum necessario duo incommoda affert secum, Furtum videlicet & sui ipsius Latrocinium & mortem. Lapsus est defectus ab unitate ad alteritatem.

Creavit hominem Deus ut numerus & ruina Angelorum inobedientiū in Regno cœlorum restauraretur.

delicet membra totius mundi. Quemadmodum enim tota Oratio ex alphabeto & syllabis, ita Microcosmus seu Limus Terræ ab omnibus corporibus & creatis extractus & compactus est. Summus ac omnium opifex Deus æternitatis, accipiebat Quintum esse, ex omnibus creatis, & ex illis singebat ac componebat Hominem horum omnium Principem & Finem, eiq; tanquam Filio in Terra locum celsæ Divinitatis eximium tenenti congratulatus est: Ex parte corporea seu corruptibilis Naturæ gerit imaginem Macrocosmi sensibilis & temporalis. Ex parte Animæ seu immortalis Naturæ gerit Imaginem mundi Archetypi, id est, immortalis sapientiæ ipsius Dei Ita in illum ingrediebantur omnes Animalium, Vegetabilium & Mineralium proprietates: insuper ei Anima vivens inspiratur. Iam Deus est omnia à se ipso: Homo est omnia à Deo factus: Ideo ultimo creatur, ut per ipsum notaretur absolutio & perfectio rerum omnium. Et est Homo nexus, vinculum, nodus, compages, ac fasciculus omnium Creaturarum: Omnia enim creata, sunt ad ipsum ordinata, eumq; tanquam Dei œconomum in huius mundi Hortum locatum respiciunt ac venerantur. Et sicuti Deus est Centrum & Circulus omnium à se productorum, (universæ siquidem Divinæ Bonitatis opera circularia sunt & perfecta, ad ipsum, à quo prodierunt, sphæricè rotata) Centrum quod omnia ab ipso manant, & qui a omnium rerum Essentia omnia etiam penetrat: Circulus autem, quod veluti omnicapax Tabernaculum omnia concludat ac complectatur: Intra Deum enim omnia, extra quem nihil tàm ante productionem, quàm post productionem rerum, sublato videlicet hoc mundo visibili. Ita etiam Homo ad Creatoris sui imitationem, est Centrum Creaturarum, & Circulus omnium earundem. Nam non solum ad ipsum omnia in mundi machina respiciunt, tanquam ad Ducem & Rectorem, propter quem omnia etiam sunt creata: verum etiam supra ipsum ut Punctum medium & Retinaculum omnes Sphæræ suos radios, operationes, reflexus & influxus omnes item Creaturæ suas vires effundunt. Circulus vero Homo dicitur, quod in se omnes creaturas contineat, & omnia ex summo Bono manantia secum reducat ad fontem Aeternitatis, ex quo originaliter singula fluxerũt & emanarunt. Prima Dei imago Mundus, Mundi Homo, Hominis Animal, Animalis Zoophytum, illius vero Planta, Plantæ autem Metalla, & horum lapides, similitudines imaginesq; repræsentant. Magnus ergo mundus cum mundo parvo per omnia unus, instar prolis cum parente suo, à prudenti Antiquitate sapienter quidem

Ps. 8. Omnia subjecisti pedibus ejus: Paracelsus excipit quatuor elementorum saganas & incolas.

Voluit Deus creator, ut omnia per hominẽ sibi honorem exhiberent.

Sicuti Terra est corpus receptivum omnium seminum, sic etiam Homo.

dem μικροκόσμῳ, à multis verò hodiernis sine ullo intellectu ita vocatus, quod magnus visibilis mundus sit factus homo: Et quemadmodum magnus mundus bipartitus Visibilis & Invisibilis, ita etiam Homo parvus mũdus duplex est Visibilis secundum corpus, Invisibilis secundum spiritum: Sunt autem in Homine duo spiritus, unus è Firmamento sydereus Spiritus, alius venit è spiraculo vitæ, & ore Altissimi est Anima Intellectualis à Deo inspirata. Ita homo habet tres partes, Corpus mortale cum sydereo Spiritu, & Animam Aeviæternam, quæ est domicilium Imaginis DEI *vel Spiritus sancti in Homine. Si Homo voluntate propriâ vel arrogatâ vivit, secundum Carnem & Sanguinem saltem, sensualiter est Brutum, & cognoscitur an secundum Paginæ sacræ Epitheta, sit Canis, Vulpes, Lupus, Ovis, Sus, aut Viperarum progenies, sicuti inferius in Tractatu de Signaturis disseremus latius: geminare enim hic sermonem superfluum foret: Si vivit Rationaliter, tunc est Homo, & dominatur Animantibus in suo corpore: Si vero imaginis* DEI *proprietate observatâ vivit secundum Dealem Spiritum ex Arbore Vitæ, seu secundum Talentum & Thesaurum in fictili sibi concreditum ad depositum, dominatur Astris & omnibus rebus. In homine omnia sunt comprehensa & ipse fert omnia in se: Ex quo enim factus est, illud fert in se: E mundo factus est, & mundum gerit in se, & à mundo geritur Porrò sicuti Prima materia (quæ erat Essentia quædam ineffigiata confusa, quam Matrem mundi seu Chaos & Hylen Philosophi nominarint) erat semen magni mundi, ita magnus mundus est semen Adami: ut enim Mundus absconditus erat in Aquis invisibilibus supra abyssum, ita Adã occultatus jacebat in mundo. Prima materia fiebat mundus, & Magnus Mundus fiebat Homo. Sicuti Arbor crescit è semine, semen est Arboris Initium, & semẽ est etiam Finis Arboris, quia in quolibet grano seu semine Arboris iterum absconditа est Arbor alia: Ita Prima materia (quã Paracelsus Limbum nominat, cujus Terra erat* VERBVM *Domini) erat semen omnium creandorum. & Homo erat ultimus inter omnes quasi perfectum semen, quod ex se iterum gignere potest alium hominem qualis ipse est. Et licet Homo non sit semen ut aliud semen, tamen habet potentiam de se emittendi semen, è quo similis Homo producitur, qualis ipse est: Et ut Adam totum mundum in se gerit omniaq; creata, ac à mundo conservatur, ita quilibet ex eo natus idem gestat, quod ipse gestavit videlicet totum mundum, ab illoq; etiam gestatur & conservatur ut Adam: Omnes Homines unus Homo è carne, sanguine, & spiritu*

Spiritus primus ex Limbo, secundus Spiritus è verbo FIAT.

In Homine duplex est Sapientia, Angelica secũdum quam vivendũ, & Animalis quæ negligenda.

Renascentia malam genesin vincit. Luc. 19. sect. 13 Mat. 7. sect. 12 Mat. 15. sect. 15

Corpus Invisibile Hominis ex spiraculo DEI, sive Æviæternum, nõ subjicitur Astris vel Astronomo. Genes. 1. Matrix enim mundi est Aqua supra quã Spiritus Domini ferebatur. 2. Petri 3. Terra ex Aqua emersit.

Quemadmodum statuarius è ligno & figulus ex argilla mille diversas formas ad placitum fingunt, ita Deus

ãmateria prima omnia creata extraxit.

Homo est q. Terra sive ager omniã semina in se continens.

Sicuti filius non minor est patre suo: Ita Homo non minor est Mundo.

Nemo cognoscere Imaginem potest nisi cognito illo cuius est Imago.

Hermes Hominem vocat Deum Terrenum.

Gen.2. sect.7. Hominis perfectio & dignitas.

Sic Deus & Homo uniri non possunt nisi per medium Saluatorem nostrum de duobus naturis Cœlesti & Terrestri, Divinâ & Humanâ participante.

Par. dicit Animam seu Spiraculum vitæ per Astra ceu medium infundi in corpus Elementare à Deo.

MENS.

Zach.12.sect.1
Gen.2 sect.7.
Es.42.sect.5.
Sap.2.sect.21.
1.Io.2.sect.27.
1.Io.4.sect.14.

ritu. Ergo cognitio Hominis debet sumi ex utroque Lumine quia filius non cognoscitur ex se ipso solo, sed è patre Homo autem habet patrem duplicem Aeternum cujus imaginem gerit: & Mortalem, qui est totus mundus cum Creaturis omnibus id est LIMUS TERRÆ *seu Arcanum & Esse omnium Creaturarum pretiosissimum, omnibus Philosophis, Medicis, Astronomis & Theologis ad considerandum & examinandum propositum. In Homine enim ipso minore mundo, non est membrum, quod non respondeat alicui Elemento, alicui Planetæ, alicui Intelligentiæ & alicui Mensuræ ac Numerationi in Archetypo. Corpus Visibile Animæ idoneum indumentum ac domicilium Homo ab elementis habet, Corpus invisibile seu Animæ currum & vehiculum (quo intellectualis Anima & Terrenum corpus instar extremorum ceu nodo glutine, ac confœderationis vinculo connectuntur, atq; hoc medio tertio de vtroq; participante in unum integrum Hominem copulantur & uniuntur) Sydereum, Aethereum & Astrale à Cœlo seu Firmamento possidet. Per hoc medium, æthereum videlicet corpusculum, Anima intellectualis, jussu* DEI, *qui mundi maioris Cẽtrum est executione Intelligentiarum utpote Spirituum* DEI, *in punctũ Cordis medium, quod est Centrum mundi minoris (corporis videlicet Humani) primum infunditur & descẽdit, exindè per universas sui corporis partes, mẽbraq; diffunditur, quando currum suum naturali jungit calori per calorem spiritui ex corde genito per hunc se immergit sanguini, per illum inhæret membris, atq; his omnibus æquè sit proxima. Et quia dictum Aethereum corpus à cœlo participat, eundem etiam cursum retinet & servat cum cursu Firmamenti, cuius vires peculiari vi magnetica haud secus ad se attrahit quàm visibile corpus Elementorum efficaciam atq; sic manet cum ipso mundo visibili & invisibili unum, tanquam filius cum suo parente, quemadmodum Rubedo in Vino & Albedo in nive: Est enim in nobis totum Firmamentum cum Planetis & stellis & quemadmodum Calor fornacem ferream ac Sol vitrum penetrat, ita etiam Hominem sydera cum omnibus suis proprietatibus, sicq; ex sydereo Firmamenti spiritu possumus omnia Naturalia discere.* Animam Intellectualem *& Immortalem (quatuor superius memoratis Elementorum incolis, ac brutis insuper animantibus denegatam) ad* DEI *imaginem & Divinæ* TRIUNITATIS *simul ac* UNITATIS *similitudinẽ creatam seu Spiritum* DEI, *inhalatione habet Homo ut sic etiam unus sit cum Parente cœlesti per omnia: Et si enim in nobis per suum Spiritum, ex quo discimus Theo-*

Theologiam sacram, omniaq; cœlestia & terrena Arcana sine errore. Imò in ipsa sumus, vivimus, & movemur. Ac ut Deus est unus in Essentia, Trinus in Personis, sic Homo unus in Persona, Trinus in Essentia distincta, scilicet terreno Corpore, Spiritu æthereo Schamaim, ac viva vivificante Anima à Deo inspirata & Dei domicilio Triunus compositus est: Hoc testatur iuxta sacram Scripturam mirabilis concordantia Creatoris cum Creatura, in qua summus Creator voluit manifestari Vnitrinus seu Triunus: insuper unanimis consensus omnium verè philosophantium è lumine Naturæ: Si qui fortè sint, qui negent has tres partes oportet tamen ut fateantur, hominem è LIMO TERRÆ *per verbum* FIAT *creatum, etiam æternum Spiritum seu spiraculum vitæ ex ore Dei inspiratum, Limum videlicet Cœlorum à Domino accepisse. At Limus terræ duplex est visibilis & invisibilis: Corpus seu domicilium habet à Terra & Aqua: Vitam seu incolam ab Aëre & firmamento Ignis, hoc est, Spiritum sydereum qui verè homo est non Caro & Sanguis: Et sicuti Spiritus sydereus est vita corporis, ita Spiritus Domini est vita intellectualis Animæ: Et ut sydereus Spiritus in corpore habitat, ac dies & noctes operatur, quia hic invisibilis homo est ipse Firmamentum & omnia in se habet, ita Spiritus Domini,* DEI VERBUM, *Homo æternus in Anima habitat: Domus est habitatio Animæ, Anima est habitatio & domicilium Dei. Cùm igitur Homo (complementum omnium operum Dei perfectissimum, totius universi completissima imago, & expressissimum Dei simulachrum, in quo creando quievit, ut nil honoratius creandum præ manibus habens, in ipsoq; veluti supremo artificio, conclusa & consummata est omnis Creatoris sapientia & potestas, quia omnia in se continet, quæ in Deo sunt) sexto die ex omnibus compositus, Creaturarum sit ultima & Imago non solùm Dei æterni, sed etiã mundi magni quia cum illo omnia in se complectitur ac cõtinet: sequitur quod tres etiam Mundi seu Cœli in homine reperiantur, & quod à tribus Mundis geratur, vel potius omnis sit Mundus, & totius universi exploratissimum exemplar: Ideò à quibusdam Quartus Mundus vocatur, in quo omnia illa inveniuntur, quæ sunt in reliquis tribus, qui etiam propterea Omnis Creaturæ appellatione censetur. Habet enim Spiritum seu Mentem à Deo. Quid enim est Spiritus Hominis ab Altissimo inspiratus aliud, quàm ipse Deus in nobis habitans? Corpus invisibile, seu verus internus Homo ratione & Spiritu Astrali constans cum Angelis congruit, est enim socius illorum:*

Luc.1. sect.47. 1. Thes 5. sect. 23.

Gen.2. sect. 7. Vide Amphitheatrũ Khũradi cedro digniss.

Paulus summus Philosophus & theologus ẽt tres hominis partes ponit, spiritum, animã, & corpus.

Duæ animæ seu duo Spiritus sunt in homine mortalis ex Limo, estq; vita corporis: Immortalis ex Deo.

Spiritus vita est Animæ: Spiritus & Anima vita sunt corporis.

Ioh.14.

Deus creavit hominem, ut esset suum tabernaculum, tam in hoc, quàm in futuro sæculo.

Manil. exemplumq; Deiq; est in imagine parva.

Naturatum sapit naturam

sui naturantis. In Anima tanquam Hominis Cœlo Deus habitat.

lorum. Et si verus est Magus, Angelis non est inæqualis in omni operatione Magica, & est Dominus ac possessor omnium rerum. Corpus mortale Physicum ex machina mundi, & omnibus creatis possidet: omnia enim externa nil aliud sunt, quàm Corpus Hominis. Ideo etiam cum Triplici mundo Archetypo seu Deali intelligibili seu Angelico, sensibili elementali seu corporali communicat, & cum omnibus symbolum operationem & conversationem habet.

2. Reg. 2 cap. sect. 24.

1. Mens, νῦς, Animæ seu spiritus rationalis auriga, instar æterni Dei concludit omnia Entia, tẽpora, loca.

Communicat enim cum Deo Archetypo Animo seu Mente, quia ad imaginem eius propter spiraculum vitæ factus est. Anima intellectualis divina Animæ quædam particula est, qua ipsa Deus Mentis suæ semina quædam, & effigiationem in nobis expressit, non absimili ratione, quam ut Echo ex reverberatione aëris vocem suam de longo remittit, quo ipso vegetalem exprimit animam. Mens verò elevata in Deum altissimum, & cum ipso unita conversatur cum Deo, & eadem opera efficit, nec reperitur aliquid in homine, non ulla dispositio, in quo nõ fulgeat aliquid diuinitatis, nec quicquam est in Deo, quod ipsum non repræsentetur in homine.

2. *Cum Angelis symbolum habet ratione Corporis invisibilis & Animæ rationalis cuius beneficio operatur & conversatur cum ipsis, & eandem habet cum eis sapientiam: Est enim Gabalis socius Angelorum. Sicuti etiam cum Firmamento & stellis, à quibus illud corpus Astrale seu Spiritum sydereum accepit, qui verus homo est Astralis, quia Caro & Sanguis non est homo, sed Spiritus in illis contentus, qui Spiritus Astralis est subiectum Rationis humanæ sensus, & sapientiam continentis, & cum Corpore fit Animal. Hinc Spiritus & Astra in homine unum sunt, at Corpus est huius Spiritus subiectum: Et sic Astra regunt Hominem in Spiritu, & Spiritus hominis regit Corpus in Carne & sanguine: Hic Spiritus mortalis est: Anima intellectualis verò à Deo inspirata sola est immortalis.*

3. Sicuti homo re ipsa continet totam naturam corporalem in suo corpore: Ita secundum intellectum cõtinet omnem mundum.

4. *Cum Elementis: nam ab his accepit Corpus physicum terrestre mortale: Et quia mundus parens Hominis etiam secundum Paracelsum in se habet quatuor incolarum mũdi quatuor Spiritus elementares insuper etiam quintum genus Flagarum in millia genera divisarum, ac Animæ macrocosmi incorporatarum, Imaginatio horum quinque Spirituum in Elementis etiam in homine microcosmo erunt, sed usus rationis hominis secundum voluntatem & mandatum Dei est Catenæ instar, qua eiusmodi quinque Spiritus coguntur & ligantur, ut cum sua Imaginatione quiescant.*

Cum

Cum Elementatis Animantibus, Vegetabilibus & Mineralibus omnibus: Horum enim omnium Naturam & proprietates in se possidet.

Ergo Homo ultima Creatura præstantissima & nobilissima est, quia totius mundi partes habet, & nihil est in majori mundo, quod in ipso Homine realiter non reperiatur. Filius per omnia similis est parenti, cognito parente cognitus est filius. Homo itaq; miraculum Naturæ maximum & admirabilissimum Extractum & Nucleus quatuor Elementorum, summum DEI τέχνασμα, *& consummatissimum mundi Exemplar, verè est Omnis Creatura quia est omnis mundus, solusq; hoc honore gaudet, quod cum omnibus symbolum habet, & cum omnibus operationem & cum omnibus conuersationem: Imò ad tantam ascendet perfectionem, quod efficitur filius* DEI, *transformaturq; in eandem imaginem, quæ est Deus, & cum ipso unitur, quod neq; Angelis, neq; Mundo, neq; cuiq; Creaturæ datum est, nisi soli Homini posse scilicet filium* DEI *fieri & uniri Deo.*

5. Ex nihilo omnia, & ex omnibus Homo. Msgnus mũdus erat matrix Adami, sic omnium natorum matrix mulieris est tota mundi machina. Ioh. 17. sect. 11. 21. 22. 25.

Sed antequam ulterius progrediamur, ipsa hujus loci necessitas exigit, ut paulo fusius agamus de Sydereo seu Invisibili Homine, videlicet de ortu ejus & potentia. Hic Spiritus Olympicus si ab Aristotele observatus, & à Galeno æstimatus fuisset, non tàm insignem ab Ethnicis errorum magistris promanantem intulisset in Philosophiam & Medicinam errorem, ut tunc Theologiam taceam. Homo invisibilis seu Olympicus Spiritus, hunc in modum nobis innascitur. Adam & Eua non ex aliis parentibus sicuti nos posteri, sed ex LIMO TERRÆ *seu magno mundo, ut modo dictũ, producebantur, quoad corpus Mortale, quod est Visibile & Invisibile. Tota enim mundi machina collecta & redacta est in Microcosmum, ita ut nil in toto mundo reperiatur quod idem etiam non sit in uno Homine. Corpus Physicum, Elementare, Visibile & Tangibile ex Terra Corpus vero Invisibile, Insensibile, Sydereum (quod est domicilium vitæ Spiritus) ex Astris Firmamenti accipiebant: Sic Adam duo habebat corpora, Visibile scilicet Elementale & Invisibile Sydereum: Iam ex propagatione duo semper nascuntur Homines Corporeus, Elementalis, Visibilis, organum & instrumentum Invisibilis, & Incorporeus Astralicus, qui movet, gubernat & efficit artificia. Nam Astra in Homine per Hominem semper nunc in generatione ista duo producunt: Corpus quidem Visibile Elementare, ex quatuor Elementis, ex carne & sanguine in utero matris. Corpus vero invisibile, Sydereum, Philosophiæ Adeptæ capax, ex Astris Firmamenti: Manet enim iste Homo parvus mundus idem &*

Tam sensibile quam insensibile habet in se spiritum sydereum seu corpus sydereum. Eva est transplãtatus Adã Primi Hominis è creatione, reliqui ab Ente seminis proveniunt. Spiritus vitæ id est spiraculum. Spiritus Limbi, id est sydereus Animalis. Corpus Limbi & spiraculi debent esse unũ conjugium,

E 2 unum

alioquin natio prava & adultera: Nam sicut conjugium duorum est in omnibus perfectio, sic adulterium impedit Lumen Naturæ. Vide Par in Philosophia sagaci.

Paracelsus dicit Elementum Ignis seu Firmamentum etsi sit subtilissimum, esse tamen corpus, quia fructus ejus sunt corpora, & absque corpore tales fructus non possent procreari.

Sic ventus est corpus habens Potestatem instar visibilis corporis aliud corpus evertendi: visibilia enim nō tantum sunt corpora sed tam visibilia, quā invisibilia a Deo creata sunt corpora eiusdem potentiæ.

Interior Homo Cœlum Internum Ascendens, Constellatio Particularis.

Hic Spiritus est verè Astronomiæ Doct.

Esus pomi in vigorem produxit hoc corpus sydereum

Semē, Astrū, Vulcanus, Archæus idem sunt, & unus spiritus, sine Ratione tamē at diversus prout sunt diversæ multarum rerum formæ.

Spiritus Astralicus in quolibet crescente eget corporea habitatione.

unum per omnia cum suo parente, qui est mundus magnus. Verùm sicut magnus mundus testâ sua distinguitur ab Angelico mundo: Ita Homo minor mundus cute sua distinctus est à magno mundo Hinc sit, ut Sydereus, Internus, Olympicus, Incorporeus Homo seu Gabalis idem sit cum Firmamento Astrorum ut jam sæpius dictum, quod Rubedo cum vino, Albedo cum nive vel Solis splendor cum aëre: Altera ergò pars Hominis, seu hoc sydereum corpus, vocatur Hominis Genius, quia à Firmamēto oritur dicitur etiam Penatis, quod penes nos, seu nobiscum nascatur, umbra visibilis corporis, Lar domesticus, Homo umbratilis, Familiaris Sophorum Homunculus, Dæmon seu Genius bonus, Internus Paracelsi Adech, Spectrum, Naturæ Lumen, Evestrum præsagiens & Propheticum in Homine: Vocatur etiam Imaginatio quæ in se claudit omnia Astra, est q̄ omnia Astra, & eundem cum Cœlo retinet cursum Naturā atq̄ potentiam Jam *Astra (non enim loquor de septem Carbonibus Cœli visibilibus, Astrorum scilicet corporibus, sed de invisibili & insensibili corpore Rerum omnium seu Astrali Spiritu) nihil aliud sunt quam Angelorum virtutes: Angeli vero solo* DEI *aspectu se cibantes) sunt Sapientia* DEI *creata: Hinc sit, ut qui Deum cognescit etiam Astra habeat cognita: Cognitis autem Astris Mundus non potest esse ignotus, sic deinde mundi proles homo Astra formant ac producunt ex se omnia corporalia, & productis corporalibus simul etiam sese multiplicant: ut semen Frumenti seu Tritici est Astrum, corpus videlicet invisibile, hoc projectū in Terram producit ex se corpus visibile, & multa alia Astra ex sese progignit: Sic in aliis crescentibus ac viventibus fit. Est autem Astrum nil aliud, quam Corpus insensibile, invisibile, seu Spiritus vivus, sine Ratione tamen in crescentibus: at in vitam habentibus ut in Homine, cum Ratione est q̄ diversus, prout sunt diversarū Rerum formæ. Corpora autem nihil aliud sunt, quam Excrementum Astrorum, ex operatione eorundem producta in esse corporeum. Hoc quodlibet Astrorum potest per se, ut imaginando, formando, per operationem ex sese producat aliud Astrum corpore conclusum. Nullum enim corpus est sine Astro, sicut è contra nullum Astrum absq̄ corpore visibili. Cum autem Hominis Imaginatio non unum sed omnia Astra sit, etiam certè non unam, sed multas producit operationes: Et licet imaginatio sit incorporea ac invisibilis, exaltata tamen & firmissimæ Fidei Naturali seu Ingenitæ, instar Miraculorum* Januæ cou unctæ, *fons est & initium omnium Magicarum operationum, & absq̄ Astralis & sydereis piritus detrimento aut diminutione*

Interior Homo est ipsum Cœlum seu omnia Astra.

Lege apud Picum quomodo Trithemius aliquando varia Evestra Triplicis mundi alternatim sibi imposuerit in variaq̄ figurarū genera se transformarit, & hoc pacto ipsi Procopenti Hominis ad DEI Imaginem creati potentiam absconditam Reali demonstrarit Magia: Speculantes transformamur in id, circa quod Speculatio intentè suscipitur. Intellectus Hominis omnibus assimilatur.

nutione potestatem habet gignendi & producendi corpora visibilia, & quascunque operationes mirabiles præsens, absens, supra humanæ Rationis captum proferre potest. In corporalibus Lux Naturæ omnia facit visibilia, sic in æternis sola Fides omnia facit visibilia Per Imaginationis impressionem fœtus in utero matris afficitur signo notabili sine corporali contactu: Quod corpore facimus visibiliter, id fide facimus spirituum more: Ita Imaginatio efficit pestem & similes morbos Firmamentales, inducit morbos ac sanitatem. Pestis, quæ ex timore terrore & metu provenit, oritur per Imaginationem spiritus minoris mundi seu spiritus syderei & Animalis (qui est mechanicus Astralis) in Homine ut videmus in gravidis per eundem spiritum sydereum notam fœtui in utero imprimentibus: Hic spiritus sydereus ex Astris Homini innatus (ideò etiam unitus manet cum Astris) est Magnes & magneticæ Naturæ in Homine. quemadmodum enim Terrestris Magnes suo corpore spiritus est, & ad se trahit: ita etiam corpus & spiritus in Hominis corpore visibili attrahunt, & hic est Magnes microcosmi: Sydereum corpus & spiritus attrahunt ad se vires Astrorum, ut in Lunaticis videre est, ubi manifestantur convenientiæ, proprietates & affinitates talium virtutum magneticarum, quas spiritus & corpus sydereum Hominis cum Astris habent Hæc Quarta species Magiæ Naturalis Gamahaos dicta, ad umento artis omnia invisibiliter & spiritualiter facit, quæ alioquin natura, absq̄ eiusmodi arte adhibitâ visibiliter & corporaliter facere potis est. Domus est quasi mortua, sed Incola, putà spiritus motus perpetui Naturæ invisibilis, Animæ ve mundi scintillula magnetica vivit, & efficaciter operatur. In Astro Firmamenti latet omnis sapientia animalis, opificia, artes, scientiæ, omniumq̄ rerum cognitio. Nihil est ita occultum in mundo, quod non sit præfiguratum in Astris, imo omnia Astra Firmamenti, quæ sunt Tinctura speculationis Animi nostri, possunt imaginando ex suâ vi ingenitâ res corporales & visibiles ex non apparenti producere, ut iam sereno cœlo mox producitur nubes magna, & ex ea fit pluvia, lacus, nix, ros, tonitru, grādo, quæ licet ante productionem Nihil sunt, tamen ex invisibilibus producta fiunt magna corpora Hoc exemplo innotescet nobis omnia in prima Creatione producta fuisse ex NIHILO DIVINO, *seu Invisibili Puncto Cabalistico in aliquid quod in momento Deus fecit, quia opera ejus non patiuntur moram temporis: nam ex invisibilibus Tenebris omnia processerunt & evocata fuerunt (*VERBO *dicente & spiritu fovente) ad visibilem*

Imaginationis Impressio ex Timore, Terrore, Mœrore est morborum & mortis origo: sicuti Splendor Solis per vitrū, ita Astra pestē per cutem immittunt.

Sapientia est principū Incātationes & ea faciunt. Astra quę dicit Sapientia Humana.

Ratione corporis elementaris est Spiritus, & perficit etiam spirituales operationes.

Cœlo omnia notissima sūt, omnes actiones, & evēctus hominum in Astris depictæ sunt.

Quodlibet Animal suum in Cœlo habet signum Ascendens, sic etiam Homo talis.

Corpus omne ex Spiritu invisibili & incomprehensibili subsistente producitur.

Triplex NIHIL, Divinum, Privativum, Negativum.

Hoc est Organum Luminis Naturæ seu Astrorum.

Cœlum totum nihil aliud est quam imaginatio, operatur in Homine pestes, febres sine instrumento corporeo.

Fide possumꝰ operari bona & mala cõcedente Deo.

Hæc est ars Gabalistica.

Magia seu Fides montes transplantãs, imperium habet in omnes spiritus & ascendentes.

Lucem. Cum autem Homo ex Astris Firmamenti suum sydereum corpus accipiat, & Hominis Imaginatio tota ab Astris Firmamenti pendeat, imò eadem sit & una maneat cum ipsis, necesse est Firmamentum quoq; habere Imaginationem sed sine Ratione, sicuti Homo proles mundi cum ratione. Homo ictu, jactu, alterum lædit, idq; cum Ratione: urtica & Ignis urunt & lædunt sine Ratione. Præterea cum Homo sit majoris mundi Quintum esse, sequitur etiam Hominem non solum imitari posse cœlum, sed illud quoq; regere suo nutu, atq; etiam dominari si vult. Omnes res habent naturalem obedientiam ad animam, & de necessitate habent motum & efficaciam ad id quod desiderat Anima forti desiderio, & omnes virtutes operationesq; Rerũ Naturalium obediunt illi, quando fertur in magnum excessum sui desiderii universas mundi virtutes in nostrum ministerium cogit, attractâ virtute ab ipso Archetypo operum nostrorum virtute, ad quem cum ascẽdimus, necesse est omnem Creaturam nobis obedire, totusq; nos sequitur cœlestium chorus. Per Fidem Naturalem Ingenitam, quâ ipsis spiritibus paricamur, omnes magicæ operationes atq; omnia mirabilia efficiuntur Imaginatione accedente. Imaginatio operatur in homine instar Solis: ut enim Sol corporeus sine instrumento operatur in subjectum, redigendo illud in carbones, cineres, ita Hominis Cogitatio incorporea, tantùm spiritu ceu instrumento visibili operatur in subjectum: Quod corpus invisibile facit, id facit etiã corpus invisibile, seu Homo sydereus alteri damnum inferendo: Imaginatio Hominis est magnes attrahens ultra milliaria: Imò quicquid vult in Exaltatione sua, ex quatuor Elementis ad se attrahit. Efficax autem non est Imaginatio, nisi prius rem conceptã attrahat per vim Imaginationis attractiuam, ut ex se quasi spiritum nativum Imaginationis Architectum procreet: postea Imaginatio quasi ingravidata imprimit, quæ licet non sit tangibilis, instar venti tamen est corporea. Hinc verus Magus seu Sapiens, Astrorum operationem attrahere potest, in imaginem, lapides, metalla ut eandem cum Astris exerceant vim atq; potentiam: Exemplum sit Speculum incensorium, per quod radii Solis cum calore ad nos derivantur. Quicquid oculis videmus in majori mundo, hoc idem Imaginatio potest quoq; producere: sic omnes herbæ, omnia crescentia, omnia metalla, per Imaginationem & veram Gabaliam possunt produci. Hæc autem est pars Magiæ Gabalistica dicta, quæ tribus columnis innititur, Primò VERIS Precibus *in Spiritu & veritate factis, ubi in Sancto Sanctorũ fit* unio DEI & Spiritus

ritus Creati, ubi Deus interno spiritu, non vi vocabulorum, sed in silentio sacro, absque oris apertione & anhelitu compellatur: Secundò Fide Naturali, *seu Sapientia in creatione omnibus hominibus æqualiter ceu peculio & patrimonio communi à Deo Patre communicata & ingenita: Tertio* Imaginatione *fortiter exaltata, cuius quanta & quàm mira vis sit, Naturæ Lumen, tam in baculis Iacobi à Moise commemoratis, quàm in prægnantibus fœtui rei desideratæ notam imprimentibus, ut supra dictum, manifestè ostendit. Imaginatio seu fantasia hominis est instar Magnetis in sua natura, attrahens aliorum hominum fantasias, ut videmus in oscitantibus. Vehemens imaginatio, non solum corpus proprium, sed etiam alienum interdum transmutat, per modum imitationis, virtute scilicet quadam, quam habet similitudo Rei ad transmutandam Rem, quam vehemens Imaginatio movet, sicuti apparet in stupore, & dentium stridore aut attritione ferri in ferrum, &c. quæ dentibus stuporem ingenerat: simili modo oscitatio ad oscitandum promovet. Plures sua imaginatione tristi nec non diffidentia causam præbuerunt, ut à Spiritu immundo tentarentur, vel prorsus regerentur ab eodem. Plures etiam sua imaginatione intenta, dempta impotentiæ suspicione, constanti & firmissima fide ad Deum, altissima mente elevata, spe infallibili, precibus assiduis & ardentibus effecerunt, ut subitò facti sint templũ Dei viventis. Totum situm est, ut Deus religiosè colatur à nobis, probitate ac sanctitudine, ut sciunt secretiores θεόσοφοι: siquidem per ardentem devotamq; cum timore & tremore invocantis intentionem, Intellectus seu Mens religioso amore flagrans, iungitur Intelligentiis seperatis. Oratio enim interna ex pia mente, animio affectu, ardentiq; desiderio continuata, unit mentem cum Deo, & omnia discit & cognoscit ex Deo. Quidnam possit Mentis ex vera fide dispositio, pauci sunt qui intelligunt, & longè pauciores, qui ex earitè norunt operari, supernaturali influentia, quæ corpus regit atq; gubernat: quanquam multi reperiantur, qui dispositionis huius cognitionem habent, verum ob mundanas curas & sollicitudines, quibus obruuntur, nil operari possunt, quod veram Sapientiam redoleat. Verùm de his hactenus: Spinosiores videbuntur eiusmodi ex remotiori Antiquitate petitæ contemplationes rudioribus. Sunt enim paucis lectæ, paucioribus intellectæ, & fusiorem narrationem requirunt, quàm ut hîc ascribi cõveniat. Igitur ad propositum nostrum revertamur. Maximoperè interest, ut hoc verum occultæ Medicinæ Philosophicæ fundamentum Chymiæ studiosis innotescat,*

Gen. 30. cap. circa finem.

Fides vera est cura falsæ imaginationis.

Multi per fidem imaginationis infirmantur & cõvalescunt.

Mens purificara fulminis instar penetralia rerum attingit, superatis umbris.

noteſcat, propter Harmonicam concordantiam & conſpirationem ſuperiorum & inferiorum maioris & minoris mundi, in quo manifeſtando, poſt Paracelſum, Petrus Severinus *Danus, unà cum* Platenſi *fideli Achate, meritò in numerum Antiquorum ſapientum referendum, perpetuam ſui nominis gloriam aſſecutus eſt, quod in ſua Idæa Paracelſicæ medicinæ invictiſſimum hoc ſolida & inconcuſſa veritate ſtabilitum fundamentum filiis artis & veritatis patefecerit fruſtrà ringentibus adverſarius, à præſtantiſſimis noſtri ſæculi Hermeticis medicis* Ioſepho Quercetano *Regis Galliarum conſiliario ac Medico digniſſimo, amico honorando:* TH. BOVIO *Italo Veronenſi, &* TH. MUFFETO *Anglo in aureis ipſorum nulli obliuioni obnoxiis ſcriptis, ſatis ſuperq́ in perpetuum refutatis.*

II. UBINAM ILLA VERA MEDICINA LATEAT.

Triticum nō creſcit ſine lolio, nec farina ſine furfure habetur: ita mel ſine aculeo non reperitur.

Talia arcana regenerata ſunt ſine omni complexione qualitatum.

OMne quod Deus creavit Bonum in extremis perfectum eſt & incorruptibile ut Cœlum: ſed quicquid in hiſce inferioribus continetur ſublunaribus duplici præditum eſt Naturâ, Perfecta ſcilicet & Imperfecta, id eſt, Quinta Eſſentia, & fœcibus à ſe inuicem Vulcani beneficio ſeparandis. Cùm igitur vera Medicina corticibus, matricibus, receptaculis, ſiliquis, veſtimentis & domiciliis concludatur, ſicuti amygdalæ, & omnes nuclei cortice & pelliculis teguntur (Naturæ enim Caſtaneæ nucleum non niſi cortice & aſpero tegumento offert) neceſſum eſt, ut illa artificioſa Chymicorum Anatomia ab impuris Elementis ſeparetur, quò habeatur medicina pura. Artis enim beneficio & induſtria vincula earum tolluntur & remediorum facultates è latebris ad faſtigium excitantur. In ſingulis ergo rerum ordinibus, quæ Elementorum ſinu foventur, videlicet in illis tribus Naturæ familiis vegetabili, animali & minerali *(è quibus medicinæ ſufficientes ad tuendam ſanitatem, & morbos corporales profligandos peti ſolent.) Vera illa & ſpecifica morborum materialium Medicina latet, quæ, ut iam dictum eſt, non conſiſtit in externis, nudis, ſuperficiariis & Relollaceis (ut doctè diſſerit Theophraſtus) quatuor qualitatibus, ſed eſt virtus quædam ſpecifica, ἀυτοφυὴς, in ipſis ſeminibus deliteſcēs cuiq́ rei creſcēti à Creatore ſummo rerum Opifice, in prima ſtatim creatione inſita, vi* Verbi *illius omnipotentis, quo omnia è tenebris in lucem vocata ſunt: Ergo facultas & virtus i-*

tus ipſis corporibus mixtis (à radice Creationis inſtar animæ in corpore humano) indita, non extrinſecus accedit, nec à ſtellarum momentaneo poſitu infundi tur, nec ex Atomorum fortuito congreſſu integratur, non procedit à corpore nec à mixtione corporis ſeu à forma viſibili, alioquin ſine corporis & Formæ deſtructione & corruptione ſeparari non poſſet, ut in Cinamomo & Pipere videmus, virtutibus illorum aut artificio extractis, aut vetuſtate & ſenio ſponte evaneſcentibus. Quemadmodum autem omnes actiones Naturales à Spiritibus ſpiritualibuſq́ Tincturis proficiſcuntur in quibus mechanicæ ſcientiæ Trium principiorum vigent: ita Remediorū actiones è Spiritibus, vitalibusq́ ſpirituum Tincturis procedunt, non è corporibus vel mortuis Relollaceisq́ qualitatibus. Et cum apud Occultioris Naturæ Interpretes in confeſſo ſit, nil in toto univerſo eſſe, cuius non ſit etiam particula in Homine (ut ſupra dictum) ipſo videlicet microcoſmo: imò omnium rerum ſeminaria ipſo latere, Aſtrorum, Meteororum, Mineralium Vegetabilium Animalium Spirituum etiam vel Demonum, ratione Spiritus hominis: conſideratâ diligenter hac ſymmetricâ concordantiâ, & anagoge phyſicâ, Verorum etiam medicorum officium erat, inquirere, ſi laborarent exempli gratiâ Cor internum microcoſmi, id eſt, Hominis ut remedia mutuarentur confortantia à parente ſuo ſeu corde macrocoſmi externo ipſi planè (ſi non figurâ & formâ externâ, tamen internâ) ſimili & analogicè repræſentata, qualia è Tribus illis Remediorum officinis multifariam depromi poterant. Creavit enim Deus inexhauſtam Remediorum ſupellectilem & cuivis Regioni ſuam diſtribuit ſufficientiam; Ita reperirent inter Mineralia Aurum (quod etiam per ſe ſpiritus omnes exhilarat, cum quis in crumenâ eo abundaverat Antimonium & ſimilia, quæ ex elemento Aquæ producuntur, ſicuti Margaritæ ex aquæ ſtillicidiis, in conchis generatæ, item Oſtrearum, Conchyliorum, Concharumq́ omnia corpora vi ſpecificâ & Harmonicâ reſpicere & mederi Cordi, &c. ſicuti inter Mineralia Characteres Magici & Hieroglyphici non temerè aut oſcitanter à prudenti Antiquitate ipſis attributi, ſatis ſuperq́ intelligentiæ Lumine prædiis innuunt, & Magicè Philoſophos ſecretiores de ſua latente virtute admonitos alloquuntur. Quamvis potiora ex illis à Naturâ exquiſitiſſimè & operosè præparata, uſto Naturæ decreto, benignum ſuum & vitale Elementum poſſeſſoribus denegant: Et multi univerſas Naturæ leges confundunt, ut alimento tàm exquiſitè præparato, tandem potiantur: Nec dubium illum, quin Aurum

Ideò Cœlum eſt faber externorum ædificiorum, non Arcanorum, magnalium & myſteriorum quę externam domum inhabitant.

Tota Natura inferior in tres diuiditur partes principales, ſc. Vegetabilem, Animalem & Minerale.

Ars imitatur Naturam defectum q; ejus supplet, corrigit, castigat, juvat & promovet, imò etiam Naturã superat.

compedibus liberatum, ut suas vires exercere posset, & in actum ex potentia Naturali ac debita Resolutione (eadem enim Resolutionis Rerum, quæ Compositionis via, quia Ars filia Natura matri, & Natura Arti consentit) reductum actiones ostendet Divinas, Sed paucitanto dignantur munere Divûm: Aurum ut compactum solvant potabile in Aurum. Inter Vegetabilia habuissent Crocum, Rutam, Scordium, Melissam, Chelidoniam, Macerem, Ocymum, & sexcenta ejusmodi. Inter Animalia Cornu Cervi, Monocerotis, Os de corde Cervi, & id genus alia: Quæ omnia debitè præparata, & facta Spiritualia (quæcunq; enim ad curationem requiruntur, omnia in Spirituum potestate cõtinentur, qui morborum diversoria soli sciunt, terra siquidem omnis est mortua, cortices & siliquæ non gignunt, sed soli Spiritus Rerum in corporibus agunt) adhibitâ etiam methodo legitimâ, medentur afflicto Cordi, non externis illis & superficiariis ut dictum est qualitatibus, sed vi internâ, propriâ, specificâ Harmonicâ, simili: Formæ in medicina seu Astra medicamentorum, per Alchymiam à corporibus separata, sunt vera directoria: Astrum enim seu Cœlum saltem Arcanũ dirigit non corpus: novit enim equus præsepe suum, aves nidum, aquilæ cadaver, & quodlibet medicamentum innatâ vi magneticâ (quæ meritò ἰδιότης ἀῤῥητος dici potest) petit locum suum, & tendit ad membrum sibi conformatum, consentanea consentaneis, domestica domesticis naturali desiderio se applicant, quẽadmodum à veris Philosophicis medicis diligentissimè fuit observatum, longâ Experientia omnium indubitatissimâ Regulâ. Ideò Celsus Romanus medicus consentit ad Curandi rationem nil magis conferre, quã Experientiam omnium artium matrem, quâ constat doctissimos medicos non rarò à rustica vetula victos. Idem de aliis sex Principalibus membris & partibus corporis Humani augiendum: Externum Macrocosmicum Cerebrum est Oleum Argenti, Liquor Sapphiri, Smaragdi, Musci, Vitrioli, &c. Internum microcosmicum confortans. Pulmonum & totius pectoris Balsamus, sunt flores CHIBUR, *seu Sulphuris.*

Experimentum (ut & judicium) sine Scientia fallax, difficile, & ad sortem est, sed cum Scientia certum & verum.

Remediorum nulla usquam penuria, sed nostra eorum plerunq; turpis ignorãtia.

Hoc pacto non ad leves saltem morbos auxilia seu Remedia crassa Minervâ parata, reperta fuissent, sed etiam ad Chronicos illos Astrales & Fixos qui ob radices tàm altas multorum judicio desperati & à medicorum vulgo, loca, semina, nativitates, radices ac morborum centra non intelligente, æstimantur incurabiles. Nullus enim morbus est, quatenus morbus, qui non suam habeat medicinam, nisi occulta prædestinatione mortalibus incõprehensa peculiari Numinis

Sicuti duo sunt genera Medicorũ, unum quod miraculos è sanat, alterum naturaliter per medicamenta. Ita cuiuslibet morbi duæ sunt origines, una Naturalis, altera Cœlestis: Verbum Domini sanat Cœleste, Naturale mediis naturalibus restituitur.

nis ira genitus (qui medicis non commendatus est, sed Apostolis per fidem veram in Christum omnes morbos sanantibus) incurabilis evadat: aut cum Plinio Naturam in suis viribus ut iniustam Novercam velimus insinuare mendacii, cum tamen illa benigna rerum Parens, providens & sagax Natura, dederit egentibus brutis animantibus naturali instinctu Remediorum Conditorem hominibus hæc occulta fore voluisse: nam frustra creasset, præsertim cum animantibus intellectu carentibus hæc fecerit manifestissima. Ciconia in serpentum pastu Origano sibi salutem quærit: Sues à serpentibus læsæ Cancrorum pastu sibi medentur: Apri Hedera: Grues Iunco: Testudo quando impetitur à serpente, comedit Origanum, & confortatur per illud: Bufo quando alieno morsu & veneno vulneratur, solet adire Rutam vel Salviam aut locum vulneris affricare, & sic à periculo veneni se liberare: ideo Salvia non lota cũ periculo in pastu utimur. Mustela pugnatura contra regulum comedit Rutam. Pica cum ægrotat, Lauri folium in nidum immittit, & ita convalescit: Vpupa nova pasta læsa, Adianto sibi medetur: Vrsi à Mandragora læsi devoratis Formicis evadunt. Anseres, Anates, ceteraq; aquaticæ aves medentur, sibi herba Helxine: Columbæ Verbena: Hirundines Chelidonia: Accipitres Hieracia. Et alia denique animalia alias innumeras invenẽre Herbas. Nemo ergo sanæ mentis est, qui ambigat, Cœlestem Patrem (ut pium ac sacrum rerum omnium Parentem decet) filios ad imaginem suam creatos, & quorum gratia omnia condita sunt, hac in parte præterire, ac brutis postponere voluisse: Qui enim nobis suum Filium dedit, & pro Spiritu sancto suo orare nos iussit: Qui enim nobis suum Filium dedit, & pro Spiritu sancto suo orare nos iussit, quanto magis totam Creaturam, visibilia & invisibilia subiiciet? Creavit enim altissimus Aautor Naturæ Medicinam non mancam, sed perfectam de Terra, iussit Medicos pia assiduitate illam inquirere, & fide debita præparatam cuivis pathemati convenienter adhibere. Diligenter etiam notandum est, quòd omnia medicamenta, quæ corporibus humanis applicantur, non sui ratione, sed Dei munere sunt efficacia, ac salubrem sortiuntur effectum: Nisi enim Deus affuerit, viresq; infuderit Herbis, Quid rogo Dictamnus, quid Panaceæa iuvent?

Siracid. ca. 38. sect. 4.

Habent enim hæc inferiora, dico Animalia, Herbæ, Lapides Metalla suam vim subministratam à Cælo, Cœlum verò ab Intelligentiis, hæ autem ab Opifice, in quo omnia virtute maxima præexistunt. Vita naturalis ex fonte Vitæ

est universalis Deo videlicet Vivunt enim Elementa ex Firmamento, hoc autem ex intelligibili Mundo, & iste solum ex Deo, sive ex æterno eius Verbo. Est igitur omnis omnium unica vita in omnibus, iuxta subiectum nihilominus in quod influit vario modo glisens. Itaque si quid herbarum præsidio perficere statuimus non tàm herbis quàm Deo fidendum: Sic enim in propulsandis morbis res optatum felicemq; successum est habitura: aliàs conatus omnis in diversum rapitur, ubi nulla subit Opificis, à quo omnia effectum sortiuntur, cogitatio, aut abest erga illum fiducia. Ita Assi mortuus, qui plus Medicis, quàm Deo fidebat. Sola Medicina cœlestis sive Verbum Dei (quod est Fermentum medicinarum, sine quo nulla Medicina est efficax) sanat omnia, & per Verbi efficaciam (in quo latet, & à quo procedit omnis vis, omnes etiam naturales actiones superans (medicamenta demum fiunt virtuosa Et sicuti cortex non est nucleus, sic herbæ non sunt medicina, sed signum saltem huius signati Verbi. Duplex est Medicina in terra visibilis à Patre creata (quæ in corpus non debet administrari, nisi per separationem puri ab impuro sit prius præparata) Invisibilis à Filio per Verbum, & est una medicina: Medicus per herbas sanat, Herbæ sunt media, in quibus medicina est, Herba non est Medicina, quæ invisibiliter in ipsa à Deo est abscondita

In omnibus igitur Dei, naturæ Domini, voluntas experenda, non naturæ. 1. Chr. 17. sect. 2. Sirach 38. sect. 9.10.11.12.

His prudenter, rectoq; iudicio consideratis mirari cessabimus, quod Deus omnipotens per Prophetas & veros Cabalistas solo prolato Verbo Hominem sanet: Vivus siquidem est Deus, & vivi Dei vivum quoque Nomen, & vivi Nominis vivæ quoque Literæ: Vivit Deus propter se, vivit Nomen eius propter ipsum, vivunt Literæ propter Nomen: Et sicuti vitam habet Deus in se ipso, sic etiam Nomini suo dedit vitam habere in se ipso, & Nomen porrò Literis:

Act. 3. sect. 6.

Per Magos veros, Naturæ accuratissimos exploratores (non loquor de Necromanticis) Verbo scripto seu Characteribus & Sigillis certo tempore secundum Cœli virtutem fabrefactis, procul omni, quam sola ignorantia parit, Superstitione, citra Nominis divini prophanationem & offensionem ullamve Fidei & Religionis iniuriam: alioquin melius esset nos semper ægrotare, quàm cum Dei contumelia sanos esse: Characteres siquidem seu Nomina constellata secundum Agrippam non habent vires ratione figuræ & pronuntiationis, sed ratione Virtutis seu Officii à Deo vel Natura ad tale Nomen vel Characterem

Talia Nomina sunt numina,

æterem ordinati: Nulla enim est virtus vel in cœlo vel in terra, quæ non descendat à Deo quo non favente, nihil quod habet dare, & in actum traducere potest Medicamenta sunt corpora visibilia, Verba sunt corpora invisibilia, sive Herba sive Verbum sanet facit naturalis Virtus Deus, id est, Spiritus Dei Naturæ coadunatus, per Verbum suum FIAT. De Cura Characteristica, quæ verbis prolatis, scriptis, sculptis, & de collo appensis naturales operationes perficit, per cœlestes Proprietates Syderum mirabili influentia cum nostris corporibus concordantium, legatur Rogerius Bacchon de mirabili potestate Artis & Naturæ.

Characteres dicit Paracelsus esse Spirituum composita & syrupos.

Per MEDICOS autem Verbo creato, seu Misericordia sua Incarnata: cum hæc omnia saltem TRIUNIUS & SOLIUS VERBI DIVINI omnia sanantis & conservantis, efficacia fiant: sicuti videmus in miraculis Salvatoris nostri, qui dum surdum & mutum restituit (cui omnes Officinæ totius mundi suis pilulis & syrupis non potuissent succurrere) non sanat per Naturam, sed per seipsum facit hoc UNO scilicet VERBO, & ipse est illud VERBUM, (videlicet Misericordia Dei Increata) per quod omnia creata sunt, à quo simplicia promanant omnia, quodq; cum Patre quotidie adhuc omnia in omnibus operatur. Quicquid enim operationis & virtutis est in creaturis, tam in magno, quàm in parvo Homine, id totum à Deo incarnato in suo explicato & manifestato fieri certissimum est, unius Spiritus implentis omnia vinculo, in unum inseparabiliter colligata, qui Spiritus idcirco plenitudo mundi totius una est, & meritò vocatur Plenitudo. Nam extra Deum nihil sit, in ipso omnia moventur, vivunt & subsistunt: Hoc VERBUM DEI, Primogenitus omnis Creaturæ verè Panis est noster ἐπιούσιος, quem Salvator petere iussit, Mumia supercœlestis, Balsamum supernaturale, plus quàm propria Hominis Mumia aut Pissasphaltum naturale, mortales sustentans. Virtus in Panis est Dei benedictio, imo Deus ipse Verbum in Cibo terreno est verus Panis, bonis & malis datus: Non ex solo Pane, sed ex eo, quod est in Pane, vivit homo: ita Cibus & Vita non sunt à Terra sed à Deo per suum Verbum: Si Verbum non esset, & per se esset solus Panis, tunc Terra esset noster Deus: sed nequaquam, non è Terra, sed ex Deo per suum Verbum: Hoc igitur VERBUM vera est Medicina sanans omnia, non omnibus innotuit, nec cuivis in pulvere scholastico submerso datum est de illo libare aut scribere. Vnicus θεῖα ϕάρμακον Paracelsus, Mosaica & viventis Philoso-

Non à solo Pane. Matt. 4. sect. 4. Deut. 8. cap. 3. Luc. 11. sect. 14.

Gratia enim meritò superat Naturam, & signatum, signum. Ioh. 1. sect. 3.

Eccl. 24. sect. 8.9.10.

Hæc benedictione sublata baculus Panis fractus est, sicuti apud Propheras minatur Deus populo suo.

Ex mera misericordia & Bonitate non justitia habemus Panem duplicem alimentarium & sanitatis.

Nisi Deus dicat ægrotanti, Sis sanus, nemo fiet sanus.

Ioh.1.sect.10. Heb.11.sect 3. Ps.10?.se9.20. Deut. 22. sect. 47.

Explicatio vulgaris dicti, in HERBIS, LAPIDIBUS & VERBIS magnas esse virtutes.

phiæ discipulus, de Secretis Naturæ, & miraculis Dei scripsit, hoc est, de Verbo Dei incarnato *in Creaturis reperiendo, quod Medicina & Vitæ nostræ Baculus est: per hoc enim* Verbum FIAT, *totius mundi semen, Cœlum & Terra creata sunt, illudq; in omnibus Creaturis efficax est, & cui meritò Creaturæ tanquam animæ suæ subiectæ sunt. Quicquid ergo* Medicus naturaliter, *seu* Herbis *per moram Temporis successivè operantibus efficit, illud* Magus, *seu Medicus Cœlestis* Characteribus & Lapidibus *Gamaea, scilicet Influentialis Coniugii Terrestri signo, per combinationem matrimonialem Superiorum & Inferiorum* Astraliter, *validissima impressione, subitò & longè citius perficit: Ea enim est Naturæ mutua colligantia & continuitas, ut omnis Virtus Superior per singula Inferiora longa & continua serie radios suos dispertiendo, usque ad ultima instar funiculi tensi fluat: & Inferiora vice versa, per singula sua Superiora perveniant, quia una est Virtus opifex, & specierum participatio per omnia diffunditur: Matrimonium divinum: Hinc Rerum naturalium Inferiorum cum Superioribus, mira colligantia, continuitas, influentia & sympathia: Intercedente hoc matrimonio mundi, multa in Magia & Cabala effici possunt.*

Omnis Creatura timet, & reveretur Nomen Illius, qui fecit eam.

Et Verus Cabalista (*quem Paracelsus vocat Naturalem Divinum, qui Prophetis æquiparatur, & cuius mens unita & coæquata Deo facit omnia quæ vult, vult autem quæ ipse Deus*) Dealiter *supra Naturam, fiducia firma, & fide mirifica miraculorum* Janua Unico *Divinissimo Nomine* Ihiuh, *in quo recapitulantur & continentur omnia, id est, in* Verbo Mirifico, *per mentem, fidem & orationem, preces scilicet in Spiritu & Veritate factas in momento exequitur. Renascentia est ager Medicinæ Cœlestis, quæ uno verbo curat sine medio externo: Vna illa operatio contingit ratione Dei, tanquam Artificis, & ratione Hominis tanquam Instrumenti: Hominibus enim innocentibus, & in lege Domini doctis, pro voto fidei servit omnis Creatura, & exaudiuntur ad omnia, quæcunque petierint, teste Elia Eliseo. Per preces enim, id est petendo, quærendo & pulsando, in Fide omnia impetramus: per fidelem orationem recta & certissima via conscenditur ad summam divinarum atque humanarum rerum sapientiam: Nam in his tribus Punctis principalibus, consistit etiam totum fundamentum Magicæ & Cabalisticæ artis, ut videre est apud Paracelsum de signatura rerum libro 3.*

Lege libros Regum.

1. Reg. 3. sect. 12.

Sap. 7.

Ideo

Corporis anitas Deo debetur, nõmedicis.

Notate medici, qui more Ethnicorum, posthabito & inconsulto Deo, qui solus sanat languores, neglecto item Termino prædestinato iuxta voluntatem Divinã, temerariâ arrogantiâ certum spondetis & definitum, soli Divino beneplacito cõmittendum convalescentiæ Tempus. Es. 48. sect. 11. Sir. 38. sect. 4. Sir. cap. 30. sect. 15. 16. 17.

Ideò etiam soli Creatori, omnia in omnibus operanti, debetur Honor, Laus, & Gloria ob desideratum Medicamenti seu VERBI *sui exhibiti consecutum finem. Medico autem* DEI *& Naturæ obtemperanti ministro, manu seu instrumento, ne sibi quæ solius* DEI *sunt, usurpet, fidelis saltem Laboris ac Charitatis debetur præmium, quod miseris & egentibus mortalibus potestatem à Deo acceptam legitimè administrarit. Nihil enim suum ibi est præter artem & legitimam administrationem, cujus gratiam refert non auxilii: Deus enim solus super omnia laudandus, & benedicendus in omnibus, Honorẽ suum alteri nõ dat, & quia totum dedit, totum etiam rehabere & retrahere vult. Nihilominus tamen jubente Sacra scriptura, Honorari debet Medicus verax & syncerus, qui inter omnes artes & facultates Deo acceptissimus est, Primò quia Deus per ipsum utpote suum ministrum etiam nescientem & dormientem operatur, ac suam voluntatem exequitur, suppeditando Medicinam de Terra & VERBVM suum supernè, sine quo nulla Efficacia in medendo præstari potest, Sine me enim, ait Salvator, nihil potestis facere: Secundò, quia juxta infirmorum curationem (siquidem Sanitas maximũ Hominibus Bonum) omnes etiam mortales in Naturæ ejusq; Luminis investigatione ac cognitione (quem Homerus non sine causa jubet esse ἐπιςάμενον πᾶσι πάντων, omni scilicet cognitione refertissimum) meritò anteire debebat: Tertiò, quia ipse solus, mirabilia* DEI *opera, tam in magno quàm in parvo mundo omnibus manifestat, ita ut non tantum per detecta arcana & mysteria, verum etiam per sanationem infirmorum* DEI *laus & gloria mediante Medico summoperè evehatur & extollatur: Ideò etiam inter omnes scientias & facultates præstantissima meritò judicatur Medicina, in qua magnalia* DEI *summa miraculosè conspiciuntur, quæ ex Theologia seu Lumine Gratiæ, sumit initium, & in Lumine Naturæ perficitur.*

III. QUOMODO ILLA CORTICIBUS TECTA, BENEFICIO VULCANI ERUENDA ET debitè præparanda sit.

Medicus per Vulcanum Creaturã Dei perficit.

PERfectè omnia creata sunt, quo ad primam materiam, sed Chymicus per Vulcanum ultimam materiam perficit, quia nulla res in hoc inferiori mundo generationi & corruptioni obnoxio adeò nobilis est, quæ non in se & respectu alterius Venenum habeat, juxta Essentiam seu Medicinam: In omnibus maximis

DEI

DEI operibus, ubi Malum, ibi etiam Remedium, ubi Virus, ibi Virtus, Ideò ni frustra creatum, sed omnia in aliquem usum: Nam & Natura comparatum est, ut semper bonum & Malum in assiduam Timoris DEI recordationem con junctа sint in omnibus rebus, quæ producunt Elementa sublunaria. Quamprimum, ait Firmianus, Homini Virtutem Omnipotens indidit, confestim & Hostem ad ecit, ne Virtus ocio torpens Naturam suam amitteret. Adeò nil ex omni parte beatum dixit Poeta, ut Homo divinæ Naturæ particeps, omnium animantium dominus, suos patiatur manes, & quibus exagitetur furias habeat. Rogerius Bacchon Philosophus Anglus dicit Deum Tenebras & Lucem facientem, ubi pro suæ MISERICORDIA magnam Medicinam posuit ibidem etiam potestate JUSTITIÆ suæ incomprehensibilis VENENUM pro custode, Tribulos videlicet & Rosarum spinas, prævaricationum comites indiuiduos ac vindices adjunxisse. Bonum sine malo cognosci non potest, & cognito hoste vitari potest damnum: Sic etiam sacer Hermes antiquissimus Theologus, una cum Ecclesiastico scribit in clave, Ex contrapositione & cõtrarietate omnia sublunaria oportere constare, & hoc propter generationem & corruptionem rerum aliter fieri esse τῶν ἀδυνάτων. Omnia enim cum non habeant quæ timeant, contra leges agunt: neq; aliter homo potest ad summum fastigium venire, nisi manu semper agitata se ad salutem suam dimicandi tenore fundaverit. Deus enim per suam sapientiam ita ordinavit, ut æquè benè sit ἀπαθεια sicuti est συμπάθεια, quo spectaculo Natura mortales ad e us secreta contemplanda & eruenda voluit promovere, ut si alter alterũ perhorreat, Invisus Invidentis defectus resarcire vel mederi possit: Quapropter Heraclitus Naturam è Bello genitam, & Homerus Contentionem vocat: Homo est sui ipsius hostis, Causa dissolutionis & mortis est Regnum hoc nostrum in se ipso divisum, intestinum videlicet duellum, siquidem in corpore microcosmico propter conjunctionem rerum adversarum perpetua lucta, ac conservator & destructor sanitatis latet, quo nomine sancti mortale corpus vocarunt Infernum ac Purgatorium, in quo semper belligerandum est. Ideò cum in vitæ Republica, Mortis Anatomia Hospitium invenit, Natura medicos ministros esse præcepit, ac separatores, non magistros vel compositores. Remedia enim præparationes, separationes, & exaltationes requirunt, antequam latentes & ligatas virtutes explicare possint. Quemadmodum autem omnia Igne probantur, ita etiam Examen scientiæ medicinæ in igne debet fieri. Medicina & Chymia

Sir. 39 sect. 26.

Rigida DEI Justitia est morb⁹ & venenum in omnibus rebus: E contra Misericordia DEI in Natura & in omnib. reb⁹ est medicina, Sap. 18. sect. 35. 16. Sir. 39 sect. 36. Eccles. 33 sect. 15. 16. Eccles. 3. sect. 14. 7. sect. 15. Sir. 42. sect. 25.

Causa sympathiæ & antipathiæ.

Chymia non possunt separari: Manifestat enim Chymia, (non illa, qua impostores ad suas dealbationes & rubefactiones utuntur, (non solum vera simplicia, Magnalia, Arcana, Mysteria, Virtutes, vires sanationem concernentes, verum etiam ad imitationem Archæi Ventriculi seu Chymici naturalis innati docet segregare quodlibet mysterium in suum reservaculum, & medicamenta infelicibus vestimentis obducta debita separatione ab impuritatibus & corruptibili & fœda superficialium, & externorum Elementorum cõmixtione expedire, ut pura illa Crystallina q; materia, seu natura simplex exhibeatur corporibus: Sed hanc à carceribus & captivitate expedire, Hoc opus hîc labor est. Digna provincia, in qua omnes medici senescant, & plena exercitationis, sine siquidẽ Philosophia Chymica omnis medicina mortua est: Absq; Alchymiæ cognitione neque Theorica, neque Practica Medicina esse potest. Qui illam difficultate perterritus recusaverit, frustrà morborum loca inquirit. Non ergo imitandi sunt hac in parte vulgares nostri Medici, qui ex aliorum vigiliis, & laborum inventis suæ ignaviæ patrocinia quærunt, & præparationem medicamentorum Pharmacopæis maxima ex parte negligentibus & avaris (de conscientiosis, & suæ fideli diligentia Reipubl. tanquam Alchymiæ Vulcani inservientibus hic non loquor) maximo ægrotantium incommodo committere solent. Per hanc enim artificiosam corporum resolutionem in conspectum venient proprietates, quæ antea compositionis virtute occultabantur. Per illam insuper tanquam artificialem quandam cynosuram, Chymiatri vela, non modo ad omnes naturæ oras, sed etiam ad ipsius totius Creaturæ, singularum etiam eiusdem abstrusissimarũ virtutum, admirationem, contemplationem, perceptionem q; fecerunt, & insignem in plurimis sunt assecuti scientiam, nec immeritò. In hac ergo veræ corporum Analysi, & vitali Anatomia, oportet medicum esse exercitatum (ut suprà dictum) quia nulla est constans proprietas ullius corporis, quæ non vel in Sale, vel Mercurio, vel Sulphure eiusdem corporis deprehendatur. Primo autem Corpora omnia composita inferioris globi in tres ordines vel choros distribuenda sunt, in Animalia vegetabilia & mineralia. Individua deinde horum omnium diligenter examinanda, & Individuorum partes: Ita inveniemus in singulis ordinibus illustres trium primarum differentias. Est enim in officina rerum Sal animale, vegetabile, minerale: animale, vegetabile, minerale Sulphur: Mercurius itẽ vegetabilis, animalis, mineralis. Prima rerum facies fuit pura, integra, perfo-

Vegetabilia cõprehendũt plantas, arbores, zoophyta: Animalia, bruta per ordinẽ Reptilia, Natantia, Volatilia, Quadrupedia.

perfecta sine corruptione & morte. Summus enim & omnium opifex Deus, sua voluntate propter infinitam gloriam suam creavit omnia bona, ut omnia eum glorificarent, & sanctè incorrupteq; secundum præscriptum ordinem viverent. Homo primò sanus creatus est, (morbi enim primam originem non ex viro, sed ex muliere ducunt) verùm ingressus in mundum, peperit aditum ad mortem, quia apparuerunt duo contraria, externum corruptibile, & internũ integrum, sine corruptione subsequente diu non potuerunt in uno stare. Post prævaricationem igitur & defectionem ab unitate ad alteritatem, maledictione divina novæ super venerunt tinctura (ἰλιγξ τῶν καινῶν) quarum mixtione in calamitosam sortem, unâ cum calamitoso mundi socio, transplantata est totius Creaturæ pulchritudo: Impuritas puris radicibus adiuncta, eaq; fuit morborum prædestinatio. Morborum enim radices in certis individuis vel speciebus seorsim nõ consistunt, sed implantatæ & permixtæ puris primisq; rerum seminibus: Nutrimenta verò rerum naturalium, fructus sunt seminum, in quatuor matricibus vel Elementis vigentium. Natura igitur ut iam est, nil in hoc ambitu sublunari nobis puri dedit, sed omnia permultis miscuit impuritatibus, ut istã nobis Chymicam scientiam ab infantia noscendam esse, ceu quodã necessitatis stimulo inculcaret, ut dum è Paradiso in huius mundi suburbiũ expulsi, in utriusque Limi visibilis & invisibilis admiratione, investigatione & cognitione TERRAM, *id est, totam mundi machinam coleremus, & in parando victu, aliisq; ad sustentandam hanc præsentem vitam necessariis, tanquã Naturæ operarii non in umbra, sed in sudore vultus occuparemur, hoc pacto industriã nostrã in hac* TERRA Laboris *per impositionem Crucis patienter ferendæ, ad consequendos terrenæ & cœlestis Sapientiæ fructus excitaret, ne socordes inerti ac turpissimo tabesceremus otio, aut nil agendo (ad omnia vitia & peccata procliviores) malè agere disceremus. Et hic est verus Creationis Hominis finis, ut in Dei timore & amore proximi, amissa recuperando Terram laboret, non ut otietur, sed ut in Lumine Naturæ, non secundum suam, sed secundum Creatoris voluntatem ambulando, Instrumentum, Habitatio, ac Tabernaculum Dei maneat, & ad evitandas malas & otiosas cogitationes, in Viis Domini ambulet, hoc est, in suis operibus per observationem Temporalium & Cœlestium considerationem, miracula Dei per Naturam investiget, Invisibilia Dei opera manifestet, celebrans admirando infinitam Creatoris Sapientiam, Potentiam, & indesinentem erga genus*

Sirac. cap. 38. sect. 15.

Morborum calamitate & superventu.

Transplantatio creaturæ facta, post defectionẽ tam ratione creationis, quàm propagationis hostem in sinu suo gerũt mortales, morbos ac mortẽ sua innata cõtrarietate ac corruptione causantem.

Qui discit Deum & se ipsum cognoscere, ille bene terram coluit.

Nimia licentia homines deteriores fiunt, aut brutis similes: Labore aũt pellitur otium satanæ pulvinar.

nus Humanum, in operum suorum mirabilium magnalium & mysteriorũ indagandorũ patefactione, Bonitatem. Sed relictis jam alimentis ad medicamenta veniendum est, in quib. nemo tàm stolidæ cervicis (nisi frugibus inventis malit adhuc ad modum prioris hirsutioris ævi glandibus seu putaminibus cum nucleis vesci) qui hanc artem improbabit Separatoriam, quæ Bonum à Malo, Vtile ab Inutili, Narcoticum ab Igne, Spiritum mineralem ab Anthos, Homogenea ab Heterogeneis, Venena à Medicinis & Balsamis salutaribus, Lumen à Tenebris, Vitam à Morte, Diem à Nocte, Visibile ab Invisibili, Cœleste Purum, Nucleum, Medullam, à Terrestri Impuro, Corticibus, Membranis, Involucris, Testis, Siliquis & Fœcibus, Vestimenta & Domicilia medicamentorum corporibus humanis aduersa, ab Incolâ Animâ, mysterio Superelementali, Quintâ Essentiâ planè corporum nostrorum Balsamo Interno, conveniente, amica & correspondente ritè secernere & separare docet, ut colligatur essentia illa vivifica saltem, cujus facultas solutis vinculis exurgens altius & promptius se promit, & vires multò quàm antea majores profert, & corporibus sanandis efficaciores. Venenata enim omnia Balsamum habent Humanæ Naturæ consentaneum, & nullum Venenatum est Animal quod Veneni sui Antipharmacum in se non contineat & in suo genere bonum sit, & dum Homini est Venenum, alteri animali sæpè est familiare alimentum: Ita araneæ gallinis ac passeribus prosunt, bufones serpentibus, serpentes cervis & ciconeis: Formæ autem hæ medicamentorum extractæ plus operantur, quã cum sunt in materiam immersæ, quæ potentiam & operationem Arcani impedire & infringere solet: Imò Anima seu Forma uniuscuiusq; Rei specifica, multò & plures & præstantiores virtutes operationesq; habet, quàm vel ipsum corpus, vel e. usdem Rei materia: siquidem omnes Res habet esse à Forma, quantò ergo magis de Forma tantò magis de Entitate: Id quod Chymiæ ofores propriâ conscientiâ coacti & oculari demonstratione convicti, inficias ire nequeunt. Et hinc commoda plura sequuntur: Primò, quod ratione minoris quantitatis medicamẽti facilius & liberius multo magis ægri ipsum capiant, cum plurimi sæpè ita sint difficiles, ut vitam potius cum morte cõmutare velint, quã illarum crassarum & turbidarum potionum complexionem humani corporis corrumpentium, plenos haurire calices, quas etiam ipse Medicus præscribens, & Apothecarius miscens in casu simili bibere exhorrescendo recusarent. Secundo, quod horum usu etiam reiterando non lædatur ventriculus, cum nil obstet, quo

Solæ purificationes sunt vera correctiva omnium remediorũ.

Sicut mors separet æterna & caduca, ita Vulcanus bonum à malo, Quintam essentiam à corpore. Sir. 39. sect. 39. 40.

Rationes cur Spagyrica medicamenta debitè præparata multis officinarum mixturis Heteroclitis sint præferenda.

minus actionem suam præstent (separata enim in ventriculo naturali impetu ad notoria feruntur sine impedimento diuersoria) & citissimè corpus afficiant, & ab ipso afficiantur: ac ita aſſeræ ac terrestres ipsorum partes interioribus adhærentes ulcerare, nec sæpius utentes (sicuti per frequentem vulgarium usum) valetudinarios facere possint. Tertiò, quod ex iis essentiis omnis nociva qualitas (si tota prima præparatione auferri non possit) aliarũ tamen exquisitissimarum permixtione omnino adimatur, aut saltem facilius obtundatur: Et quod difficeri non possumus, Ars hæc spagyrica adeò necessaria est, ut sine magno discrimine illâ carere medici non possint: Nam in re una simplici q. sæpè substantiæ sunt dissimiles, sæpè contrariis proprietatibus insignitæ, quarum una noxia, reliquæ salutares, ut in opio, melle apparet, quæ sine substantiarũ separatione hujus artis adminiculo perficienda dignosci neutiquam possunt. Galenistæ etiam solo hujus artis beneficio tueri possunt suas Maximas, affirmantes omnia amara calida esse, cum tamẽ Opium, quamvis summè amarum stupefactendi virtute excellat: Rosa item & Cichorea licet amaræ, nihilominus ad refrigerandum adhiberi solent. Responsi hujus nodus Cultri Anatomici Ignis videlicet beneficio dissecandus est, & sic substantiarum factâ separatione dignoscemus Simplicium Temperaturam, & reperiemus in Opio Sulphur dulce Narcoticum, Sal amarũ calidum, subtili resolutione penetrando sudores mouens, sine ulla vi stupefactiva. Et quod meritò admirandum (prout solertes medici norunt qui ex incommodis sciunt elicere commoda & utilitates) Venena metallica licet pernitiosissima, hujus artis ministerio & Ignis iudicio, eatenus posse corrigi & emendari, ut sine noxa tuto possint corpori ingeri, sicuti Arsenici, effrenatæ malignitatis exemplum persalem petræ artificiosè Vulcani beneficio fixati, manifestam fidem facit Mineralia enim, quorum spiritus subtilitate nostros vincunt, & lapides pretiosi à medicamentorum numero excludi non debent: Ritè præparata Vegetabilibus longè præstant in curandis morbis. Primò, quod molliori materiæ, qualis est Plantarum & Animantium, tanta virtus, fortesq. operationes imprimi nõ potuerint, quandoquidem difficulter eas retinere posse videntur: Fieri etiam nõ posset, ut Vegetabilia corruptioni obnoxia corpus humanum à corruptione vindicarent, sicuti perfectorum metallorum spiritus, nullis corruptionibus obnoxii, faciunt.

Venenum redactum in Arcanum nõ est Venenum, sed præstans medicina: sic Planetæ Terrestres liberantur à sua Lepra: & ingratissimi fœtores per digestionẽ in suavem vertuntur odorem.

Secundò, manifestum est, mineralia & imperfecta metalla, magnis virtutibus medicinalibus donata esse, ut in Chirurgicis medicamentis apparet, ubi vix ullum

lum unguentum præparatur, in quo non imperfectum metallum vel minerale admisceatur: Ergò absq. dubio perfecto longè maiores vires ab Omnipotente acceperunt. Tertiò, quod naturæ Animantia & Plantas non uni alicui actioni sed multis virtutibus functionibusq. aptas gignere cupienti, minime licuerit ita cõtemperare mixtionem illorum corporum, ut vires illas admirabiles consequerentur & solidam stabilemq. Balsami Naturam admitterent. Quartò quod lapidum generatio temporis intervallo absolvitur maiori, breviori autem absolutè perfectorũ corporum: Natura igitur longitudine temporis adiuta, maiore agendi facultate lapides pretiosos, aliaq. metallaria corpora exornare potuit: Varietate enim officiorum sensibilium & mobilium non distrahuntur. Adde quod lapides pretiosi meritò ceteris commendabiles sint, propter summam ipsorum temperiem & splendorem, qui in Granato Bohemico vix ullo ignis ardore domari aut corrumpi potest: idq. propter solam spirituũ fixationem, quæ in ipso satis percipi potest: qua ratione etiam Auri vires in curatione morborum æmulatur, & Rubino Orientali, sustinente Ignis examẽ vix tot horis quot alter mensibus meritò in usu medico præferri debet. Hoc etiam hic obiter notandum est quod Gemmæ suum Colorem, Formam & Tincturam, per Astrorum formationem à metallis accipiant, secundum intensionem aut remissionem colorum, sunt enim metalla transplantata. Nam Rubini & Granati, auri habent Tincturam, Sapphiri & Turcoides argẽti. Smaragdi & Chrysolithi cupri, Hiacynthi & Topasii ferri, Adamantes stanni Saturnus glutinamentum cum pondere subministrat, sicuti è factitiis illis & ementitis gemmis è minii & silicum alborum pulvere proportionabiliter mixto, additâ formâ metallicâ, per Ignis artificium ad oculum demonstrari potest Et quamvis Naturalibus ac genuinis colorum pulchritudine non cedant, pondere tamen & mollitie fucus & adulteratio ab intelligentibus Lithotomis facilè deprehenditur. Si fortè qui sint, qui ex simplicitate dicant Metallorũ usum in medicinâ nullum esse, saltem in civili vitâ, quamvis sint Elementorũ fructus æquè benè ut Animalia & Vegetabilia, non ad Hominis nutrimentum, sed ad medicinã creata in Hominis gratiam, neq. illorum perfectorum præcipuè ullam esse cum corpore humano convenientiam ac similitudinem, licet illorum trium primorum etiam Homo particeps sit, sciant Animale, Vegetabile, & Minerale sperma unum habere ortum, differre saltem Loci & Receptaculi Qualitate. Animalia, Vegetabilia & Mineralia principia, u-

Gemmæ sunt stellæ Elementares.

Lege manuale Theophrasti. Mineralia Hominis sanitati cõducũt. Dũ enim corpus humanũ accipit suam medicinam è mundo, quia mundus est, inde sequitur omnia mine-

ralia homini conducere, quodq. applicatum ad suum minerale in corpore physico contentum.

na eademq́, per omnia sunt, sed varia Receptacula. Aliud enim est Vegetabilium, aliud Mineralium, siquidē omnia hæc descendunt ab uno genere principali principalissimo, & generalissimo (quod est generale semen omnium rerum seu primæ materiæ subjectum, postea in tria principalia genera diuidendum, Animale, Vegetabile & Minerale) à quo Natura recipit Argenti vivi Naturam ad creandum omne aliud compositum. Omnia sunt ab uno principio, & tendunt adunum: In Nocte Orphei & Hippocratis Orco, omnia sunt unum, attestante etiam παναπερμία Anaxagoricâ, malè ab Aristotele intellecta & iniquè incusata: Sed postquam unica illa Natura Essentia & materia Rerum omnium in hanc mundanam progreditur scenam, secundum DEI *voluntatem, quæ est specificum Omnis Creaturæ, varia & multiplicis distinctionis mirabilia in itinere induit corpora, juxta Loci & Receptaculi dispositionem & varietatem secundum spiritus etiam universalis agitationem & operationem: hîc crescunt Vegetabilia, illic Mineralia proveniunt, isthic generantur Animalia, & unum cedit semper in Nutrimentum alterius. Hic enim ordo sublunari Occonomiæ præscriptus est, ut Mineralia Vegetabilibus, hæc brutis, brutaq́, hominibus alimentum suppeditent, quod fieri non posset, nisi natura unius esset affinitate participans naturæ alterius, & hoc propinquitate, & vicinitate primi generis, à quo omnia processerunt.*

Sic etiam Spiritus vitę unicus est per totum corpus humanū, sed quo ad corporis partes, quibus inest, varius.

Rom. 8.

Vide Apocalypsin Hermetis Paracelsi.

Ex uno ergo fonte procedunt omnia, & post absolutum pensum, relictâ Vanitatis statione revertuntur ad loca sua, immutabili quiete beata: Spiritus ille universalis totam agitans molem (Agrippa vocat subjectum omnia miserabilitatis, Ens nullo sensu comprehensibile) qui omnia in omnibus operatur & orbem Terrarum implevit, DEI *Numen, totum mundum in se complectens. Auicenna vocat Animam mundi diffusam in omnibus rebus, fretus autoritate Platonis, Arabum & Chaldæorum, absque omni tamen superstitione & cultu idololatrico audiendum hoc, habito interim uni* DEO *honore & gloriâ suâ quam alteri non dat: Natura inquam media, infima supremis Harmonico quodam concentu coniungens (& nunc Animalis nunc Vegetabilis nunc Mineralis pro subiecti & receptaculi diversitate vocatur) stupēda operari solet in tribus Naturæ Familiis, sicuti inter cætera etiam in puero Silesiaco, nostro sæculo memorabili manifestatum fuit exemplo, in cujus ore produxit non aureum sed auro obductum maxillæ sinistræ inferioris dentem, quē olim Pragæ in aula Illustrissimi & Laudatissimi Principis D. Petri Vrsini à Rosis, &c & vidi & contrectavi. Hermeticæ Philosophiæ ac mirabilium Dei operum Indagatoribus solertissimis, qui abditarum in ipsa Naturæ maiestate causarum secreta rimantur, nihilq́, quod sciri possit, ignorare velint (siquidem ea, quæ naturalem ordinem excedunt perscrutari non sit vetitum) miraculum hoc ludentis Naturæ minus est mirabile, cum ex occultioris Philosophiæ penetralibus sciant, eundem illum Spiritum, & naturam mineralem, quæ in terræ visceribus producit aurum, etiam in homine esse: Ille Spiritus in auro, idem est cum Spiritu generante omnium Creaturarum, estq́, eadem & unica generativa Natura per omnia diffusa: Hic Spiritus nunc Naturale corpus assumpsit. Primum movens & Naturæ rector in omnibus rebus naturalibus est, conservat omnia, & ab illo sunt omnes res, omniaq́, inferiora Harmonico quodam concentu regit: Scribit Albertus Magnus, suo tempore in corporibus & capitibus suspensorum quorundam fuisse repertum aurum: In libro Mineralium dicit Aurum ubique reperiri. Non est res, inquit, sine quatuor Elemētis elementata, in qua non inveniatur aurum naturaliter in ultima subtiliatione: Et ideo affirmant Philosophi Mysterii sui materiam ubique reperiri, quia in omni re elementata consistit. Item probat Albertus quod maxima virtus mineralis est in quolibet homine, & maximè in capite inter dentes: & suo tempore inventum scribit in sepulchris antiquorum mortuorum inter dentes aurum, in granis minutis, & oblongis, quod esse non posset, nisi in homine esset illa virtus mineralis, quæ virtus mineralis est in Elixire Philosophorum. Sic Morientes præstans ille Philosophus, Chymiologiæ scientissimus, & in ea exercitatissimus, cum Regi Calid interroganti de Elixiris materia respondisset: Ex te est ô Rex, & tu eius minera es: nequicquā de eadem à Raymundo Lullio magisterii scrutatore haud scio, an solertiori, an diligentiori discrepavit, cum materiam suam ex re vili & impreciabili se traxisse dixisset. Riplæus in Portis utriq́, suffragatur: Memento hominē esse nobilissimam creaturam, in quo est quatuor elementorū proportionatorum per Naturam neutralis Mercurialitas, quæ omnino nil cōstat producitur per artem ex sua minera Rhasin subiiciamus Riplæo, ut qui ab eo non usquequaque dissentiat, Libro Divinitatis, inquit, scias Res Naturæ subtili artificio ita colligatas esse, quod in qualibet re, est res quælibet potentiâ, quam vis actu non videatur: Sed de his curiosius verba facere supersedebo, alioquin congeriē Philosophorum isthæc confirmantiū, non vulgaribus argumētis & à superficie rerum sumptis,*

Anima mundi est vita quædam unica, omnia replens, colligans & cōnectens, ut ex tribꝰ generibus Creaturarū, Intellectuali, Cœlesti & Corruptibili vnam reddat totius mundi machinam, per virtutem quam occultas quas habet ab Idæis, omnia tam naturalia quam artificialia fœcundat infundendo illis proprietates Quintas Essentias appellare consuevimus.

Natura Dei Imago est Ignis invisibilis seu vigor Igneus, quo cūctę res multiplicantur.

Natura sæpe in suo magisterio ludit & lætatur de suo magistro, & de sua arte & viribus.

In mineralib.

Lullius fuit divinus ac cōsummatissimus Philosophus, immeritò à Paracelso culpatus.

Materia lapidis dicitur esse in omnibus rebus ratione primi moventis in reb. naturalibus, quę Spiritus vegetabilis nuncupatur, quo nostra materia lapidis præ cæteris abundat, Spiritus hic tam est in animalibus vegetabilibus, quam mineralibus.

sumptis, sed rationibus firmissimis, & ex intimis rerum visceribus eductis, adducere huc possem testes videlicet graves, & exceptione quorum vis sophistarum maiores. Sed hæc transeunter sint dicta.

Porrò subtiliandi, extrahendi, & separãdi modus Chymicus Galeni tempore deficiens non admodum in usu erat, (siliquas enim & cortices à nucleo non poterant separare, huic ipsi prorsus incognitus, quem tamen magno desiderio desideravit inscius, ut ipsiusmet verbis intelligere est, quando de simplicium medicamentorum facultatibus de aceti partibus calidis & frigidis secernendis

Lib.1.cap.19.

Lactis tria prima, serum, butyrum, caseus coagulatus, omnis enim terrestreitas est Sal.

se pericula omnia subiturum ait, si quam machinam invenire queat, partium contrariarum separationis, ut in lacte sic in aceto: Qui si artis distillatoriæ peritus fuisset, voti sui hac in parte facilè compos fieri potu isset. Neque verò Hippocrati aut Galeno pro dedecore aut opprobrio imputandum erit, quod hæc ignoraverint. Deus enim & Natura (quæ divinorum operum ordo & series est, ac Dei potentiæ illiusq; verbis & iussis obsequitur, ab eoq; vires mutuatur) nil facientes frustra, non omnia simul uno & eodem tempore generi humano profundunt, sed dona quibusdam sæculis particularia successivè communicant, nec uni omnia largiuntur, sed unicuiq; particulare donum distribuunt. Hinc apparet, quàm dissimile fuerit multorum veterum iudicium, qui, si quid ipsi ignorabãt, quod ab aliis sciri etiam in longinquis regionibus audissent, illis perdiscendi gratia, nullius non maris terræq; periculum subierunt: Sine dubio, si Galeni sæculum in Paracelsi tempora incidisset, eruditionem eius sine invidia veneratus fuisset, nec puduisset eum Carbonum: & prout erat discendi avidus, ipsi Theophrasto, tàm protrium primarum separatione in aceto, quàm pro altiorum Magisteriorum & Elixirium præparationibus cõmunicandis, aliquot annis, gratis servitutẽ servire, & Cinistonis, Argillarii, Vigilisve locum subire non recusasset: nullam denique non admisisset conditionẽ, quæ huic tàm præstanti scientiæ perdiscendæ adminiculo fuisset, frustra irascentibus Cholericis & Melancholicis Philerastis medicis, qui cùm in medicina Spagyrica vix fuerint Alphabetarii, neque de Creatione & compositione interni hominis Astralis quicquam sciverint, multo minus de Mechanicis morborum Spiritibus, non erubescunt tamen, temerè & præsumptuosè absq; conscientia pudoris cãcellos data opera transiliendo in nunquam satis laudatum, & adversariis suis millies meliorem Paracelsum, Germaniæ immortale decus (qui supra quàm credi potest, omnium scientiarum divinarum

narum & humanarum absolutam habuit cognitionem) magno convitiorum numero insurgere scurram circumforaneum, omnis Philosophiæ insscium appellare non verentur, illumq; non intellectum cum proprio suo dedecore, irrito licet conatu malitiosè opprimere. Vitæ ipsius œconomiam odio prosecuti sunt viperino, vitia exaggerantes humana: atq; ita magna temeritate in semetipsos legem statuunt iniquam: Sine vitiis non vivitur: optimus ille qui minimis urgetur, non vident manticæ, quod à tergo est, quasi ipsi etiam homines non sint, atque iis ipsis vitiis, quæ insectantur, vel maioribus obnoxii sint, vel aliquando fuerint, vel adhuc obnoxii fieri possint, & sic festucis fratrum intenti, nostras oblivisceimur trabes.

Vtinam illius temporis ambitiosi medici alios sua laude frustrantes (secundum illum qui omnium humanarum actionum & artis medicæ finis est, videlicet, ut Deum Opt. Max. amemus, & proximum quemq; perinde ac nos ipsos) in Theophrasti pectore serpentis oculum gestantes, non animadversis suis defectibus, illum orientem solem potuissent ferre, ac pro dignitate & merito ipsum tractassent mitius: imperfectiones eius humanas à nemine approbatas parisustinuissent misericordiæ affectu, quo Galenicæ impietati Moisis Christiq; scholam irridenti condonarunt sine dubio posteritati gratæ Arcana sua divinitus sibi concessa manifestasset clarius, minusq; involutè & truncatè de præparationibus verba fecisset: nec hodierna Respub. Spagyrica impiam quorundam, & maledicam illius temporis ingratitudinem etiamnum ad summum doloris experiretur sensum, constantiam & tractandi æquabilitatẽ in Theophrasti scriptis requirendo, & in processu mechanico præparationum veritatem desiderando. Inde fit, ut paucissimi hodie reperiantur, qui veras medicinas ex Theophrasti mente præparatas habent, de quibus in suis libris copiosè agit. Requirunt enim verè Philosophicas solutiones, mortificationes, cohabationes, resuscitationes & similia, quæ sine vera Physica, Astronomia & Chymia intelligi non possunt: nec sine tẽporis longitudine & tædio Philosophistis moræ impatientibus molestissimo absolvuntur. Et puto hoc seculum impium non dignum esse huiusmodi medicamentis. Sæpe enim Deus propter peccata mundi, eiusque summam ingratitudinem sua μεγαλεῖα Hominibus indignis, iusto suo iudicio subtrahere solet: Qui etiam nunquã permittet manifestationem illorum Secretorum, præcipuè in his periculosis & corruptis temporibus, in quibus Honor & dedecus, Virtus & vi-

lib.2.de pulsuum differẽtiis.

Vide Paracelsum in Paragrano.

Medicus sit Astronomus, alioquin medicinam ejus Seductionem & Impostu-ram vocat Paracelsus.

Ideo cũ Icaro, multi in magno mari submergũtur.

4. Columnæ Medicinæ. Philosophia, Alchymia, Astronomia, Physica, Virtus, seu Medicina.

tium, Veritas & mendacium à malitioso mundo æquiparantur. Omnes etiam ferè Chrysopœiæ studio inflammati, medicamentorum debitam præparationem negligũt, cuius rei unica causa est, quod veram Philosophiam Paracelsi, eius Metaphysica nõ intelligant, librosq; illos magnos à Theophrasto in Labyrintho medicorum indicatos, non prius diligenter evolvãt, antequam ad præparationes, separationes, & Analysin veram rerum Naturalium accedant. Video etiam plerosque Chymicos, qui se aulis committũt, splendore aulicorum negotiorum à veritate abduci, & vanis aulicis ædulationibus decipi, ut illa Dei magnalia vel negligant, vel potius ad huiusmodi stupenda Dei miracula reddantur inhabiles, ut iam tot annis animadverto cœpisse plures benè, sed his nugis deceptos finiisse malè. Ex qua causa Spagyria hæc divina admiranda & comprobata Ars (licet de summa incertitudine pessimisq; impostoris à tot sæculis semper suspecta) sine causa à rudi plebe diffamatur (quod plerunq; rebus melioribus contingere solitum est) ac cum altioribus scientiis etiam apud huic negotio intentos contempta iacet, & tanquam non de pane lucrando vilipenditur. Quæ de abusu, impostura, & malis artibus dicuntur, non ea sunt propter quæ res alioquin bona damnari possit aut debeat: Quæ enim res, si ea abutaris, in hominis exitium verti non queat? adeo, ut quò melior, eò exitiabiliores habeat abusus. Et quis audet se Thrasonibus Athenienſibus opponere, qui lucem tenebras, & tenebras lucem esse contendunt? Et habent suarum vanissimarum vanitatem, universum ferè immundum mundum defensorem, siquidem mundus non quærit Veritatem, sed suum proprium honorem: Ideo Deus nos dat in Sem reprobum, ut invicem odio & invidia nos persequamur, & imminentis destructionis Regni nostri ipsimet causa simus. O fons Veritatis & Sapientiæ, aspiceres nostras, & corda eorum, qui pio desiderio, ardentibusq; votis adversus imminentem hanc metamorphosin dies & noctes reluctantur. Sed Altissimus dabit his quoque suo tempore finem: Et spero saventibus superis, futurum brevi, ut Deus aliqua excitet Ingenia, quæ Veritatem in scientiis & facultatibus (siquidem Inventio Artiũ nondum attigit ultimum finem) in lucem proferant, zizaniam scientiarum eradicent, & deceptiones ac errores scholasticorum refutent non verbis, sed factis, non Syllogismis, sed Re ipsa. Quando enim Perfectum venerit, appropinquante Renovationis & Regenerationis tempore, omne Imperfectum necessariò cadet: ubi enim Superbia cum Titulo & Gradu ac claro Nomine, ibi nulla Humilitas, nulla

nulla Vita Christi, nullus Spiritus sanctus, sicuti in multis manifestè apparet, qui Veterem Hominem è Spiritu Sydereo dominari permittunt. Deus interea omnes amatores veritatis suo Spiritu Sancto illuminet, & è vinculis profundarum Tenebrarum & contentionibus eruditorum Putaticiorum nunquam cessaturis clementer eripiat.

IV. QUA VIRTUTE, ET QOMODO, IN CORPUS HUMANUM MEDICINA AGAT, & morbos expellat.

QVod medici vulgò digladiãtur, num secundũ Hippocratis oraculum CONTRARIA CONTRARIORVM, *an verò secundũ Paracelsum* SIMILIA SIMILIUM *sint Remedia, observandum est horũ duorum axiomatum locutiones, quamvis specie dissimiles repugnare videãtur, in Anatomiâ Naturæ admitti. Ita Philosophorum mentem multi non assequuntur, quod nõ intelligant, quæ apud illos discordia esse videtur, bellam esse concordiam, si tempestivâ & consonâ interpretatione cõciliatur dissidium. Medicina enim nihil aliud est, quam appositio illorum quæ desiderantur, videlicet virium & Balsami refectio, & ablatio eorum quæ redundant, scilicet impuritatum morbosarum: Ergo non adversatur Paracelsus Hippocrati asseveranti famem cibo, sitim potu, repletionem evacuatione, inanitionem refectione, laborem quiete, quietem labore curari: & in universum Contraria Contrariorum esse Remedia: Sed Galeno manifestè adversatur, qui Contrarietatem Hippocraticam ad nudas illas qualitates ab Hippocrate damnatas præcipuè accommodat, primas enim & præcipuas Curationum Ideas ad Refrigerationes, Calefactiones, Humectationes, Exiccationes, harumq; complices errore infelici refert.*

In libro de flatibus.

Solæ Remediorum NATURÆ, *ut supra dictum, seu δυνάμεις Hippocraticæ morborum sunt medicatrices, medicus vero minister. Et hæc eadem Natura, Vita videlicet nostra, & Balsamus seu Mumia Balsamita, corpus à corruptione quavis defendens, per medium Salini liquoris, id est, Balsami inferioris, è superiori in inferioribus enati, hæc inquam eadem Natura nostra (quæ interdum miracula edit medicorum ope frustrâ imploratâ, qui magno Nominis sui opprobrio & Artis medicæ dedecore nimis tempestivè conclamando ægrotantem suis Prognosticis reliquerant) corporis Humani proprius sibimet est medicus, qui ab extrin-*

Natura similibus curat.

trinseco medico nil aliud requirit, præter instaurationem, aut ut vulgò loquuntur fortificationem, exteriore medicamento repurgatissimo, partiq; peccanti Naturâ simili non accidente adhibitam: Atq; sic Balsamum Medicinale Balsamo Vitæ seu Radicali & Naturali propter sympathiam & symbolum commune, instar coadjutoris & symmistæ succurrit. Indè labefactas vires Naturales resumit, quibus recuperatis per se potens est, tanquam interna & congenita Antidotus, omnes inimicos suos à sua monarchia pellere, virtute solâ Vitalium facultatum: Aegra enim corpora qualitatibus contrariis curare velle, nihil aliud est, præterquam Naturæ bello intestino satis labefactatæ, bellum intrinsecum in totalem sui ruinam movere: Adde quod contraria se mutuò non recipiant: Et si mutuò se non recipiunt, nec in se mutuò agunt, nec à se mutuò patiuntur aliquid, ubi igitur actio & passio vera non est, ibi etiam effectus Naturalis verus non sequitur. Ergò medicamenta, non possunt esse contraria loco affecto, sed oportet ut illi sint cognatissima, & eandem habeant (ob Harmoniam macro & microcosmi.) Naturam Externam, quam locus iste affectus habet Internam, vt Natura Interna istius deficiens confortetur & juvetur superabundantiâ Naturæ illius Externæ: Ideò vocatur Microcosmus, quia totus mundus hominem conservat, nutrit, & curat: Dum enim fructus Terræ, Aëris, Aquæ, Ignis Microcosmi ægrotant, oportet ut sui similibus fructibus Macrocosmi restituantur: Et sic Natura Naturam suam confortat & juvat: Natura autem à Natura sua confortata & adjuta, expellit fortiter omnem inimicum suum, cum Naturaliter omnis Natura conservativa sui maximè est: Atq; ita Naturam habemus non modo sociam, sed amicam & officiosam adjutricem, siquidem illa sola est genuina medicatrix omnium morborum, teste etiam Galeno in lib. suo 13. method. Primum movens omnis curationis, quippè absq; cujus robore vel vigore omnis medicina inutilis est, atque frustranea. Natura conservata in sui Temperatura in se ipsa est medicina, & suis infirmitatibus ipsa medetur, per innatam Mumiam, & ubi ipsa interna Natura recusat esse medicina ibi omnes morbi sunt lethales. Scitum enim nimis hoc est, Rem omnem Naturali quodam instinctu cupere perfici & conservari: Ex adverso à destructione sui vehementissimè abhorrere eamq; quantum potest, aversari: Corporis nostri partes glâdio aut alio quovis modo offensæ, hoc nobis quotidiano probant experimento. Læsi enim Naturæ veluti accurrentis opem sentiunt præsentaneam, & adeò indefessam, ut non prius quietura sit, quam profligato

vulnere deformi, læsas partes pristinæ restituerit integritati. Quod autem aliqui dicunt Contraria contrariis curari, benè dicunt, si nõ respicientes ad qualitates sed virtutes contrariæ Naturæ hoc dicunt. Tot enim sunt virtutes Naturæ adversæ vel malæ, quot sunt virtutes salubres sive bonæ: Et harum bonitas semper in conservatione Naturæ, sicuti illarum malitia semper in destructione Naturæ occupatur, & consistit. Si ergo ille volunt destruere, hæ in subsidium datæ sunt Naturæ laboranti, ut bonitate sua duplicem Naturæ bonitatem conservent, expellant autem & vincant malitiam illarum: Sic rectè adversæ vel contrariæ virtutes. Naturæ malæ aduersis & contrariis virtutibus Naturæ bonis expelluntur & vincuntur: Sed qualitates contrariæ, qualitatibus contrariis non tolluntur, verum magis ambæ irritantur, & ad pugnam provocantur: Ex qua pugnâ major sequitur Naturæ Infirmatio, quam Confirmatio, quoniam Natura non Qualitas est sed Virtus, Virtutibus etiam non Qualitatibus juvari vult, si contra inimicum malum suum prævalere & pugnare feliciter debet: Non enim medicus est qui morbum profligat, sed Natura ipsa (quæ est Interna Mumia seu Balsamum Internum) malum sibi ipsi adversum omne expellit si deficientibus propriis viribus ejus Internis, Externis viribus illi subveniatur à medico suo ministro: Quamvis sæpè optimum medicamentum sit, nullum adhibere medicamentum, & operationẽ soli Archæo seu Arti Naturæ committere, Interni enim corporis Natura plures morbos pellit, quam medicus cum sua medicina. Quare si in pestilentiâ ardente opio frigidissimo cura perficitur aliquando, nõ propter opii frigiditatem perficitur illa, sed propter virtutem venenatam specificam opii quæ major est in gradu veneni quam venenata vis pestis illius occulta: Atque sic Natura venenum Veneno interficit, malum minus per malum fortius cogit: Et ita tàm bonis quam nocivis armis contra hostem pugnat, ut sua salva retineat, illumq; quocunq; modo è suo peculio profligat: Sicut enim hyems æstatem nõ tollit, & æstas hyemem nõ pellit, sed unum alteri succedit tantum, sic qualitas qualitatem nunquam tollit: Sine virtute enim qualitas mortua est, & accidentalis tota, & per cõsequens, vitam & substantiam præstare nullam potest, quod tamen medicinam aliquam facere necesse est, si Naturam juvare debet. Et hîc etiam observatu dignum. Radices morborum in corpore Humano neq; calidas esse neq; frigidas, sed cum nihil esse possit sine colore, ita etiam morbus calidus aut frigidus esse dicitur, licet illa accidentia & excrementa sint saltem morbi signa, non mor

Cessante Naturali medico, incipit Internus medicus.

bus ipse. Morbi enim pernitiosissimi corporis proditores, non è materia corporis, seu quatuor humoribus oriuntur, sed è Natura seminis seu à Trium Principiorum Astris & Mechanicis Spiritibus Invisibilibus, qui spiritus cochleis & conchyliis suam etiam domum & habitationem externam fabricat. Fabricatores morborum ac Invisibilia hæc Astra veteribus fuerunt incognita: Medicina est spiritus (non corpus) soli magno visibilis: Ideò in simplicibus corpus seu Terra relinquenda, & virtus, Cœlum, seu Astrum accipiendum: Nam in Microcosmo & medicina sepositò corpore impuro, necesse est, ut vita pura in vitam agat, spiritus in spiritum, sicuti sol intangibilis nivem liquefaciendo evanescere facit: Ea siquidem omnium Arcanorum Natura, ut sine materia & corpore operationes perficiant, quandoquidem morbi etiam non sunt corpora: Et hæc est vera & viva Anatomia. Hic Mechanicus & Fabricator morborum in sua Radice & Origine debet superari & tolli, sicuti in Semine tota arbor potest destrui, non in Ramo: sic Faber Mechanicus seù principium generationis pyri suam habet in Radice habitationem non in Ramo: Ita injussa gramina dum virescunt, impediuntur quò minus crescant, per Terræ corruptionem non evulsionem: ubi Centrum, Radix, & Semen morborum evelluntur & sanantur, tunc omnia sunt benè peracta: Non fumus ab igne exortus, sed ignis ipse extinguendus: Medicus enim, qui ex complexione medetur, similis est illi, qui ignis flammam innocuam cupit extinguere, relictâ pruna seu carbone ignito: Illud quod ex semine nascitur, non pro morbo judicandum est, sed Radix seminis vires complectens in curatione aggredienda. Paracelsus autem dum similia similibus conseruari & contrariis destrui affirmat, nõ respicit primas nec secundas qualitates, quas semper Relollaceas seu invalidas vocat, sed substantiam saltem CHERIONUM *δυνάμεις Hippocraticas & Virtutum ut videre est 18. cap. Tract. primi secundæ partis Chirurg. magnæ, & aliis in locis. Similia dicuntur morborum Remedia, quia ex eâdem Anatomiâ Naturæ dicuntur, quia Signaturas, Proprietates, & Radices similes continent: Contraria verò, quia defectus & desideria resarciunt, quia amica saturitate spiritus & impuritates consentaneas deliniunt, resolutiones, cõsumptiones & tacitas ablationes moliuntur. Similia autem similibus conservari hoc pacto intelligit, Salem videlicet Sulphur & Mercurium microcosmi per Salem, Sulphur & Mercurium macrocosmi analogicè convenientem: Et sicut in microcosmo varia sunt Sulphura (aliud enim capitis, aliud cordis, &c.) Mercurii*

Par. in Tinctura physicorũ.

In primo Tractatu secundi libri Chirurgiæ magnæ.

Gradus & Complexiones in morbis non considerantur.

In libello de Antiqua medicina.

Quilibet enim morbus suo propriato proprio curari debet.

curii item varii, & varii Sales: Sic etiam in magno mundo his correspondens apparebit varietas Sulphuris, Salis & Mercurii in herbis & mineralibus: Ignis ministerium illorum convenientiam, repugnantiam & differentiam manifestare solet: Et quia omnes materiales morbos distribuit, secundum tres illas substantias, è quibus corpora nostra sunt composita, & secundum superfluitates excrementitias à cibo & potu provenientes: Morbos à Sulphure accenso ortos (siquidem Sulphur viis quatuor destruitur & exaltatur, videlicet à quatuor elementis) in corpore humano vocat sulphureos, ut sunt omnes inflammationes & febres: A liquore provenientes vocat Mercuriales: Mercurius enim seu calore digestivæ virtutis accidentalis, vel calore exercitationis, vel calore ex Astris exorto exaltatur supra naturalem gradum tribus viis: Calore namq; digestionis destillatur, & facit Apoplexiam cum suis speciebus: Calore Exercitationis sublimatur, & facit Maniam & Phrenesin: Calore Astrorum præcipitatur, & facit ex esculentis & poculentis Tartaro abundantibus Podagram, Chiragram Artheticam: A Sale excitatos vocat Salinos & Nitrosos (Sal namque per exaltationem via quadruplici lædit sanitatem & graves morbos producit, Resolutione, Calcinatione (per amissionem liquidi & humidi Temperamenti) Reverberatione, Alcalizatione, ut sunt ulcera, Scabies, Serpigines, Impetigines, Pruritus & eiusmodi, qui omnes Salis resoluti morbi sunt. Causa destructionis Salis, Crapula digestionem destruens: Luxuria immodica, causa Resolutionis Salis microcosmi: Astra etiam deturbant Salem ex suo gradu: Sal illud in omnia genera Salium transmutari potest, & qualis est transmutatio, talis etiam est morbus. Dicit igitur Sulphur accensum in corpore microcosmico, Sulphure macrocosmi Harmonicè convenienti esse curandum, sed qui finem illius propositum respicit, tale Remedium morbo erit contrarium, ad extinguendum enim tale Sulphur in corpore accensum (febrium puta si Ignis sit universalis, & scaturiginis initium in corde habeat) vult ut sumatur Sulphur appropriatum (non liquor Mercurialis nec Sal) qualia multa in Naturæ horto, & Familia Herbarum ac Mineralium reperiuntur, ut Sulphur Vitrioli, Nitri, Salis vulgaris & similium. Similiter docet ulcera (per Sales excitata) debere curari per Sales: sed si scopus ipsius animadvertatur, tales Sales sunt contrarii illi, qui malum excitavit & ipsi malo adversantur: Sũt enim incarnativi & consolidativi, ut thus, Mastix, Myrrha, Aloës. Inde liquet, quod Salem quandoque etiam nominet omne

Omnis Terrestreitas est Sal.

Paracelſ.

Salis corrosionem sanat Consolida.

Sulphuris dissolutionē restaurat Crocus.

Mercurii nimiā sublimationē ingressa aurum.

Natura nostra morbis medetur remotis impedimētis: Contra hæc impedimēta ægritudinem causantia naturā juvamus.

Stupenda & vera historia.

mne id quod liquescit, & resolvitur in humiditatem aqueam, & siccando indurescit caloris beneficio, ut sunt Arborum & Herbarum succi inspissati: Vt ergo tria sunt, è quibus medicina omnis oritur, Mercurius, Sulphur, Sal: ita etiā tria morborum genera, Mercuriales, Sulphurei, Salini. Quicquid ulceratur, curatur per Mercurium incarnantem: Quicquid in visco stat, per Salem: Quicquid in igne, per Sulphur. Hoc ergo subductis rationibus ratum sit: Medicamenta, utut morbo sint contraria, oportere tamen necessariò illa Naturæ esse planè amica: Pacem enim illa quærit ab omni controversia liberam, idq; solum amicorum ope & auxilio, quæ si succubuit, Medicorum opere frustra implorari solet: Econtra, salva ipsa incredibilia facit miracula, sicuti Anno 1560. Pragæ vidimus in Nova urbe in quodam Bohemo rustico nomine Matthæo, circiter 36. annos nato, qui dum per biennium mira & inaudita quadam gutturis dexteritate multoties apud bibulos iustæ magnitudinis ferreum cultrum, in guttur suum satis amplum ceu vaginam, corneo manubrio prius intrudēdo, instar præstigiatoris delita opera occultaret, superbibendo bonū hoc nomine impetratum cereviſiæ haustum, & postea eundem iterum pro libitu (singulari arte) cuspide retraheret, nescio qua sua infelici & demēti temeritate postridie Paschatos eiusdem anni, eundem eatenus deglutierit, ut planè in stomachum descēderet, & ab ipso nullo amplius artificio retrahi posset: & postquam ex apprehensione indubitatæ mortis subsecuturæ quasi semimortuus dictum cultrum septem integras septimanas & duos dies in suo ventriculo hospitatus esset, usu & adiumento Emplastrorū Attractivorum è Magnete & aliis, cuspis eiusdem naturali impulsu, iuxta orificium stomachi exitum moliri cœpit, quo deprehenso instanter petitum fuit à patiente (multis tamen propter imminens vitæ periculum factum dissuadentibus) ut incidendo extraheretur, quod tamen precibus in omnis fortunæ & valetudinis dubiæ tamen eventum à primario Regni & urbis Chirurgo Floriano Matthis Brandeburgensi die Iovis post festum Pentecostes hora septima matutina impetratum, & feliciter Dei nutu præstitum fuit. Color excisi cultri pollices trāsversos novem longi, tunc inter rariora Cæsaris repositi, (compluribus hominibus tàm in aula Imperatoris, quàm in urbe incredibilis miraculi instar commonstrati) ita fuit immutatus in stomacho, ac si per illud tempus inigne iacuisset. Rusticus autem spatio paucarum septimanarum adhibitis legitimis ab experto Chirurgo remediis sine ulla ulteriori ægritudine & molestia semper bene comedens,

dens, bibens, & dormiens, ut mihi aliquotiens referebat, DEI auxilio, & multorum erga egenum liberalitate, contra determinatam Aphorismorū medicorum: assertionem, pristinam sanitatem integram gratis recuperavit, & paulo post nuptias celebravit. Similiter anno 1606. Quidam Silesius Pragæ accepta pecunia in præsentia multorum hominum deglutiit albos silices ad ripam collectos, numero quadraginta sex pendentes ferè tres libras medicinales, quorum minimus magnitudinem ovi columbini æquabat, ac omnes vix à me quatuor manipuli comprehendi poterant: Hoc temerario ausu per aliquot annos sine valetudinis incommodo quæstum hinc inde in urbe fecit, &c.

V. MEDICI NATURÆ MINISTRI OFFICIUM.

SIcuti Philosophiæ vulgaris Terminus non in Aristotelem collocatus est, ut solidè monstravit P. Ramus: sic nec totius Naturæ Lumen, teste Paracelso, in solo Galeno est exhaustum. Libertatē humani ingenii, Naturæ Lumen, discernendi judicandiq; facultatem, homines hominibus eripere non debent, desit enim Monarchia Græcorum. Ideò qui in arte medica excellere cupit (siquidem nemo potest veraciter doctus evadere, qui in unius duntaxat facultatis rudimenta jurat) ab omni sectæ genere debet esse alienus, nec jurare in alicujus autoris sententiam, sed nudam tantum Veritatem sectari, eiq; subscribere, semper memor illius Horatiani.

αὐτὸς ἔφα.

Quo me cunq; rapit tempestas deferor hospes,
Nullius addictus jurare in verba magistri.

Nec aliorum inventa, uni sectæ adhærendo, in universum reiicienda sunt, sed omnes sectæ, quotquot sunt, familiariter sunt agnoscendæ, cum secundum nobilissimum ac sapientissimum Philosophorū phœnicem Picum Mirandulanum, profundissimi ingenii, & multiplicis eruditionis inimitabile exemplar, in unaquaq; familia sit aliquid insigne, quod non sit ei commune cum cæteris: Nullus liber tàm malus & abjectus qui non aliquid boni sæpè à præstantissimis autoribus neglectum in se contineat: Ætas posterior, ait Fabius, priori amplius eruditionis laboravit, & dum ipsæ scientiæ cum ingeniis crescunt, multo Ethnicorum turpissimos errores, postea sapientior proles, tanquam secunda spongia abstersit: Neq; dubium, plura adhuc delitescere in Sapientiæ & Naturæ Thesauris occlusa (Tempori-

Omnia occulta ex ordinatione divina debent fieri manifesta.

poribus & Nationibus in ſæculi conſumptionem immutabili lege deſtinata) ſagacium hominũ conatibus eruenda, quàm quæ noſtris ſenſibus ſunt pervia. Natura ſiquidem, cum ſit circularis, difficulter ab ulla mortalium ob vitæ brevitatem integraliter comprehendi poterit: Hæc cum ita ſint, neutrorum ſive veterum ſive Theophraſti Medicina in totum reiicienda: neq; ſic amplectenda, ut ſi quæ alia invẽta fuerit melior, huic quoq; locum relinquamus, quia dies diem docet, & ſecunda prioris magiſter eſt, ambæ ſimul ſunt conferendæ, & quicquid melius in utraq; fuerit retinendum. Homines cum ſint, humana quoq; patiuntur, alicubi errant, alicubi contraria & pugnantia ſcribunt, nonnunquam à ſe ipſis diſſentiunt, in multis hallucinantur, nec omnes omnia vident. Solus Spiritus ſanctus plenarium omnium ſcientiam habet, qui diſtribuit omnibus ſecundum certam menſuram, & ſpirans ubi vult, multa ſibi reſervat, ut ſemper nos habet ſui diſcipulos.

Experientia quotidiana, quæ ſuum finem nondum aſſecuta eſt, multa veterum errata detegit.

Sit autem verus Medicus, Naturæ miniſter, non magiſter, & Hippocratis ac Galeni ſententiâ Philoſophus medendi peritus: Et quia duo Philoſophantium genera, quidam naturas rerum Elementares ſub ſphæra Lunæ, vulgari modo inquirunt, quidam longè ſplendidiores & veriori nomine Philoſophi Arcana & Naturæ ſecretiora veſtigãt, hi naturæ primitiora adyta & ſanctuarium eius ingrediuntur, ac veram habent cognitionem & experientiam Luminis Naturæ, unde veri Medici oriuntur: Nam innata vis Naturalis creſcentium Terræ, per Chymiam copulata cum conſtellatione Firmamenti, mediante dexteritate medici, ab influẽtia cæleſti cauſatâ, hæc tria demum genuinum pariunt medicum: At ſecundum Paracelſum primò ſit legitimus NATURÆ INTERPRES, cujus Oeconomiam ſolus ſcrutatur, eiuſque univerſam latitudinem, omnes omnium Creaturarum ſpecies & genera per ſe cognita, tandem in homine etiam intuetur. Philoſophia docet vires & proprietates Terræ & Aquæ, ſicuti Aſtronomia Firmamenti & Aëris: Philoſophia & Aſtronomia faciunt perfectum Philoſophum, non ſolum in macrocoſmo, verum etiam in microcoſmo. Medicus habeat cognitionem Philoſophiæ & Aſtronomiæ: Chiromantia enim, Pyromantia, Geomantia, ſunt Elementa Aſtronomiæ & Philoſophiæ: Theophraſti enim & Platonis judicio, illi demum veri Philoſophi cenſendi ſunt, qui ſtupendum hoc Naturæ opificium, per univerſæ Creaturæ ingentem hanc machinam contemplantur, admirantur: qui Cælorum corporumq; ardentium qualitates, affectiones,

P. in Chirurgia magia.

Philoſophus verus originẽ habet ex cognitione Cæli & Terræ, & illorum Naturam & proprietatem exactè novit.

Ex admirari cœptum eſt Philoſophari.

nes, motus, curſus, recurſus: tum eorum etiam ortus, occaſus, anteceſſiones, conſecutiones, progreſſus, digreſſus, moras, impetus: qui ſemina denique & principia, dimenſiones ac inſtinctus corporum ſublunarium omnium, magnis obſervationibus nec minori diligentia, cautè examinare, ſagaciterq; perquirere ſtudent: ex qua quidem ſolertia, & perpetua meditationis & cognitionis illa, qua laborant ſiti, votisq; deinde ſcandunt, ut Naturæ myſteria & ſecreta maxima, non modo intellectu capere, ſed & re ipſa imitari, & quod ſummum eſt etiam præſtare norunt Philoſophus ubi deſinit in naturali Lumine Macrocoſmi, ibi incipit Medicus in naturalis Luminis Microcoſmi Analogica Concordantia cum priori.

Per hanc meditationẽ, quæ frequẽs eſt cogitatio, modus, cauſa & ratio uniuſcuiuſq; rei inveſtigatur.

Secundo ſit etiam Spagyrus, qui rei Medicæ habeat ſcientiam, purum ab impuro ſeparare, ægrotumq; ſanitati per præparationem Alchymicam reſtituere ſapientem: Sicuti enim Aurum ſepties in igne probatur, ita etiam Medicus per Vulcanum bonum à malo ſeparantem probari debet: inſuper etiam è ſua experientia naturalium operum diligenti inſpectione confirmata aliquid habeat: Nam Philoſophia eſt Medicina Practica, porrigens medicis in manus omnem medicinam, & verus ille demum Medicus è Lumine naturæ natus, cui Natura ſuam experientiam communicat. Nullus autem mortalium (adſit veriverbio venia) in univerſa Philoſophia & Medicina, indubitato cœli favore tam arduæ & abditæ arcana ſcivit, ac in publicũ protulit, ſicuti Theophraſtus ille Paracelſus, vir & Philoſophus omni æternitatis memoria & honore digniſſimus, cuius peritiam nemo adhuc inventus, qui attingere, nedum ſuperare potuerit, verus medicinæ Monarcha, & primus Microcoſmi medicus, qui de interno Aſtrali homine, eiuſq; officio à Deo creato, item de magnorum morborum incurabilium origine tam naturali, quàm Metaphyſica à temporibus Noë ſolus ſcripſit, quòd è ſuperiorum ætatum medicis ne per ſomnium ulli in mentem venit: multò minus noſtris Philoſophiæ Ethnicæ ſectatoribus, à qua Gẽtili Philoſophia, omnis error promanavit, quod ut ſupradictum duplex Creaturarum corpus incognitum ſilentio præterierit, Corporeum videlicet Mortale, elementatum, Phyſicum & Viſibile ex Elementis: Aſtrale Sydereum & Inviſibile à Firmamento & ſtellis. Intellectualis Anima Hominis: Lux divina è ſpiraculo Dei & divinis fontibus emanans ad Inviſibilem pertinet Philoſophiam, cuius Fundamentum Chriſtus eſt. Chriſtianè ergo debebamus philoſophari, non Ethnicè in linguis & artibus caducis & temporaneis, mortale & caducum æter-

E fundamento fidei & nova Regeneratione ſeu cœleſti trãſplantatione perfectè addiſcuntur omnes ſcientiæ,

Homo non potest habere maiorē Philosophiā, quàm è Deo in nova generatione.

Apud nullas non gentes efloruit hæc Philosophia.

Medicus à Deo creatus omnia potest. Iacob. c. 1. sect. 17.

Omnis potestas à Domino Deo est, sine quo nihil potest omnis creatura: sic omnia magnalia, mysteria, Arcana, soli Deo, non diabolo, creaturæ, aut Astris imputanda.

no præferendo Neq; solum: Natura tota externè & internè nobis cognoscenda est, verùm etiam danda unica opera, ut iuxta fundamentalem eiusmodi cognitionem superno Luminis Gratiæ *beneficio, unà cum Christo & omnibus Electis possideamus Vitam æternam, ad quam à Deo creati sumus, quæ vera Philosophia Theologica est: Ideo Renascentis primùm quærenda, sic reliqua Naturalia nobis nullo negotio adicientur. Sed ad Theophrastum revertamur.* Artis Chymicæ *fuit insigniter peritus, illius tamen autor non est: Magnus Philosophorum ingenio & memoria pro libris utentium numerus est, qui ante natũ Theophrastum per illam claruerũt, & à quibus Paracelsus multa tacitè mutuatus est: Fuit enim inclyta Ars illa Pyronomica antiquissima, ab ignorantibus immeritò diffamata, solis potissimum Regibus, Principibus, & paucis quibusdam Philosophiæ naturalis indagatoribus solertissimis quondam cognitissima, nõ minimum tamen per ipsum Paracelsum Arcanorum Monarcham cepit incrementum: Et quia Antiquitatis doctrinam, fatali quadam temporum hominumq; depravatione & negligentia, multis annis deperditam, & obliteratam, veram videlicet & Philosophicam Medicinam suo tempore à nemine hactenus restituere tentatam, singulari Dei providentia & impulsu è tenebris in lucem eruere, restaurare, ampliare, eiusq; obscuritatem magnam evolvere & illustrare, & à fucato dolo impostura eq; larva repurgare, imò divina quadam copulatione ex totius circuli ambitu ad unicum centrum revocare universam scientiarum ac musarum consonantiam conatus est. Ecce Diabolus generis humani & Veritatis emergentis perpetuus hostis ac individuus malitiosusq; comes, excitavit etiam suos emissarios & satellites, illosq; adhuc hodie concitat, qui canina quadam invidia alios à pabulo, quo ipsis frui non licet, arcere student, & singulare illud* Bonum *humanis invident necessitatibus: Et nescio, utrum maiori impietate, quàm blasphemia factum sit, ut quæ singularia* Theophrasti *peculiari influentia nati medici dona, in curandis morbis deploratissimis, solius medicinæ Authori (à quo ceu à Luminum Patre omne bonum & perfectum donum) cum humili gratiarum actione debitaq; reverentia ascribere debebãt, hæc pro animi sui in veritatem virulentia, more Pharisæorum ipsi diabolo maligno quasi effectori (quem Omnipotentis fune ligatum lumine Gratiæ & Naturæ privati Deo benigno & glorioso potentiorem faciunt) non solum impio & sacrilego ausu, verùm etiam nefario & inexpiabili scelere attribuerent: Deo soli illa sunt*

sunt ascribenda, ut universitatis auctori & Naturæ, legiq; eius, quæ illi diabolo affingere non verentur, cui tamen in voluntatẽ aut intellectum hominis nulla est concessa potentia Et sic dæmones pro Deo colunt, Gloriam, Bonitatem Omnipotentiamq; Dei blasphemantes, eiusq; Sapientiam seu Imaginem in homine latentem malitiosa ignorantia obscurantes. Germani nostri medici patriæ suæ Germaniæ, non ita debebant esse iniurii, & contemnere Naturæ suæ concessa divinitus Arcana: solum quæ sua non sunt, sed aliena potius expetunt, laudant, suaque vili quodam animo supprimunt, sicut etiam cum deplorando iuventutis in studiorum progressu impedimento P. Ramo ab invidis suis popularibus in Philosophia simplici, communi & corruptibili contigit. Quemadmodum enim Aristotelici in hunc immeritò insurrexerunt, sic etiam medici promiscui in Theophrastum Paracelsum, cuius eruditionem meritò admirantur & obstupescunt nationes Exteræ. Nec hac sua medica cõtenti provincia, falcem suam in alienam messem mittentes, ipsius Theologica, nec visa, nec lecta, nec ob ingenii sui paupertatem intellecta (cum tamen solus Intellectus divinæ Sapientia afflatu correptus veritatem iudicet) cavillari nõ sunt veriti, in quibus coniunctum* Theologicæ & Philosophicæ *veritatis pietatisq; perfectæ è* Libro Gratiæ & Naturæ *desumptum invictissimum Fundamentum ingrato & indigno mundo frustrà manifestare conatus est, videlicet ut mens nostra ad Deum elevetur, & oculi nostri ad veritatem erigantur requirendam, ac per regenerationem ad Beatitudinis futuræ desiderium. Sine Philosophia enim summè pium esse planè ἀδύνατον: nec etiam summè & Christianè in utroque Lumine philosophari quis poterit unquam, qui non verè pius sit: Nota enim sunt duo Lumina, intra quæ Omnia, extra quæ Nihil, & nulla perfecta rerum cognitio.* Lumen Gratiæ *verum Theologum gignit, non tamen sine Philosophia:* Lumen Naturæ (*quæ est Gazophylacium Sapientiæ Dei sacris literis confirmatum*) *verum Philosophum efficit, non tamen sine Theologia, quæ Fundamentum est veræ Sapientiæ. Opera Dei bipartita sunt: Naturæ opera, seu viam complectitur Philosophia: opera seu viam Christi ipsa Theologia: In his duabus viis Tempus nostrum caducum impendendum est, ut in pace & gaudio moriamur. Hinc patet omnem verum Theologum Philosophum esse, & omnem verum Philosophum Theologum Tentarunt post Paracelsum eodem hoc recto & compendioso tramite incedentes, beatæ & honoratæ memoriæ pientissimi & cum innocen-*

* Sic enim scripsit, ut nobis spẽ omnẽ imitationis abstulerit. Vide librũ Paracelsi de fundamento Sapientiæ. Item Suisum corda.

Percipiet qui scripta ejus nõ oscitanter degustaverit, sed illa medullitus examinarit.

Theologia & Medicina semota divulsione cõjungendasunt, siquidem Corpus Animæ domicilium est.

Numen & lumen hæc sola duo hominem perfectũ reddunt, & lumine Naturæ bene cogaito, cognoscitur Deus, seu Numen Gratiæ.

Meditando sed contemplando videmus, videndo cognoscimus, cognoscendo delectamur, delectãdo adhæremus, adhærẽdo possidemus, possidẽtes fruimur Veritate, quæ est pabulum animæ nostræ lege Div. Dionys. & Picum Mirandulanũ. Cant. Cantic. cap. sect. 8.

Dum aliena avidius scrutamur, nos ipsos discimus ignorare, & quãdo omnia percurristi quid te neglecto profecisti? Epist. 1. Ioh. 2. sect 20. 27. Psal. 98, Aba. 2. sect. 19. Ps 58. 84. 85. ad Philip. 3. Zach. 2. se. 12. 1. Cor. 3. sect. 9.

Sopitis sensibus trãquilla mente Deus expectandus, qui suam dat benedictionẽ ubi vasa vacua reperit.

Christus in templo cordis inveniendus.

tia tum doctrina integerrimi viri Paulus Braun Norimbergensis, Valentinus Weigelius, & Petrus Winzius (*instituti & illuminati non in sensuali Incipientium, nec in rationali Proficientium, sed in Perfectorum tertia* Mentali *seu* Intellectuali *Pentecostes schola, in qua Prophetæ, Apostoli, & omnes fere docti in vita & vestigiis Christi ambulantes sine labore & tædio didicerunt*) *qui testibus divinis planè & nullo unquam ævo intermorituris manuscriptis ingenii sui & depictis monumentis post se relictis* (*suo tempore in lucem Altissimi nutu prodituris ni indignitate & ingratitudine mundi deterreantur*) *toti in eo fuerunt, ut secundum divinæ voluntatis beneplacitum lectorum Animi divina cooperante gratia, adhuc in hoc corporis inferno ac miseriarum iugo hospitati, post seriam lapsus nostri cognitionem & deplorationem, per frequentem & assiduam divinorum contemplationem, & sui ipsius* (*per Christum*) *annihilationem, abnegationem, immolationem & mortificationem, relictis post tergum umbris, ad se ipsos in templum Cordis introversi, Talentum & Thesaurum ingentem intra semet absconditum & occlusum, assiduo pietatis exercitio eruerent: ne cum miseris mortalibus, se ipsos & per consequens omnia ignorantibus, Deumq; in semetipsis oscitanter negligentibus: frustra ex cæcitate & ignorantia* (*abeuntes retrò post vestigia gregum suorum*) *quærerẽt extra se, per multos libros, per mortales præceptores, per longinqua itinera proficiscentes, summo & diuturno labore, studio & defatigatione, illa, quæ tamen intus apud se possiderent abundanter, si videlicet planè sibi ipsis mortui, & per Sabbathũ ac temporalium oblivionem toto Animali suppresso homine, qui nil nisi* Terra *est, ingressi in se ipsos cum Davide Psalm. 40. Expectando expectantes Deum magistrum in sancto suo Templo, in cordis Abysso seu in intimis Animæ nostræ, Psal. 5. habitantem, suo spiritu in nobis loquentem, & omnia in nobis operari, mentemq; illuminare cupientem non impedirent, quæ est hominis salus summa & beatitudo, atq; ipse destinatus Cabalæ finis. Sed proh dolor malunt in se ipsis maximo suo damno & exitio sui iuris manere, infelices, insipientes & miseri homines, quàm in Deo, cum Deo, & apud Deum felices & sapientes esse. Cor Hominis renati est Dei inhabitantis Eden seu Voluptatis hortus: Deus enim creavit mundum & hominem, ut habitaret in eis tanquam in propria domo seu Templo, quamvis ob tenebricosum Quaternarii punctum nunc non conspiciatur: at post consummationem huius renovandi sæculi ex Hominis Ternario, secundum Ani-*

Animam, Spiritum, & Corpus Regenerato (*Nova Hierusalem quam* Unitrina *Essentia* DEI *& sacrosanctissima Triunitas inseparabiliter inhabitabit*) *non aliter corruscabit, quàm radians color igneus per Rubini vel Carbunculi pellucidum, immaculatum ac formosum corpus relucere ac scintillare consuevit. O Terque Quaterq; Beatum, in quo ceu Corporali Angelo ipse Deus homo est, cuius animus incontaminatus* DEI *Hospitis Templum est, ubi Sinistra Hominis nõ scit quid faciat* DEI *Dextra. In hunc unicum scopum Deum, omnium oculi, rejectis impedimentis in viâ occurrentibus, tendere debent* (*siquidem in hoc mundo Vanitas Vanitatum & omnia Vanitas præter amare Deum, illiq; soli inserviendo adhærere*) *& sic per humilem subjectionem uniri cum vero esse, ne per inobedientiam, arrogatam voluntatem ac propriam complacentiam, Imaginis Natura & Proprietate neglecta, relicto* DEO, *devio errore tanquam Proprietarii in nos ipsos aut Creaturas prolabamur in Vanũ, & in Malum seu nostrum* NIHILUM *recidamus necessario: Anima enim si recurrit intra se ipsam & convertitur in* MENTEM, *appropinquat* DEO, *omnia videt, nec opus habet externa disciplina, Angelorum more, qui omnia ab intra discunt, audiunt, vident: Conversa in sensus elongatur à Deo, & discedit à Deo ut impurum à puro. Mysterium hoc spiritus Academicus capere non potest: Sola enim Pia ac Religiosa Humilitas, virtutum nobilissima, Illuminationis capax. Sed cum veritas hæc non possit comprehẽdi, nisi intellectus noster per* VERBUM *Domini incendatur & Ratio per* MENTEM *Lumen Divinum accipiat. nec de his mysteriis hoc loco incommodo plura in publicum profari fas sit, à diverticulo in quod justa ratio me abduxerat ad Paracelsum medicum regredior.*

Debeant autem nostri Medici tanta DEI *Dona in eo exosculari, & hominem, (quem μωμεῖσθαι facilius, quàm μιμεῖσθαι) ob artem ingeniosissimam potius amare, quam ob mores & verba non omnibus obvia odisse. Barbariem scriptorum ejus excuset sæculum, deplorandam commẽtariorum obscuritatem malitiosa hominum ingratitudo, inauditam nominum novitatem mira Philosophorum consuetudo, qui ignavum pecus alienæ industriæ arrodendæ natum, à sanctissimarum scientiarum penetralibus semper arcuerunt. juxta illud Platonis,*

Artes ut lateant, sua perq; Ænigmata crescant.

Dominii jura & libertates ubiq; concessæ sunt. Quilibet in se descendat, si illa quæ Theophrastus novit tenuisset, nunquid vellet omnibus hominibus hoc dicere:

Face-

Apocalyps. 21. sect. 2. 3.

Creatura jure obligata est Creatori ad obedientiam, ut una maneat cum Deo nostra voluntas. Gen. 6. sect. 3. Lapsus Hominis & Malum nostrum est defectus ab unitate ad alteritatem.

Seneca: Quoties inter Homines fui, semper minor Homo domũ redii.

O quàm difficulter stulti desunt ii, qui se in sapientiam humanam semel immerserunt.

Faceret contra Juramentum Hippocratis, qui etiam medicinam nõ omnes docere voluit. Imò occultandum est secretum, quod Deo soli conceditur revelandum, & quod propalatum aut mortẽ vel carceres vel ignominiam, aut ad minimum continuum metum & spontaneum exilium (nisi mentiendo & defraudando maculam perpetuã tegendi sui causa, nomini suo inurere velint) procul à patria & suis securitatis gratia adferre solet, sicuti præter recentiorum exempla, testantur ipsius Lullii, Arnoldi, Zachariæ Parisiensis & aliorum. Veri Philosophi Hermetici sacramentum posuerunt, se patrum & præceptorũ vestigia imitaturos, nec ulla temeritae servatam à seculorum exordiis Naturæ virginitatem prophanaturos: Juratis tamen ac perpetua gratitudine & fide obligatis disciplinis à Natura aut Institutione dignificatis præcepta dederunt, multo adhuc sudore enucleanda. Arbitrantur, qui judicio parum valent, si quid Paracelsus in Methodicos Experientiæ, si quid in Empiricos Scientiæ expertes invehatur, nulli medicorum generi cum parcere, se solum atq; unicum orbis terrarum medicum profiteri: Damnat ille saltem medicorum vulgus tàm Theoriæ quàm Practicæ imperitum: Nec sanè illi pro medicis sunt habendi, qui cum nil medendo præstent, Verbosè tantũ & Syllogisticè, de rebus medicis digladiantur, quod est stultæ ambitionis signum, sibiq; medicinæ Methodum vendicant, genus hominum fastu superbiaq; tumidum, & ad opprimendam Artis Medicæ veritatem natum. E quibus nonnulli (quandoquidem superbis & inexpertis pœnitentia Revocationis summoperè adversatur) erga ipsum Theophrastum ita sunt animati, ut vel perire ægrum malint, quam medicamenta ab ipso præscripta usurpare: plurimi etiam eam ob causam medicamenta ejus contemnunt, ne si ista palàm usurpentur, eorumq; mirabilis cõspiciatur effectus, de sua autoritate aliquid ipsis decedat atq; ita, quò meliora, eo cõtemptibiliora apud ipsos sunt. Et quamvis Theophrasti censores, Methodici fallaces (qui comperendinando remedia, & ægritudinem producunt suum ad compendium) genuinos Chymicos insimulent, quod Veram reliquerint Methodum, nihil est, cum illa, quam Paracelsus sequitur & Rationi & Experientiæ cõsentanea sit, sicuti Intelligentiæ Lumine præditis manifestum est: Neq; nos ullius autoritati ita debemus esse addicti, ut Veritatem ipsam nõ anteferamus, cum sine hâc Autoritas omnis pernitiosa sit, nulliusq; momenti à prudẽtibus æstimari debeat. Non à quo, sed quid dicatur attendendum, & nemo tàm aliorum judicio addictus sit, ut prorsus omni spolietur proprio.

Sine labore nemo debet artem possidere.

Vera

Vera Methodus consistit in cognitione Morbi eiusque curatione, videlicet quæ victus ratione Medicamentisq; convenientibus morbum pellit, sanitatemq; introducit: Ideo Wimpenæus *erudite disserit, gravissimos morbos hodie à Paracelsistis tres ob causas sanari.*

Primo, *quod morbi perfectius cognoscantur, olim enim, cum omnes ad quatuor humores referrentur, ii non potuerunt curari, quorum causa fuit Tartarus alicui membro inhærẽs, qui ad nullum ex illis quatuor potest referri. Dum autem in Tartarum hîc incidimus, eius uberior mentio hoc commodo loco facienda est.*

Ex ultima cibi materia per Archæum stomachi digestionem videlicet, separationem & generationem separationis, emergit primum Ens ad vitam, unde corpori suum nutrimentum & cibus: Reducitur in Sulphur, Mercurium, & Sal; ut apparet in tribus præcipuis emunctoriis: Salis siquidem superfluum per urinam separatur, Sulphuris per intestina secernendo excernitur, Mercurius seu liquor Nutrimẽti locum occupat, si fortè in eo quid superfluum occurrat, per poros pellitur.

Omne quod comedimus & bibimus habet in se mucilaginosum, luteum, & arenosum Tartarum sanitati humanæ nocivum. Natura nõ accipit, nisi quod purum est: Stomachus qui est instrumentum Archæi Hominis, seu internus Chymicus innatus, ac à Deo implantatus, statim ubi ad se recepit comesta ac ingesta, separat impurum fœculentum Tartareum à puro Nutrimento: si stomachus validus, & maxime vi sua separativa, purum transit ad membra nutrimenti causa, impurũ per secessum exit: si stomachus debilis, mittitur impurum etiam per venas meseraicas ad hepar, ibi secunda fit digestio & separatio. Hepar ergo ex duobus illis separat vicissim purum ab impuro, videlicet Rubinum à Crystallo: Rubinus est nutrimentum omnium membrorum, cordis, cerebri, &c. Crystallum seu quod non est nutrimentum, expellit ad renes, & est urina, quæ nil aliud est, quàm Sal expressum à Mercurialibus per violentiam separationis in resolutionem coactum, quod resolvitur per hepar in aquam & expellitur: Si hepar ex debilitate non rectè separat, mittit mucilaginosum & calculosum ad renes, ibi in defectu bonæ separationis, ex potentia prædestinationis mediante spiritu Salis coagulatur in arenam seu Tartarum, aut Bolarem, aut mucilaginosum. Tartarus est excrementum cibi & potus, qui in homine per spiritum Salis coagulatur,*

Omne membrum suã digestionem, separationẽ in se propriã habet, suũ item emunctoriũ, excrementũ.

Digestio prima stomachi non est digestio, sed præparatio, pro digestionib. particularium membrorum.

* quando videlicet spiritus Salis, carnis scil. & urinæ uniuntur.

Prima separatio Tartari usneã dat, quę hepatis est, secũda grandinem, quæ stomachi: tertia Lapillum qui renum & vesicæ est. Quilibet homo habet usneam & grandinẽ, lapidem verò non.

tur, nisi vi propria expulsiva immisceatur excrementis, & simul egeratur, unde alioquin quatuor species Tartari, Calculus seu Lapillus vesicæ, Arena renum, Bolus ut & Viscus seu Lutosum stomachi, item varii morbi veteribus incogniti oriuntur. Paracelsus insuper Tartarum distinguit in Peregrinum scilicet ex cibo ac potu ac innatum (ex sanguinis hereditate) cruore scilicet, quæ Tartarea innata dispositio medico Naturam cogere nescienti manet incurabilis, nisi beneficio Quintæ Essentiæ auri, quæ totum corpus renovat.

Tartarus ergo seu Naturalis superfluitas (quæ mucilago Salis est) omnium coagulatorum corporum ferè mater est omnium morborum. Omnia enim alimenta habent iuxta medicinam etiam Venenum seu Tartaream mucilaginosam impuritatem, ex ordinatione divina. Sunt autē quatuor genera Tartari, è quadruplicibus Elementorum fructibus nos nutrientibus originem ducentia.

Paracelsus dicit materiā morborū Tartarum videlicet, duplicem esse, Bolarem, qualē habent lacticinia, earnes, pisces, & viscosum, bituminosū, mucilaginosum, cuiusmodi excrementū in se habēt legumina, caules, radices, frumēta.

Resolutio Tartari microcosmici Tartarum à Nutrimento separans est maximum arcanum, sine qua claudicat morborū Tartareorum curatio vera.

Primum genus oritur ex usu crescentium Terræ, *Leguminum, Herbarum, quibus vescimur. Secundum provenit ex illo nostro nutrimēto, quod ex Aqua sumimus, ut sunt Pisces, Conchilia. Tertium est in Carne quadrupedum & volatilium: Quartum è Firmamento, cui spiritus vini sua subtilitate est similimus, quod est validissimæ impressionis, dum videlicet Aer è vaporibus Terræ & Aquæ ac Firmamenti infectus, nos postea etiam inficit, ut videamus in acutis illis & pernitiosis morbis Astralibus, Pleuresi, Peste, Prunella, quos morbos ex stellarum impressionibus ortos universalis medicina potenter expellit.*

Quatuor illa Tartari genera, in urina se manifestant, & dijudicant per artē separationis: Inde liquet, ex quo genere Tartari morbus sit. Qui ergo cognovit, quibus alimentis quis usus fuerit, morbum quoque cognoscet, aut qui morbum cognoverit, alimenta non ignorabit. Ex quo Elemento morbus, ex eodem quoq; curatio. Si Galenus cum suis asseclis horum excrementorum cibi & potus, maximam morborum partem in nobis parientium (quæ Paracelsus sub nomine Veneni & Tartari comprehendit) habuisset legitimam cognitionem: Cholera & Melancholia ex Agro medico, iam dudum radicitus evanuissent. Qui nescit hanc Tartaream morborum materiam è cibi & potus superfluitatibus excrementitiis procedentem, fieri non potest, ut sciat, quo medio fabricator morborum nos affligat, machinam minoris mundi destruendo, & vitam expellendo: & ignorato Tartaro nescitur quid sit id, quod spiritum coagulationis inspingat, & Tartarum à Nutrimento separet, videlicet Calor noster Naturalis, seu Calor Solis &

lis & Lunæ microcosmicus in nobis existens, quo instar Ignis lignum consumentis, digeritur Nutrimentum, & ex illo bonus sanguis generatur, nisi per ægritudinem & debilitationem separativæ virtutis stomachi, hepatis, renum impediatur, & tunc cōfortandus est suo simili, id est, Calore Solis & Lunæ macrocosmico si haberi possit, videlicet materiâ simplicissimâ generatâ à Deo opt. Max. ex spiritu mundi (cum spiritu corporis nostri uno & eōdem) ad restaurationem & conservationem Humanæ Naturæ, vel cum iis rebus, in quibus Sol & Luna potentiâ est, per artificium in actū deducta, videlicet conversa in talem simplicem spiritum, qualis est spiritus vitæ nostræ quod fit per resolutionem & conjunctionem cum Nutrimento: Si vero Archæus nostri purum ab impuro separantis stomachi, hepatis, vel renum inficiatur, aut per externa accidentia vis eorum separativa impediatur, tunc cum chylo manent Excrementa, & fiunt præter morbos renum, & intestinorum Morbi Stomachici in stomacho. Jecorales in jecore, Arthritici in glutine, nervis, artubus & junctūris: unde Podagra, Chiragra, Genugra, ex congelatione videlicet glutinis per spiritum Salis. Ideò Tartarus Elementorum ob Archæo stomachi debet destrui, ne fiat Tartarus Hominis, siquidem spiritus Salis, qui est heros & Dominus coagulationis in variis subjectis, offendens materiam resolutam seu separatam à nutrimento & excremento, generat Calculum. Tantum de Tartaro.

Spiritus vitalis in Homine & Elementalis est unus spiritus.

Tartarus differt secundū loca meatuū, oris, stomachi, fundi stomachi, intestinorum, hepatis, renum, vesicæ, carnis, sanguinis, medullæ.

SEGUNDO, *quod perfectiora medicamēta nunc, quàm olim habemus, utpote ex Mineralibus, eorumq; præparationes & debitæ administrationes Nigellis Cadmi filiis exercitatis innotuerint: Malo nodo malus cuneus applicandus: Ideò ad morbum ferreum Paracelsus adhibere jubet medicamentum conveniens chalybeum, siquidem extremi morbi extrema poscant remedia.*

TERTIO, *quia hoc tempore Harmonia majoris Mundi cum minori patefacta est cognitaq; ita ut sciatur, quodnam medicamentum ex præstantissimis huic vel illi membro familiare sit & amicum, ut Cerebro Argentum, Sapphyrus, Vitriolum, Smaragdus. Cordi aurum, Margaritæ, Crocus. Pulmoni Sulphur, & sic consequenter.*

Porrò quod Paracelsus Galenum offendit, fecit Galenus idem alius: Hippocrates etiam multa scripsit, quæ hodiè à plerisque Galenicis reiiciuntur: Imò nec vulgaris medicinæ antistites inter se conveniunt. Quam multa sunt de morbis particularibus inter ipsos suis pugnacissimis opinionibus discrepantes, morbo-

Plures opinionum pugnas invenies apud Agrippam, de vanitate scientiarum cap. de medicina.

rumq; mechanicos & fabros ingnorantes cõtroversa & indecisa discordiâ digladiata? Sicuti inter Scheckium & Fuchsium de Causa morborum continente: inter Argenterium & Fernelium de Febribus: inter Gal. & Rondeletium de Paralysi, Epilepsia, & Calculo: inter Francancianũ, Rondelëttum & Fallopium de morbo Gallico: inter Altomarum & Fernelium de Podagra. Quot millia secundum horum discrepantem methodum morientur adhuc, antequam in comitiis medicis de Causa genuina dictorum morborum pòst rixosas disputationes decernatur & medicorum Familia in unum conveniat. Botanicos sæpè numero de Lanâ plantarum in deciso negotio rixantes, quæstionibus, nominibusq; otiosis, sè ambitiosa contentione fatigantes, nunc brevitatis causa libenter omitto. Otiosum enim esset, istas infinitas & nunquam cessaturas contentiones ac digladiationes hìc recensere. Ideò hortor & suadeo, omnibus medicinæ Hippocrat. & Galen. studiosis (in quibus Philosophica vena calet, quiq; erga medicamentorum præparationem non sunt protervè animati, & sciunt majorum inventa industriæ nostræ non debere præcludere viam, quasi in nobis effœta sit vis naturæ) ut omissis veterum delictis, & aliorũ erratis, de mutando suo male instituto consilio commonefacti, vel prudentiâ eruditi, pedem errore cognito in tempore reducant, & in hujus quoq; novi Philosophi ac Medici operibus, nõ quidem superficialiter & perfunctoriè, sed summâ mentis attentione legendis occupentur: Nam in hoc studiorum genere apum experientia & industria sequenda, quæ sua defragrantissimo florum succo mella stipant & colligunt, optima quæq; à prævis segregantes ac utilia tantum tractantes: Idq; non eò me eis persuadere velim, quod omnia quæ sunt Paracelsi (sicuti è suis scriptis præcocibus quædam ipsemet retractat) tanquam Euangelica oracula venerari debeant, sicuti alios in Ethnicorum placitis adorandis facere videmus, sed quia ad Hippocratis scripta intimius & rectius intelligenda non parvum nobis præstare beneficium, & lucem majorem adferre potest diligens & accurata ejus lectio. Illi enim laudandi non sunt, qui sine judicio omnia damnant, quæ Paracelsus habet, cum tamen ne paragraphum legerunt, vel si aliquid eorum perlegissent, tamen ne tertium quidem totaliter intellexissent. Audite Philosophastri, qui spreto nucleo, cortici Philosophorum saltem insistitis, & à Deo non è Chartaceis libris Spiritum Intelligendi literam mortuam Theophrasti & Philosophorum petite. Scripta ejus promotione ac impensis Serenissimi ac Reverendissimi ERNESTI *Principis Electoris Colonien sis bono*

bono publico communicata, adversariis ansam pronunciandi porrexerunt quod dissensu implicentur evidentissimo, quia expertis stylo scripsit magico, non vulgo, sed sibi & intelligentibus in schola magicâ educatis, Sapientiæ filiis, non Sophisticis & auri famæ fascinatis Alchymistis, justâ motus invidiâ erga quosdam sui temporis iniquissimos ac inhumanos Medicos & Pharmacopæos, ipsi veneno multoties cum abbreviatione vitæ insidiantes: Si manifestius scripsisset, tunc circumforanei & vulgares illi Alchymistæ medicos omnes superassent, ac artem prostituissent magna Naturæ injuriâ. Mysteria sua sub vulgaribus & variis nominibus occultavit: ideò similitudines pro ipsâ veritate non sunt sumendæ: Medicinæ enim Arcana, id est, Vim DEI *latentem, seu* VERBA. *Magica in Paracelso pauci intelligunt: Ideò natatore Delio & ingenio acerrimo opus habent & magicũ etiam requirunt Intellectum, Mentis videlicet oculum purificatum, qui eorum sententias, & latitantia perscrutetur mysteria. Magiam ubiq; intelligo Veram ac licitam (non infamem & profanam γοητείαν Vulcano dignam, quam deplorati ingenii & nefariæ curiositatis studiosi Homines sectantur) totius nobilissimæ Philosophiæ absolutã consummationem, maximam operum* DEI *Sapientiam, plenariamq; occultæ Naturæ notitiam, quæ observato rerum consensu & dissensu conueniente applicatione agentium & patientium incredibilia, communemq; Naturæ ordinem excedentia perficere solet. Animaduertent autem intelligentes Lectores Paracelsum ad Magni Hippocratis imitationem & exemplar, utriusq; Medicinæ tàm Physicæ quàm Chirurgicæ exercitationem conjunxisse: Medicinã enim duplicem statuit, Physicam, videlicet omnium morborum cognitionem, & Chirurgicam, quæ est eorundem sanatio, quæ, instar carpentarii opera, sine manibus præstari non potest: Neutra enim nisi frequentissimo ægrorum damno & periculo sine altera tutò consistere & exerceri potest: Ideoq; omnem Chirurgum necessariò Physicum esse debere, & vice versa, ut nimirum Integræ sponsæ, sit sponsus Integer: Consuluisse insuper constanter Remediorum delectus, eorumq; præparationes & cõpositiones ipsis medicis faciendas, non aliis temerè committendas. Is enim verè genuinus est medicus, qui medicamenta debitè cognita non Ratione ut Rationales Medici faciunt, sed propriâ suâ manu præparare, & à veneno & fœculentiis suis separare, repurgare, & ad purã simplicitatem reducere didicit, eaq; imperito non committere coco: Sunt enim bona mixta malis, neq; saccharũ fœculentâ impuritate, nec mel venenatâ ama-*

ritudine destituitur: præparata postea fide debitâ acri judicio humanis necessitatibus legitimè accommodat, ut semen morbi evellatur, & hoc pacto omnium ægrotorum quærelis fideli celeritate occurratur. Ergo Theoria & Practica, scire & præparare in medio debent concurrere, quia Judicium sine practica omnino sterile: Laboribus manuum & Practicâ operatrice discitur medicina, ubi Vulcanus indies nova ostendit & suavissima Remedia, quæ quotidiè Natura melius meliusq; superfluitatibus purgat, operatori suo Oeconomo tradit: Sed nostri temporis Magni Doctores, qui in vulgari arte medica consenuerunt, nolunt esse discipuli & tyrones, fodere erubescunt: Et quia annosa arbor difficulter transplantatur, ac veteres canes loris & venationi assuescere difficile est, malunt apertè veritati contradicere, eamq; obstinatè canina voce allatrare & mordere, quam errores suos laborando emendare, ne non satis sapuisse, aut ab aliis aliquid melius didicisse videantur: Quamvis autem clament, Chymicum non esse medicum etiamsi peritissimus fuerit, sed qui Judicio Rationeq; (postposita Chymiâ) singula morbis Remedia usurpare didicerit, tamen illi Rationales medici ad lectum ægrotantis stantes, quo se vertant nesciunt, obstupescunt sæpe & magnorum morborum, quia non curatores, saltem adulatores fiunt, siquidem Ratione non Manu medicamenta præparare didicerunt. Nolo tamen hîc ullo modo patrocinium eorum suscipere qui Hippocratis & veterum scripta sine judicio & intellectu reiicientes, Paracelsi quidē discipulos se gloriantur, sed neq; in illius Theoriâ mentem autoris agnoscunt, neq; in artis operibus quippiam laude dignum exequuntur. Sunt etiam quidam Pseudo Theophrastæi, avaritiâ & temeritate suâ, Divinam prophanantes medicinam (quæ hodiè multorum se sine honore sustentare conantium cogitur esse aratrum) ad fallendum efficacissima frontis impudentiâ, qui fucatis nominibus Theophrasti Remedia se usurpare jactitant, tàm Philosophicæ quam Vulgaris medicinæ prorsus ignari, quiq; cōtemptis veterum scriptis illotis manibus medicinam arripiunt, nescio quibus Arcanis & Experientiis confisi, stultâ confidentiâ quoslibet sine Ratione & judicio morbos statim curandos suscipiunt: Imò cum vix Ignem fornaci rectè subiicere didicerunt, gravissimorum morborum curationes aggredi non dubitant: Et dum avaro oculo & Thrasonicâ jactantia, omnes morbos personare se posse ostentant, & gloriantur, magnâq; audaciâ mentiri non erubescunt, ægrotantes, blandissimis desideratissimisq; promissis & pretio amplissimo accepto, grato quidem, sed falsissimo valetudinis præsagio,

His receptis fortunâ amissis, tota ab illis evanescit sapientia: Experientia (absque matre Experientię Philosophia) incerta est.

Tales discunt periculis hominum, & experimenta per mortes agūt, suaque imperitia pecuniam lucrantur.

sagio foventes decipiunt, ægrisq; desertis sæpè aufugiunt, aut morbū simul cum ægro è medio tollunt. Quamvis autem videamus in magnis & difficilimis morbis, ubi omnes sensuum subtilitates obstupescunt, desperata esse omnia Remedia tàm Arabum quàm Græcorum, adeoq; morborum ludibria: vanas item Indicationes & Analogismos omnes, ita ut Vetularum & Empiricorum absurdis remediis non sine magna Medicorum ignominia & dedecore frequenter cedant: & multos Galenicos in multis magnis & periculosis morbis ab his circumforaneis & adulterinis Theophrastæis suis etiam illegitimè præparatis remediis superatos esse constet: Tamen incertam illorum, audacem, temerariam, periculosam, impiam medicandi operam, quaq; dubio experimento ægrotantes mortis periculo exponunt, nullus vir conscientiosus approbavit unquam. Huic malo, ut deinceps obviam eatur, & inusta medicorū macula ob proclamatam artis suæ incertitudinem deleatur, consultum operæq; pretium facient Medicinæ studiosi, qui Musarum sacerdotes & ministri facti sunt, & Musam suam pio coniugio sibi copularunt, in quibus superbia & invidia nondum radices egerunt, quiq; laborem & sudorem (quibus Dii omnia vendere perhibentur) optatissimos cuiq; otio anteferunt, quia perplexitate & obscuritatibus quibusdam non omnibus obviis Chymicæ medicinæ Theoria Paracelsica, adhuc est obvoluta, ut neglecta manuū denigratione, ipsa Remedia, eorumq; præparandi modum à Paracelso & Chymiatris, Curandi vero methodū Indicationibus & Inventionibus suis constantem ab Hippocrate & recentioribus mutuentur: Hac enim via duæ hæ, Veteris & novæ medicinæ scholæ, sine contradictione combinari, & in medico sine errore scandaloq; notabili rectè consistere poterunt, antiquata prius damnabili nostri tēporis consuetudine inoleta, qua bonū cum malo indifferenter repudiari ac reiici solet. Hoc insuper animadvertendum, si sepositâ superbia & avaritia probus & eruditus medicus (in quo præter fiducialem Dei timorem & proximi ægrotantis Amorem Conscientia & Experientia insignis requiritur) medicamentum exhibet, illud Dei manum esse, sin vero improbus & indoctus, venenum. Licet vero bona medicorum pars vitam nostram alienis bonis fraudans, pro sua inhumana invidia indignanter ferre soleat Medicinam cum suis præparationibus descriptam promiscuè cum hominum vulgo communicari, metuens, ne ex illa manifestatione publica, seu, ut loquuntur, profanatione, de suo lucro aliquid decedat, quia secundum stolidam vesani per omnia vulgi opinionem, publicata

Nulla medicorum turba in civitate numerosior.

Otium pulvinar satanæ fugiendū est, cum sit mater nugarum, & novercavirtutū, ac semper pro cōmodo proximi negotiandum, paulatim à minorib. incipientes, & ad maiora proficientes.

In hoc scientiarū contemptu Bonum amittitur & malum eligitur.

Summū medicinæ fundamentū est Fides in Deum firma, & amor proximi, quo deficiente deficit omnis Ars.

Paracelsus nō vult medicinā obscurandam esse.

blicata secreta vires suas amittere creduntur: murmurare tamen, & pro gratia mihi Oedipi imprecationes reddere desinent illi lucripetæ, ubi perpenderint, non quemvis, nec à Deo nec à Natura ad medicinam vocatum, illam licet notam secundum artem requisitam, & methodicum ac ordinatum DOSEOS *applicandi modum, siquidem unum ephippium omnibus equis non quadret, nec infirmus ensem instar exercitati pugilis tractare valeat (ut taceam reliquas in pie docto medico requisitas circumstantias) ægrotanti legitimè administrare posse: Quod solius synceri, veracis & experti medici officium est proprium, qui religiosius, sanctiusq; eruditus in exhibitione medicamentorum piæ ac venerandæ Antiquitatis vestigia & Medicorum Hermeticorum Benedictionis verba semper adhibere solitorum morem sequentur maximè laudabilem & religiosum, neq; se in pietate ab illis ne modicum quodvis opus absq; divina Invocatione aggredi solitis patientur superari: Quicunq; omissa Benedictione aliqua creaturarũ fungitur, hanc veluti furto & rapina à Deo creditur usurpasse. Nos* Christum *professi in mirifico nomine* Ishuh *offerre debemus: sic enim ad Colos.* præcipit Doctor Gentium, inquiens: Quæcunq; feceritis in verbo aut opere, omnia in nomine Domini Ishuh Christi facite, gratias illi agentes & Deo per ipsum. Benedictio igitur Dei per preces impetranda, Invoca me in die tribulationis tuæ & eripiam te, & glorificabis me, ait Creator noster: Ante omnem igitur medicinam Deus Opt. Max. exorandus, ut medicina ab ipso ordinata tanquam mediũ divinos ac salutares effectus producat, ut glorificetur Nomen eius. Secundò post omnẽ melioratione ac sanationem nunquam omittatur gratiarum actio devota, ratione gratitudinis per se, & postea ad evitandam iram Dei contra ingratos. Hæc duo puncta ab omnibus ferè medicis prætermissa sunt, unde ipsorum infortunia potissimum acciderunt, ac postea culpa in artem est translata.*

Notandum etiam, quod quamvis cathartícum exempli gratia medicamentum æquè efficaciter operetur in improbo sicut in probo (quod Deus propter suam laudem & gloriam ac demonstrãdæ suæ misericordiæ ergo promittit) finis tamen in utroq; longè diversus sit & dispar, huic salutaris, illi nocivus: Cedit enim in maiorem certò subsecuturi gravioris morbi incommodum infideli, impœnitenti, medicamentum qualecunq; sine imploratione gratiæ divinæ exhibitum & assumptum.

Hoc loco etiam observetur, quando q; ægrum optimis & convenientissimis medi-

No quilibet ad medicinã aptus, nec cuidis donũ Medicinæ datum. Et quamvis omnia experimenta sint arcana, imperiti tamen ob sinã & sufficientiã veram, in qua vis medicinæ consistit, nesciunt. Crocus enim & Theriaca si in maiore justo copia exhibeantur, in venenũ abeunt, minore vero inertes ignavæ jacẽt. Et sic experiẽtia solius medici erit.

* Cap. 3. sect. 17.

1. Cor. 10. sect. 31.

Syracid. c. 39. sect. 30.

medicamentis adhibitis non sanari propter has octo causas, quarum

PRIMA *est, Quod Terminus vitæ instet, qui nullo ingenio humano, vel quocunq; ejus subsidio pertransiri potest. Nullum enim Remedium corpus corruptibile, à morte, peccatorum pœnâ & stipendio, vindicare potest: sed est res una, quæ corruptionem aufert, juventutem renovat, & brevem vitam ut in Patriarchis prolongat. Quamvis autem, ut infra referemus, abbreviari & prolongari possit vita, tamen ob peccatorum pœnam, æternæ legis immutabili decreto, necessario tandem moriendum est (conjunctio enim rerum diversarum adfert necessariam secum dissolutionem) ne regressum in ætatibus (ut est apud Platonem) constituamus: Et in hoc casu etiam universalis ac summæ medicinæ usus irritus esset, quia conjugium vitæ & mortis, separationi necessitate immutabili destinatum, nulla artificum vel Naturæ industria perpetuum efficere potest: Leges enim Naturæ inviolabiles sunt: Non ergò petendum, multò minus inveniendum auxilium, ultra Terminum illum ultimum à Deo nobis impositum.*

Par. lib. de resuscitatione naturalium fol. 2. s.

SECUNDA, *Quod imperitorum medicorum ignorantia, medicamentisq; permitiosis eò deductus sit æger, ut bonorum medicamentorum usu, quod corruptum, pernitiosum & immedicabile malum est, resarciri & sanari nequeat: Et hic plerunq; vocari solent Chymici, qui semper Trophilì medici apud Plutarchũ recordabuntur, affirmantis hunc perfectum esse medicum* ὁ τὰ δυνατὰ, ἔφη, κὰι τὰ μὴ δυνατὰ, δυνάμενος ἀναγινώσκειν: *nec generosis & immeritis Remediis gloriosâ ostentatione unquam utentur apud Apio indigentes ad infamiam: καὶ γὰρ μετανοεῖν, ἀλλὰ προνοεῖν χρὴ τὸν ἄνδρα τὸν σοφόν: Caveant etiam sua medicamina aliorum venenis admiscere, ne aut pernities bonis, aut salus nocentibus adscribatur, quia dolendum est tàm execrabilem esse quorundam medicorum invidiam, ut antequam honorem & laudem alteri expertiori permittant, ad tuendam existimationem vacillantem potius decumbentem aliorum arte sanabilem in extremum exitium præcipitent, ideò etiam à plebe tales meritò Honesti Carnifices vocantur.*

Causa mortis est domestic[a] inimic[a], quẽ nobiscum gerimus.

Morte tollitur maledictio in Creaturis.

Sir. c. 10. sect. 11. c. 14. sect. 18. c. 41. sect. 5.

TERTIA, *Quia medicus serò vocatur, quando videlicet Natura succubuit, & morbus vicit: alioquin si in ægrotum agrum, medicinæ conveniens semen à seminatore medico tempestivè seritur, principiis obstando, procul omni dubio juxta* DEI *benedictionem expectatus resultabit sanitatis fructus.*

QUARTA, *Quia æger non obtemperat: sit enim sæpenumero, ut ægrotus*

in medicamenta vel in medicum ea transferat errata, quæ ipse contra Aueam apud Aelianum Locrensium legem mala vivendi ratione commisit.

In Cura ratio Temporis observāda, nam aliam hyems, aliam æstas, atq; autumnꝰ exigit.

QVINTA, *Quia quædam Naturæ seu Proprietates hominum peculiares ad sanationem inidoneæ nec pronæ sunt, sicuti videmus etiam nõnulla ligna propter nodorum abundantiam ita ex naturali defectu & corruptelâ degenerare, ut nullo modo findi possint: Et multoties Tempus cum Astrorum mala inclinatione sanationi est contrarium: Quicquid enim sanatur ante Tempus, recidivæ obnoxium est. Sola siquidem Temporis hora seu messis dat firmam & fixam sanitatem: Pyrum maturum sponte cadit: imaturum frustranea arboris succussione ad casum sollicitatur, Ideò his neglectis, præsertim in cura morborum Astralium, omnia sunt irrita, & frustra instituitur sanatio: Medici etiam dent operam, ne plus periculi sit à medico & medicina, quam ab ipso morbo, ideò nunquam consulant, quæ in pernitiem vergant animarum & corporis, & præcipuum illorum sit studium, ne noceant ubi prodesse non possunt: Ita bona conservatur conscientia, quæ perpetuo est cordis latitia.*

Quod natura peccavit, nemo potest emendare.

SEXTA, *Quia morbi prædestinationis Terminum attigerunt, ubi Naturæ legibus non conceditur regressus, ut in perfectis, absolutis & consummatis, bituminosis, bolaribus, lapideis & arenosis coagulationibus: In ejusmodi enim consummatis morbis frustra est omnis cura, sicuti etiam in cæcitate & surditate innata videre est. Quod enim natura semel ademit, reparare medicus nullo pacto potest, sicuti corporis substantia malè conformata & partes ex genitura transpositæ, mutari nequeunt.*

Pauperum, gratuita semper à vero medico habenda est ratio, inter cujus virtutes Charitas erga infirmos primò elucere debet. Sir. cap. 38. sect. 16.

SEPTIMA, *Quemadmodum medicos sordida ægrotantium Tenacitas (siquidem nulla pecunia honestius acquiritur, & egregius numeratur) in officio indiligentes facit: ita sæpè etiam Aegrotantis Hæsitatio, Diffidentia, Incredulitas, erga diligentissimum medicum, effectum medicamenti remoratur, aut planè operam medentis impedit, ut taceam illos, qui contempto Ordine* DEI, *nullis medicamentis exigent necessitate uti, sed à Deo sine* Medicorum *per quæ operatur (quamvis sit ipsemet* Medicus) *adminiculo sanari cupiunt. Ordinationi Divinæ non repugnandum: Habemus Medicinam duplicem Visibilem videlicet Creatam & Invisibilem* VERBUM DEI, *qui ergò Medicinâ sanantur,* VERBO DEI *sanantur, qui* VERBUM *suum contemnit, contemnit etiam Medicinam, & è contra: Dicens enim, Medicina nihil est, idem affirmat nullum esse Deum.*

Medicus & Medicina sũt vera misericordia Dei.

se Deum. Porrò, ut dictum, Animus patientis excitatus, confidendo avidius recipit medicinam: Ideo cum Vitæ Venenum sit Tristitia, non sine causa Hippocrates in suis Aphorismis loquitur de Fiducia ægrotantis ergo medicum, & ea quæ offeruntur. Firma credulitas, spes indubia, amor & confidentia erga medicum, & medicinam ad sanitatem plurimum conferunt, etiã aliquando vel plus, quàm ipsa cum medico medicina Fides Naturalis (non loquor de Fide Gratiæ ex Christo) ingenita à Deo Patre in prima Creatione, Imaginatio *videlicet nostra, ita potens est, ut morbos sanare & excitare valeat, sicuti manifestè apparet tempore Pestis, quando ex sua propria imaginatione, ex metu & terrore generat Basiliscum cæli, intoxicantem Firmamentum microcosmicum, è sua superstitione, prout fides patientis adiuvat. Pestis naturalis fit firmamentalis ac supernaturalis, dum videlicet Iliaster seu Evestrum Solis per peccata hominum adiram & pœnam irritatum propter singularem participationem cum Evestro hominis, mortales ob sua delicta per influxum stellarum (Mumiam & Sulphur hominis microcosmoi, omnia macrocosmica venena innata latenter possidentis, sua venenata malignitate & sinistro aspectu incedentiũ) inficit ac punit, & nulla quàm potens etiam medicina sit, resistere ac iuvare possit. Tanta est vis syderei spiritus in corpus, ut quorsum ille imaginatur & somniat, ipsum corpus simul attollat atque traducat, ut videmus in Noctambulonibus. Fideli omnia possibilia, quia Fides omnia incerta certificat: Deus nullo modo potest vinci, nisi per Fidem, qui ergo in Deum credit, ille operatur per Deum, & Deo omnia sunt possibilia, quomodo autem id fiat, perscrutari non potest Fides est saltem opus, opus videlicet illius in quem creditur: Cogitationes superant Astrorum & Elementorum operationes: Dum enim cogitamus, & cogitationibus fidem habemus, tunc fides perficit opus, & sine fide nil fit. Fides dat imaginationem, imaginatio dat sydus, sydus (ratione matrimonii cum imaginatione) dat effectum vel opus. Fidem adhibere medicinæ dat spiritum medicinæ, spiritus dat cognitionem medicinæ, medicina dat sanitatem: Inde sequitur medicum fide oriri, prout credidit, promovet & adiuvat ipsum spiritus, spiritus videlicet Naturæ, seu sydus medicinæ. Homo per fidem imaginationis sæpe facit, quod optimi medici cum suis medicamentis idoneis nil possunt efficere: multoties etiam fides seu persuasio illa plures sanat, quàm ulla efficacia seu virtus medicamẽti à medico exhibiti, ut superioribus annis in decantata illa Panacæa Anvvaldina vidimus, &*

Animus hilaris, juge est convivium. Sirac. cap. 58. sect. 19. 20. Cap. 30. sect. 30.

Ille medicus plures sanat de quo plures confidunt.

Imaginatio picis instar se habet, facilè adhæresci, & ignem leviter concipit.

Stellæ sunt virgæ Astrorũ Par. tract. 1. de pestilitate.

Voluntas & Imaginatio hominis est mater pestis: Ideo imaginando potest homo peste inficere totã regionem.

Lege Paracels. de morb. invisibilib. & de efficacia fidei naturæ, q̃ ex Deo omnia potest naturaliter.

*nunc in novo illo medicinali Fonte in finibus Misniæ & Bohemiæ hoc anno emerso, ad quem incredibilis infirmorum copia ferè indies confluit: Causa non potest reddi alia, quàm constans & excessivus affectus ipsius sumentis, quæ potestas est in ipsa Anima sumentis Pharmacum, quando excusso omni metu, aut sinistra imaginatione fertur in aliquem magnum sui desiderii excessum. Anima enim rationalis excitata, & vehementi imaginatione accensa, ipsam etiam naturam superat, & per suas affectiones fortes, multa renovat in corpore proprio, & sanitatem vel ægritudinem immittit, neque solum in corpore proprio, sed etiam in corporibus alienis: Qui morsus à cane rabido in rabiem incidit, apparent in urina eius, figuræ canum: Sic prægnantis mulieris cupiditas in corpus alienum agit, quãdo per sui oblivionem instar croci aquam tingentis inficit fœtum in utero, rei desideratæ nota: Sua enim imaginatione formatinfantẽ, non aliter ut figulus argillam. Timor, tremor, & appetitus sunt præcipua causa unde phantasia, æstimatio, & imaginatio gravidarum oritur: Dum igitur incipit imaginari, tunc Astra Firmamenti microcosmici, seu Astra humani Animi, cum phantasia, æstimatione & imaginatione non aliter moventur, quàm externa Astra Firmamenti macrocosmici, ubi singulis momentis Astra ascendunt & descendunt, donec fiat impressio, in qua impressione Astra imaginationis gravidæ mulieris, influentiam & impressionem fœtui imprimunt, quemadmodum cælatores pistillo sculpto, notam subiectæ materiæ. † Sic manifestum est affectus animi, quando vehementissimi sunt, posse mortem inferre, ut legimus in historiis: Et hoc apud vulgus palam est, gaudio exuperantiore aut profusiore tristitia, nimio ardore vel odio interdum mori homines, sæpè etiam morbis diuturnis ex eiusmodi passionibus levari, quia teste † Avicenna natura obedit cogitationibus & vehementibus desideriis Animæ, & affecto spiritu afficitur corpus, in quo spiritus delitescit. Porrò efficacia supradictæ Fidei naturalis manifestavit se in * muliere illa hæmorrhoidica & Centurione. * Homo ad Dei similitudinem & imaginem cælestem quodammodo maiestatem redolentem creatus, habet, magna in suis manibus & potestate. Quanta enim possit constans credulitas in Animo imaginando fortiter elevato seu exaltato apud vulgus palam notum est, tãta siquidem potest, ut & miracula operetur in opinionibus & intensis operationibus falsis. Hæsitatio autem Credulitatis & diffidentiæ, non solum virtutem animi operantis, quæ inter utrumq; extremum medium est, dissipant atq;*

Ideo Damascenus: Oportet infirmo salutem imprimere & promittere, nec velis unquam à spe deponere, etiamsi ipse desperet.

Sunt impressiones inferiorum Astrorũ:

† Ergo βέλτιον ἐστι σῶμα ἢ ψυχὴν νοσεῖν.

Ψυχῆς νοσήσεις εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.

† in l. de anima.

Animæ passionibus corpus corrumpitur, & anima corporis motibus non sunt impassibiles.

Ideas hæc naturalis seu sapientia Creatoris, Creaturæ ad similitudinem suã creatæ impertita, licet possit omnia, servare tamen debet Imaginis proprietatem.

Omnia sunt possibilia credenti, & volenti: omnia impossibilia incredulo & nolenti, prout rem cogitat, & per fidem imaginatur, ita oportet illam fieri. * Matth. 19. sect. 21. * Gen. cap. 32. sect. 25. 26. &c.

atq; frangunt, sed etiam omne opus tàm in superstitione, quàm in vera Religione infirmant, & effectum quæsitum licet fortissimorum experimentorũ enervant: Et quod hoc loco diligenter notetur, Salvator noster, ut Pagina sacra docet, in Capernaum οὐκ ἐδύνατο miracula edere, quia non credebant, & sua incredulitate ac falsa fide ei resistebant. Sicuti enim Homo nihil potest sine Deo, sic Deus vicissim non vult sine homine, tanquam suo organo, Deus & Creatura uterque simul, neuter sine alio. Nemo igitur debet velle sine Deo, quia nemo potest esse sine Deo, in quo sumus, vivimus, & movemur.

Octaua, *Ne peccata maiora convalescens ægrotus in Deum, proximum, & se ipsum, cum animæ suæ iactura committat, siquidem omnis morbus est piaculum, vel hac divina innata pœna, vindicta & flagello ad vitæ emendationem in posterum à iusto iudice vocatur: Vel hac visitatione paterna, & imposita cruce patienter ferenda sibi & proximo exemplum sit, ad ardentiorem Dei timorem & cultum, quia permittit Deus sæpius, multas quosdam homines & magnas incidere ægritudines, quibus læta sanitas carnis, cum continuatione peccatorum, maximam, non sine æternæ salutis iactura intulisset ægritudinem mentis: Sanitas enim sine remissione peccatorum nil conducit, cum potius sit condemnatio. Insuper peccata debilitant vires Animæ, ita quod impotens est ad corporis Regimen naturale: Ideo debilitantur vires corporis & festinant ad mortem. Vel hoc infirmitatis iugo & fræno ceu purgatorio salutari in officio saltem pietatis contineri solet (quamvis pauci ex infirmitate emendantur) dum amputatur ei peccandi licentia, quæ fuerat abusurus, diutius infirma sanitate aut vita constitutus.*

Et in his morbis Astrali impressione resistente & superum ira genitis, nulla medicina corporalis (propter fores Naturæ divino obice clausas) prodest, sed cælestis & spiritualis, videlicet pœnitentia seria peccata commissa cordialiter deflere, iram Dei concitatam emendatione vitæ & reconciliatione cum proximo placare, Deo per cælestem Animarum medicum Salvatorem nostrum reconciliari. Suamq; voluntatem iustissimo voluntatis divinæ beneplacito, patienter in omnibus devotè & humiliter, cum firmissima divinæ misericordiæ participatione subiicere. Paracelsus vocat morbos Deales ex Ente Dei, qui eiusmodi morbos omnes infligit, & solus per bonos & malos operatur, Sanationem ait Fide fieri, vel finito purgatorio, curationem demum per medicamenta tentandam.

Fides summũ & potentissimũ habet inimicum Incredulitatẽ: nam imaginatio fide coniuncta omnia potest. Matth. 21.

Fata etiam faciunt morbos incurabiles, quod deprehendimus ex denegatione auxilii à convenientibus remediis exhibitis expectati. Matt. 9. sect. 2.

Hiob. 33. sect. 19.

In sedatione iræ Dei, incipit medicus. Hiob. 33. sect. 26.

Causæ morborum Entis Dei sunt imperscrutabiles, hîc curatio debet in Fide quæri, non in Natura: sicuti etiam in cura morborum Dealium, Entis Dei, vel in cura Deifica seu fideli observandus est terminus prædestinatus iuxta voluntatem divinam.

VI. DE UNICA ET SUMMA ANTIQVISSIMORUM PHILOSOPHORUM MEDICINA.

Hæc Philosophiæ occulta Minerva, & hæc margarita unica pretiosissima oẽm æstimationem excedit.

PORrò, quod ad summam illam ac universalem Medicinam attinet Philosophicam, ut auctarii vice etiam hoc addam, non legitur à divina Munificentia maius emanasse Donum Sapientiæ. Nec Anima Rationali excepta, quà post Deum in Cælo & Terra vil admirabilius pensiculari potest, sublimius, nobilius ac præstantius sub Cælo datum hominibus, quàm hoc secretissimum secretorum arcanorum arcanum, in quo cum ad Planetas inferioris Astronomiæ, quorũ imperfectiones & sordes fortissima sua impressione penetrando evanescere facit (omnem enim Sulphureitatem extraneam & immundam Terreitatem à metallicis & humanis corporibus segregat) tum etiam ad sanitatem laborantem & deperditam humani corporis, igneo suo vigore restituendam ac conservandam, mira imo omnia fiant, ut nunc præter infinita alia usum taceam Magicum & supercælestem, postquam finita Radiorum Solis & Lunæ influentia Gonetica & quarta supra suam nativam Terram revolutione, omni creata potestate influentiali tam in elementali mundo, quàm cælesti aut supercælesti absolutissimè dotatum est: Mirabilium omnium mirabilissimum, siquidem Deus in suis operibus mirabilis, etiam sua Dona mirabilia, in mirabilibus hominibus occultare consuevit. Omnis Antiquitas, omnis etiam omnium Gentium & Linguarum in doctrinæ huius traditione Veritas, consensus doctissimorum omnium illorum, qui in omni sæculo summa cum admiratione multorũ & laude vixerunt, hoc ita se habere testatur: Hoc insuper præter ocularem multorum sæculi nostri inspectationem ac certificationem ex scriptis illorum, tot Hieroglyphicis, Magicis & Mathematicis Velamentis, tanta & tàm certa Philosophicæ Veritatis serie contextis statuere haud difficile est. Quis igitur nõ admiretur & amplectatur tantum Dei summi Donum, pretium studii, operæ & virtutis immortale, quod depulso senio reiuvenescentiam, perpetuam sanitatem, ac sine proximi detrimento victum & amictum honestum, non per usuram & fraudem, nec falsis mercimoniis,

Vide Monadem Ioannis De Londinẽsis, & Rogeriũ Bacchonem.

niis, nec per oppressionem pauperum (ut jam divites mundi ditantur) sed per industriam operis & manuum laborem, Piis à Natura & Institutione dignificatis pollicetur Philosophis? Absit itaq; ut Priscorum exemplo neglecto, talia DEI magnificienda Magnalia & stupendas Naturæ vires offuscare, aut negare velim (qui enim spernit scientiam, spernit illum juxta hanc artem verissimam Deus glorioſus & sublimis) aut quod pejus, sicuti plurimi faciunt, tanquã otiosorum hominum speculationes, aut inani insanæ delirantisq; mentis somnia ac cõmenta calumniari, qui tamẽ apud sapientes saltem judicii sui imbecillitatẽ produnt, & insciticæ suæ testes publicos advocant: Calumniantes ergò & ignorantes, quos & Fatuos Philosophi vocant, ab hisce tàm divinis Epulis arcendi, ut & delirantes suis Phantasticis somniis penitus relinquendi. Nonnulli hic arrigent aures, num proprio ingenio fretus ausim etiam de hujus quoque præparatione hoc loco gloriari, aut ostentationis ergò (ut Theatrici Philopluti & Philochrematí Philosophistæ faciunt) absolutam hujus artis cognitionem ambitiosè mihi arrogare. Verùm cum paulo ante lectori benevolo promiserim, me experta saltem traditurum, nollem hoc loco (quod viri prudentis non est, sed impostorum proprium) de hujus rei exploratæ certitudine vulgo sceleratissimè ementiri. Sacra namque ac Diuina hæc non Sophistarum sed Philosophorum Ars atq; Scientia, malè & perperam ab ignaris falsi dãnata (siquidem inter omnes artes tàm Liberales quam Mechanicas nulla tot impostoribus scateat ut hæc) meritò ob admiranda quæ complectitur arcana venerãda est, & omnibus aliis scientiis terrenis anteferenda, à veris medicis, qui spiritu Divinæ Sapientiæ illustrati honesto victu & amictu contenti & instructi (impossibile enim est indigentem aut non liberum Philosophari) Deum ad Salomonis exemplum non pro opibus largiendis, sed pro sapientiâ impetrandâ (ut aperiatur illis Divinæ cognitionis armarium) veneratione religiosâ precantur: & qui felicitatem suam Cælo & DEI omnium bonorum largitoris filtem amore metiuntur: quos insuper amor secretorum & Naturæ juxta Divinam gratiam promovet & stimulat ad perscrutandum: & qui desiderio scientiæ cõsequendæ, absq; vana spe lucri vaut inanis gloriæ affectatione, nullum subire manuum laborem, honestum, diuturnum & possibilem in DEI Timore recusant: & tantis denique donis absq; malignitatis intentione neglecto aridæ sitis humanæ fonte, humilimè cum metu & tremore uti ad Finem Magistro Naturæ debitum, Laudem sc. & Honorem DEI, & suam proximiq; egenti

Cotis vice fungens accipi me hic volo veluti Indicẽ, qui præ foribus aliis (quibus prodesse magis quam mihi ipsi valeam) iter quod ingrediẽdum sit ostendit.

Sapientiæ Cor in Constantia est.

Qui enim Thesaurum publicè portant, & utuntur, illi deprædari cupiunt. Hiob. 22. sect. 25.

egeni utilitatem constanti Taciturnitate, sine superbia omnium hominum invidiam irritante, cupiunt: His inquam deauratæ doctrinæ Filiis (quorum aurum est Omnipotens Deus) maximum illud & omnibus diuitiis anteponendum Bonum, propter hominum sanitatem meritò & jure investigãdum est, relictâ provinciâ metallicâ illis, qui fame impiâ, & sitibundo insaturabiliq; diescendi desiderio, æqui & iniqui neglecto discrimine, dies noctesq; horrende & corporis & animæ suæ periculo divexantur. Nullius enim Rei avarum esse oportet Philosophum præterquam Sapientiæ, quæ est circa Res Divinas Ideò Verus Philosophus nunquam divitias quæsivit, nec appetiit, sed potius in Naturæ mysteriis delectatus est siquidem Adeptus, non unius Regni tantum, sed totius ferè mundi valorem in crumenâ sua circumferre, & in DEO *& cum* DEO *legitimè ceu totius mundi Dominus omnia possidere possit, totiq; Creaturæ* DEI *Timore & servitio imperare. At demum istud, neq; per iram, nec per vim intentatam sed per Altissimi inspirationem vel immediatam, vel per Expertam præceptoris sapientis in hac arte demonstrationem acquiritur ocularem. Hoc ita se habere extra omnem controversiam, nemo non fatetur rectè Philosophantium. Sed quotus quisq; est, qui dum certo subactoq; judicio, mediisq; debitis cognitionem hanc ipsam quærit, Astra ita habeat benigna, ut per Cælorũ vestibulum & portam ad Apollinis sacraria intrare possit, & alienâ operâ montem Chymiæ ascendere?*

* Sed ubi reperitur Ægyptius ille ales, & laudabimus ejusmodi Phœnicem. V. de Paracels. in frag. medicis ad Tomum quartum referendis fol. 311. Non datur alicui aditꝰ nisi per revelationem Divinam aut per vocẽ viventis seu ostensibilem doctrinam.

** Quis enim alteri manum porrigere auderet: nisi Timore* DEI, *Sanctimoniâ vitæ, Fide intemerata ac Harpocraticâ jam dudum multis factis periculis eum cognoverit conspicuum? Qui desiderat hanc artem, mancipium aliorum arbitrii & pecuniæ non existat, & solus sit.*

Præbet amicorum nil nisi copia damnum.

Nulla est rerum perfectio absq; Divinitatis auxilio & ejus demõstratione.

Siquidem ipsa etiam socii morosa inhabilitas, arrogans loquacitas, pertinax incredulitas, invida & detestanda infidelitas, Epicuræa tandem indignitas in omni operatione effectum impedit, atq; disturbat. Veneranda Antiquitas uno ore fatetur, à primo homine usq; ad ultimum neminem potuisse secretum istius artis Divinum adinvenire suo ingenio Naturali, secundum Rationem Naturalem solam, nec secundum Experientiam, cum ipsum supra Rationem existat, ut quid Divinum & occultum, attestantibus hoc ipsum perpetuis molestis laboribus illorum præsertim qui hanc Scientiam assidua lectione & collatione autorum addiscere insudarunt: Sed Deum gloriosum, gratiarum largitorem optimum, suis

suis fidelibus sapientibus, & ipsum timentibus ac honorantibus id aperuisse & propalasse, ut suam omnipotentem bonitatem intelligant, recolant & ament, eumq; in suis mirabilibus glorificando omnibusq; viribus, ei sine aliqua sordidie, vitio aut peccato in sanctitate & justitia requisita inserviendo videant, quantum ipse fecit pro hominibus bonæ voluntatis: Et sic finaliter qui misericordia infinitus est, gratiis infinitis, ferventissimo pietatis & gratitudinis amore accensi, dignum inventant, cuius sanctissimum & tremendum nomen sit benedictum in sæcula.

Sir. cap. 38.

His collecta mente perpensis, nemini videatur mirum, si inter tot millia quærentium (postposito præposterο ordine Regni Dei & Lapidis cœlestis studio præcipuo) ne uni Naturæ fores ablato retro portam divino obice reserẽtur, Voluntate proculdubio omnipotentis Dei resistente, qui hominum scrutatur Corda & Renes, suaq; munera & dat & subtrahit cui vult. Opus enim hoc non in posse volentis, sed in Velle miserentis Dei consistit qui novit non expedire omnibus ad salutem, habere cum Sanitate habere Honores & Divitias. Et quamvis alicui horti Philosophici clavis fortè contingat (sicuti scio quibusdam evenisse) attamen propter pessulatam ianuam, Gratiæ videlicet & Benedictionis divinæ denegationem & resistentiam, nunquam potuerunt aperire, multò minus intrare, & desideratos Hermeticæ arboris decerpere fructus, mysteriiq; huius suavissimis potiri nucleis. Sic nostro sæculo impostores quidam verissimũ Fermentum Philosophicum (ab aliis tamen præparatum) illicitis mediis per fas & nefas acquisitũ, propter principii ignorationem ulterius multiplicare nõ potuerũt, siquidem sanctissima hæc scientia tales imperitos Thrasones, nunquam in sua penetralia intromittit. Hoc est illud opus, sub Virginis Philosophicæ vestimẽto reconditum, quod nec frater fratrem docere voluit. (Ideo vanus conatus Adeptum Philosophum promeritis beneficiis, benevolentia, seu quocunq; excogitando officiorũ genere ad cõmunicationem velle incitare) Hoc est illud in mentis memoriaq; Thesauris secretissimis repositum & sepultum Secretum, super quo iuraverunt occultiores sagaci ingenii subtilitate genuini Philosophi (qui maledictionem Dei Sophorumq; posteris relictam execrationem veriti, de industria sunt scabri & salebrosi, ne quibuslibet abstrusiores suos sensus proderent, & nobilissimam huius Scientiæ gemmam porcis & suibus proiicerent) quod non indicarent in aliquo libro: neq; aliquis eorũ in sinu cordis hanc cognitionem servan-

Hæc unica & vera via ad omnia secreta est, ut secundũ Salvatoris pceptũ ad Deũ omnis boni autorẽ recurramus.

Deus nõ vult omnib. scientiam manifestare, propter evitationem scandalorum.

tium patefecit illam, nisi intellectum habentibus allegoricè: Ea siquidem facultas Philosophis concessa, ut quia rerum Domini facti sunt, etiam Nomina ad arbitrium dispensare possint, & suos partus pro libitu vestire: Licet egregiè & summa cum ingenuitate veri Philosophi sese mutuo, unum eundemq; molientes, colentes agrum, perceperunt semper, sicuti in præceptis illorum, tanquam in speculo, sagacis ingenii viris, à Deo ad eiusmodi mysteria electis, dignis & in arte iuratis innotuit satis: attribuerunt aũt illud Deo glorioso, ut pro suo beneplacito inspiraret cui vellet, & prohiberet à quo vellet: affirmantes nihilominus sanctè, neminem ad optatum finem (posthabitis omnibus particularibus virtute tingendi naturaliter prorsus destitutis, nisi è primo fonte progrediantur) posse pervenire, antequam per circularem elementorum rotam Artis & naturæ beneficio ad Hexagoni formam Solis Pinguedo seu Sanguis & Lunariæ Ros in unum coniungantur corpus, quod nisi Deus Altissimus voluerit, nunquam fiet, qui unus singulare hoc Spiritus sancti donum, & impretiabile pretium, & cui & quando visum est ex speciali misericordia benignè impertitur. Et cui non vult aliquid de suis Thesauris largiri, is technis quibuscunq; adhibitis, invito Deo nil abstulerit unquam: Spiritus enim ex gratia procedit, qui quos vult inspirat. Cum igitur omnis conatus mortalium sit irritus, quem Deus non promoverit (nisi quis indubitatissimæ huius Veritatis iactura, velit negare Deum esse universi moderatorem, & Creatoris sui contradicenti voluntati, se temerario, giganteo & sacrilego opponere ausa, Numinisq; indignationem cum manifesto incurrere periculo) mirari satis non possum, quod nostro sæculo, multi magni inutiliter tẽpus & pecuniam consumentes viri, cum mũdo decipi cupienti, sibi ab aureis circumforaneorum, & contra conscientiam vitiosorum & mendacissimorum impostorum pollicitationibus patiantur imponi, non reputantes secum, sine artibus liberalibus & præclaris (quibus illi Philosophistæ impostores, qui de fontibus Naturæ ne guttulam gustaverunt, prorsus destituuntur) nullam mysteriorum perfectam unquam perceptionem esse acquirendam: Suis phantasticis & Phreneticis inventionibus, Gymnosophistæ illi, credulorum hominum aures ditant, pecunia inanes ut reddant loculos, pollicentur magna, & mẽtiuntur omnia, & nihil præstãt credentibus incautis aliud, quàm terq; quaterq; deceptos semper novis præstigiis, dolis & fraudib. subtilissimis denuo fallere à quorũ consortio non aliter est fugiendum, quam à sævissimis inferni cruciatibus. Et quod potissimum Sapientiam

Hoc non creditur, sed tentatũ, cum laboris, tædiũ & damni lucro circa finẽ acta probantem certificatur.

In hoc se totius negotii cardo vertit, ut aurum sale Naturæ animatum præcipuũ fiat subjectum medicinæ Philosophorum metallicæ.

Lege 1. c. Gen. sect. 27. & 28. Tabulã Hermetis.

Morienem Alanum Rodargirum Monadem Trevisanum Lullum.

Levit. cap. 26. sect. 20.

Magni viri committunt magnos errores.

Ps. 25. sect. 14. res.

Sir 42. sect. 37.

Prov. 3. sect 32

Sap. 1. sect. 4.

tiam Domini, cujus mysterium saltem apud Timentes eum, in ejusmodi animas málignas & indignas non ingredi, quæ totum vitæ decursum in Vanitatum & Fraudium inquisitionibus transegere, & universum ferè mundum frustratoriis suis Dealbationum, Rubefactionum, Incrustationumq; operibus, deditâ operâ malitiosè deceperunt. Atq; ita illis Pandoræ fabulam ludentibus, nihil aliud tandem contingit, quàm quod eventurum ipsis Alphidius prædixerat, ut consumpto per circulationem cerebro, pro Tinctura colorem, pro Lapide Hermetico saxum vel vitrum, & pro Thesauro carbones ac cineres reperirent. Et quis non admiretur efficacem hanc Impostorum vim trãsmutatoriam: quæ sapientes in stultos, robustos in infirmos, divites in pauperes, & pauperes obæratos in desperatos ac fugitivos tandem transplantat mendicos? Quemadmodum autem Philosophorũ Invidia, erga Artis & Scientiæ filios, non suæ sed DEI *gloriæ studiosos, & qui vitam ad* DEI *laudem ac honorem, proximi commodum, animæque suæ salutem duxerunt, non extenditur: sic Adeptus seu consummatus Philosophus, Arcanorum* DEI *custos, operisq; dignificationem imitatus, postquam Hermetis plusquam viginti annorum labores Nutu* DEI *feliciter exegit, metuens crimen Divinæ Majestatis læsæ, centies atrocissimam mortem, omniaq; supplicia subire formidabit minus, quam maximum & locupletissimum hunc Thesaurum Terrenum, Beneficium* DEI *Perfectum descendens à Patre Luminum (non aliter ac Regnum aliquod societatis impatiens) à Rege Regum, ac Domino Dominantium, omnisque in usti Vindice tremendo & horrendo, sibi soli custodiendum concreditum, periram aut vim qualemcunq; intentatam, impiis, Filiorum Artis & Scientiæ inimicis aut indignis cum totius mundi pernitie abutendum in sempiternæ maledictionis judicium, ullo modo publicare, quia scit certissimè à Sancta Trinitate & Christo cunctorum vivorum & mortuorum justo ac severo Judice se gravissimè puniendum, cum animæ suæ damnatione æternæque salutis jactura, nisi vilicationis & Talenti concrediti rationem sufficientem reddere possit ad formidandum, ante quod omnes stabimus, & expavescendum Tribunal illius Maximi & Aeterni Judicis (cujus Terribilis & Ineffabilis Majestas jure omnibus mortalibus metuenda) qui tempore magni Judicii meritorum factarus examen, nullius malefactoris opus justificabit, & nullum benefactorem præmiis privabit. Quando videlicet in die Terroris axes polorum inhibebit, & motus Elementorum cessabunt, tunc omnia corruent, ac calor Centri, cum calore*

Hæc in lucro perfecto opere sophistico, quia talium fumi vendulorum finis est pulvis & Cinis.

Pietas est clavis ad omniũ Arcanorum notitiam pernecessaria.

Vide Rodargiti BRITTOSARMATI Carmẽ in Zodiaco Piscium contra sacrilegos milites in sacrarium Philosophię protervè & minaciter irruẽtes.

Nulli hominum carnali revelare expedit quia male dictus eris pertanti secreti manifestationem.

Lullius: Qui publicat Artem mala morietur morte, quia à Deo

solo donandum & revelandum secretum est, qui Naturam creavit, & non ab altero: Ipse enim cui vult, & quibus interest revelari, illis revelabit, & non aliis quia est donum DEI & nullius mortalis Hominis.

Hiob. 34. sect. 11. Proverb. 24. sect 12. Apocal. 2. sect. 23. Item cap. 22. sect. 12. Esa. 3. sect. 10. 11. Jer. 17. sect. 10. Item cap. 32. sect. 19. Ezech. 33. sect 10

Consummatio sæculi per ignem.

Apocal.20. sect.10. Marevitreum Igni permixtum.

Proprietas Ignis est impuritatem Elementorum separare.

Solis conjunctus omnem corruptionem Elementarem conflagrabit, ubi omne malum & impurum instar plumbi proiicietur cum damnatis in Abyssum, ibi omnia sulphure inextinguibili instar vitri inconsumptibilis liquidi indesinenter ardentis in æternum sine consumptione torquebuntur: Et omne quod est de virtutibus & pura Veritate ac Naturâ Elementorum Ignem Cœli non extimescentium, instar essentiæ puræ, claræ, incorruptibilis, & fixæ in Terra serena resplendente Crystallina remanebit, & cum salvatis felicibus (instar Aquilæ vel Fumi ab igne excitati sursum sublatis) in æternum requiescit: Quando enim Deus voluntate sua omnia innovando mutabit, ac Crystallina reddet, tunc motus Supernæ Naturæ morabitur in illis sine corruptione, Rom.8. sect.19. usque ad 23. Lege Isacum Holandum in opere minerali. Utinam magnates nostri temporis auro & argento è subditorum suorum reditibus sufficienter ditati, partem aliquam sumptuum in piè & contentiosè doctos rerumq; Chymicarum expertos viros erogarent, ac è tribus illis Naturæ familiis, Animalium, Vegetabilium & Mineralium, unicuiq; idoneo & expetenti unam saltem indagandam distribuerent, ut ex iisdem, in quibus universa Medicina fundata est, Ignis separatione in sua Tria Prima selectissima eruerent mysteria medica. Conclave Philosophicum cujusdam Principis tali Thesauro pretiosissimo & saluberrimo refertum, etiam cum Pactoli divitiis contenderet siquidem instar Magnetis spectantium oculos ad patefactam occultæ Naturæ opulentiam contemplandam provocaret & pasceret: E cujus jucundæ & insatiabilis pulchritudinis intuitu, quæ obsecro & oculorum recreatio & admirabilis animi ad ipsum Creatorem elevatio? Hic videre selectissimam Vegetabilium copiam Anatomiâ Harmonicâ corporis nostri correspondentem membris, vestimentis detractis mirâ & gratissimâ varietate in sua Tria manifestatam, & visibilem factam: illic Animalium: isthic Mineralium & Metallorum: DIANAM videlicet TRIUNAM nudam, tot varietatis coloribus & Formâ in unaquaque classe semper Triplici MERCURIALI Limpidissima SULPHUREA seu Oleosa Coloratissima, & SALINA Candidissima resplendentem quæ se alioquin ab inquinato mortalium intuitu vestire solet & hominũ cœtus in hâc mundana scena, nõ nisi tecta ingredi cupit: Opus certè magno Rege & principe dignum: FRANCISCI Primi Galliarum Regis, Philosophorum & literatorum virorum maximi Fautoris, laudabile unum è Tribus, sed morte præventum propositum. Et hoc Talento (reservato sibi

Pulchritudo omnis sive corporea sive incorporea nihil aliud est quam Divini vultus atque Luminis splẽdor, reb. creatis insitus, per formosa corpora relucens ac refulgens, & amantes omnes instar DEI imaginis stupescere cõpellens. Quãtum enim Res in se habet Luminis tantum etiam habet Numinis.

sibi ad suos usus fonte solo, rivulos vero superfluos derivãdo foras) Deo in proximo egeno & suis mẽbris benefacere, an nõ Humanitatis & Liberalitatis opus, ac Eleemosynarii in hoc magno Hospitali Pietatis officium omni laude ac sempiterna memoria dignissimum? Et hac via in Timore DEI & Amore proximi progredientib. sine ullo dubio Luminum Pater (à quo solo tanquã efficiente Principali & Finali omnium creaturarum & operationum causa) omne bonum Donum post vitæ emendationẽ petendo, quærendo, & pulsando impetrandũ est pium & laudabile propositum (Timentium enim eum facit voluntatem) longè maioribus & fortè insperatis cumulatè coacervaret beneficiis: Hæ enim sola semita nõ tantum ad omnia Naturæ optata Arcana perveniendi est Regia sed quod omnium potissimum ad ipsum universi opificem, quo UNO omnis BONITATIS Divinæ OCEANO Infinito per Regenerationem (alteritate per unitatem absorptâ, in Sabbatho Sabbathorum seu Jubilæo Aeterno cujus gratia creati sumus cõprehenso, attigimus suffragante Divina Clementia scopum & metam veram, cujus fruitione plenaria olim nõ aliter delectabimur, quam arumnosus exul & peregrinus (per varios vitæ casus, per saxa, per ignes, per sentes & vepres agitatus) legitimæ tandem patriæ restitutus: siquidem Dulcia nõ meminit, qui nõ gustavit amara: Sine Cruce & morte ad amissa bona reditus fieri nullo modo potest: nec Deus vult Hominem mortalem à se nunc peregrinantem ad immortalem beatitudinem & gloriam delicato pervenire itinere, sed per Ignem Tentationis & Tribulationis, cũ tristi & amara morte, quia Coronatio & lachrymarũ absersio demũ superatorum hostiũ victoriam subsequitur: digna enim est & maiorib. præliis Vita æterna.

Quamvis autem, ut ad supremam medicinam revertar, adversa fortuna me honestæ synceriss imæq; Veritatis semper studiosissimum multoties ad supremi illius Philosophici sacrarii penetralia (non auri argentiq; faciendi gratia, siquidẽ postposita habendi sat agentiâ pauca contenti sat divites sunt, sed ardore quodam medicinæ Veræ consequendæ & justo admirandorum DEI operum desiderio) frustra licet aspirantem & anhelantem non solum non deduxerit, sed nescio quo meo sinistro & infelicissimo fato etiam factum fuerit, ut quo ferventiore conatu animi, secretissima illa studia sectatus fuerim avidius, eo obtrectante malevolorum Invidia & Fortunæ fluctibus hactenus jactatus fuerim acerbius, æquitatis necessitas exigit, quandiu ulterius non datur, ipsa metantæ Rei cogitatione sola & recordatione saltem consoler. Quid cui, quando, & quãtum, novit ipse Deus, cujus

Ex DEI Lumine revelantur secreta & absconditata patefiunt.

Sine eo enim nihil boni & perfecti attingi potest. Ps.145. sect.19. Prov.10. sect.24.

Divina fiducia neminem ad bene agendum destituit Qui novit Unum, novit Omnia, qui discit Multa, discit Nihil. Sir. c.34 sect.12.13. 14.

Beatitudo cõsistit in apprehensione summi boni.

Deus est immutabilis.

Quies, ad quã omnes Creaturę anhelant & gemnut. Levit.cap.25. sect.23. (13. Tob.12. sect. Sir.2. sect.5. Sap.3. sect.6. Prov.17. sect.3

Sine certamine & Pugna non pervenitur ad Patientię Victoriam & Corona, per Angusta itur ad Augusta.

cujus Nomen glorificetur & in Aeternũ sit benedictum: qui sapè bonus avertit, poterant quæ forte nocere: nec vitam illorum miserã expetendam esse reor, quibus felicitas damno cessit & nocumentum indè susceperunt, unde beneficium debebant reportare: & qui summâ in fortunâ, ubi jam felicitatẽ illis Fatorum indulgentia majorẽ tribuere vix ullam potuisset, propter cõpedes injectas fortunã desiderant: & quibus Deus quædã largitur ad pœnam iratus, quæ beneficii loco negare solet propitius. Attamen cum opera DEI *sint annuncianda, & celebranda, & ut hoc monumento relicto cõstet olim, nostri quoq; sæculi hominib. felicitatem suam posteris non invidentib. Beneficentiam illam Divinam nõ fuisse negatam, in Veritatis attestationem & subsidium, non possum hoc loco nõ meminisse singularis illius Divinæ erga me Clementiæ, quod mihi nõ sine manifesto superũ favore ceu occulato testi, in peregrinationib. meis isthæc fortuna complurib. expetentibus denegata cõtigerit, ut illam intueri & gustare licuerit, apud Magnũ aliquem, cui in æternũ benè sit, & Cumprimis egregium Helic Antharum borEa Lem, nũc in Christo quiescentem: cujusmodi* ENTIS *Den Iq; consueVerunt latitare tempOrum curr Ic Ulis. Unde diu maximo Naturæ per artẽ miraculo cum stupore attonitus, inter varias & multiplices Inferioris Astronomiæ metamorphoses (viâ Antiquorum Humidâ nondum tamen intensè ad Basiliſci oculum Exaltatâ) in frigido factas mihi hoc unũ prodigium, omnium mirabilium superans admirationem cumprimis stupendũ & spectatu digniſsimum fuit, quod unica illius Laticis exhibita gutta (in quâ tanquam penuario omnium corporum Cœlestium & Terrestrium dispersæ virtutes admirando artificio invisibiliter conservatæ, imò in qua totus mundus Astralicè concentratus erat) hominẽ deploratæ valetudinis & morti vicinũ sua Ignea, Astrali & Cœlesti Natura Invisibili, influendo Cordi radium Vitæ Naturalis: Vitæq; organa renovando, & defunctã Naturam (per accidentium ægritudinẽ causantium remotionem) reparãdo una nocte ad firmã & perfectã revocarit incolumitatẽ. Corpora enim Humana subitò & quasi miraculose à quibuscunq; infirmitatibus desperatis (secundum Deum videlicet, nam multi morbi sunt innata pœna Divina quorum curatio in Natura non quærenda) Regalis hæc, & omnium aliarum medicinarum Imperatrix resurgere facit: siquidem totus hic novus mundus regeneratus, paruum veterem corruptibilem mundum, hoc est, Hominem virtute Regenerationis suæ renovare, quicquid in Humano corpore læsum restaurare, superfluum cõsumere, defectum resarcire, & totum*

Num. cap. 11. sect. 33. Ps. 78. sect. 31. Ps. 104. 105. Tob. 12. sect. 7.

Basiliſcus Philosophicus instar Fulguris repente & ex improviso cõburit quod cunq; metallum imperfectum, & subitò aliam formam novam producit. Meritò igitur Indagatio illius omnibus Veritatis studiosis deberet esse commendatiſsima.

totum microcosmum in verum Temperamentum reducere, & in illo conservare potis est, usque ad præfinitum mortis terminum, ob peccata mortalibus impositum.

Eodem Spiritu mundi, eodem Calore Solis & Lunæ, quo humana corpora, ab infirmitatibus & accidentibus mundantur etiam metalla imperfecta & impura absque novo generationis & corruptionis motu, per solum alterationis modum, & accidentium, eorum ægritudinem causantium remotionem (cum metalla nõ specie, sed accidentibus saltem differant) Veræ Sanitati, quæ est aureitas, restituuntur.

Vulgaribus nostris, emũctæ licet naris Athenienſibus, has Vulcanicas metamorphoses, & hanc Dei Virtutem Naturæ coniunctam nescientibus, ac medicinæ Ethnicæ admiratoribus, qui excusandæ inscitiæ suæ causa ineptè satis Prudentum dicta profabulis & figmentis habent, non mirum, cum intellectus intelligentium, nullis præceptis aut traditionibus fatuorum hominum obfuscatus, vix apprehendere valeat, si hoc propter tantorum mysteriorum proclamatam incertitudinem videbitur ut ignorantibus & merito non notificandum secretum incredibile (quamvis vero verius sit) quia de Calore Solis & Lunæ in sua vita nil audiverunt unquam: multò minus quod Magiæ Mechanicæ beneficio elementum Terræ supra aquam natare possit. Hoc scire verè Philosophicum est, medico astrali cumprimis necessarium, quorum nullus ad ullam mirabilium effectuum operationem vel cognitionem pertingere, nec nisi huic Scientiæ adhæreat de sua arte certus esse potest, præsertim in desperatarũ infirmitatum nostri corporis cura, quatuor videlicet omnium morborũ monarchis, Epilepsia, Podagra, Hydrope, Lepra. Hæc quatuor summa morborum genera Paracelsus operibus demonstrans se à Deo medicinam edoctum, cum Christi, non dæmonis adiutorio mirifica arte sustulit, non obviis & tritis nostris medicinis purgantibus, sed pauciſsimis concessis Restaurantibus seu regenerantibus, quibus Natura renovata postea omnia noxia sua sponte expellit, sicuti Epitaphium ipsius, Saliſburgi, posteritati veraciter satis superq; testatur. Omnes infirmitates proveni-entes ex humorũ corruptione quantumcunq; graves & desperatæ curæ hac medicina universali (instar dolabri dedolantis omnis generis ligna) sanantur, nisi infirmus fuerit in ultimo termino sibi à supremo ente cõstituto, vel morbus præter naturam à Deo pœnæ loco, & afflictionis singularis, immiſsus. Nemo autem hoc

Contra mortẽ nullus medicus nisi Christus.

Hæc dubitatio incredula, quia pauci reperiuntur, qui firma cõscientia credunt artẽ esse veram, lucro potius, quàm damno, ut antea maioribus sic deinceps posteris omnibus cedet. Ea examinatione, prospicit Deus verè philosophãtiũ securitati. Exod. 32. sect. 20. Hiob. 14. sect. 9.

Non est Christianũ, diabolo majorẽ possibilitatem & vim ascribere velle, quàm infinitæ divinæ Sapientiæ & Omnipotentiæ.

Verorum medicorum præcipuum fundamentum & scopus, quia non prima, sed secunda nativitas conducit.

ho peculiare ac cœleſte Donum, ut ſupra dictum, uſurpare poteſt, niſi is, cui Deus ipſe contulerit, qui ſolus & obſcuritatem horum myſteriorum illuminat & claritatẽ offuſcat, ut neq; planiſſima quis intelligat, niſi ab ipſo illuminatus fuerit, neq; obſcuriſſima quæq; non conſequatur, ſi ab ipſo illuſtrata fuerint: Tanta enim facultas ſummi Creatoris affluenti & peculiari Gratia, venit Ideo Lullus divinus ille & perfectiſsimus Philoſophus merito concludit, oportere inter Artiſtam & Deum cauſam primam, abſque contrarietate concordantiam eſſe, ut primus motor, tanquam Forma principalis moveat intelligentiam, id eſt, Artiſta Animam, ad veram intelligentiam, ut patefiat ſibi id, quod eſt occultum in magiſterio huius artis. Benedictus erit ille, cui Dominus Deus inſpirare volet donagratiæ ſuæ: Nam Dominus eſt Cœli, qui ſcit Cor illius, in quibus forma & modo velletuti. Videmus nihilominus peccari interdũ non ſolum ingratitudine erga Deum, verum etiam miris & Adepto Philoſopho indignis erga immeritum proximum technis: quibus olim aliquot clariſſimi viri, & noſtro ſæculo duo diverſarum nationum manifeſtati Philoſophi, dono Dei contra horrendiſſima Philoſophorum Anathemata abutentes, ſibi poſtea (ſiquidem quilibet ſecundum dexteritatem ſuam à ſpiritu ſydereo cauſatam ac excitatam ſuæ fortunæ faber eſt) cum perenni Nominis ſui dedecore iuxta immeritam veriſſimæ artis Philoſophicæ proclamationem, dolendum & cõmiſcrandum attraxerunt exitium, Dei iuſti Vindicis ira (tam ob arrogantem ſuperbiam, loquacitatem pœna & pœnitentia cõcomitantibus provocantem, quam ob impoſturarum fraudes ad primi ſilentii Harpocratici rupturam, ſecuritatis ſuæ gratia viciſſim tegendam commiſſas) miſerè conſumpti & refrænati.

Origo magiſterii Philoſophici.

Secus faciunt plurimi, qui de perfectione quamvis imaginariaſaltẽ apud alios gloriantur, & ita ſua credulitate ac pſuaſione ſe impediunt, quominus diſcendo ulterius proficere poſſint.

Deus primo ſæculo ſe per lumen Naturæ manifeſtavit.

Antiquiores illi peritioresq; felici ſydere nati Philoſophi, Hermetis ſcientia inventoris filii, apud quos nil Veritate antiquius, nil turpius falſitate atq; deceptione, & quibus ſemper ſine teſte multitudinis imperitæ tutius operæpretium fuit in Receptu Eſſe, *quàm in* Fronte *videri aut haberi: quiq; ſui memoriam nulla labe contaminatam ad poſteros tranſmittere conati ſunt, non ut multi nimium creduli opinantur, quod in imaginibus ſuis frivolis decepti, alios viciſſim voluerint decipere, quod non cadit in virum probum: Hi inquam Naturæ non publici, ſed occulti Secretarii, in naturali Lumine in ipſis vigente, proviribus ſibi divinitus conceſſis Rationem ducem optimum ſecuti, omnes ſumma tum animi tum corporis intentione ad Virtutis unum eundemq; potius tendentes*

dentes ſcopum, nil majoris eſſe gloriæ ſunt arbitrati quam prudenter & Quieto Silentio iuxta DEI *Timorem & Amorem proximi* MENTE *recte* SANA *in* CORPORE SANO *tranquillè gaudere poſſe: Hæc eſt Philoſophia Adepta, quam Paracelſus in Tinctura Phyſicorum explicat Vitam diuturnam & ſanam abſq; omni infirmitate, uſque ad mortem Naturalem, ejuſque vitæ longæ honeſtam ſuſtentationem in hac ſcilicet miſeriarum valle, ut ſcilicet* DEO *abſque indigentia & proximi detrimento inſervire poſſimus: Hanc quidem felicitatem, multa licet ſint animi & diuturna quadam aviditate venati plurimi: eandem tamen nec alio in medio, nec artibus ullis ſe adepturos unquam, niſi per admirandam abſtruſiſſimamq; complexionem quandam omnium totius Creaturæ in unica quadam maſſa confluentium & concurrentium virtutum (Viâ ſaltem Regiâ illa ac Ratione Philoſophicâ præſtandam) exiſtimarunt: Omnibus his virtutibus ſpiritualibus, activisq; qualitatibus, magno ingenii Artisq; beneficio inſtar mundi minoris in unam Maſſam (quam Lapidem ſeu Pulverem ſuum vocare conſuevêre) coacervatis & concentratis (unita ſiquidem vis fortior diſperſa) præter* MENTIS *ſuaviſſimam quandam & mirabilem illuſtrationem (eſt enim Lex Naturæ in Tenebris mundi corruſcans) omnium item rerum Naturalium & Cæleſtium ſecretorum ſcientiam, operationemq; perfectam, imo iuxta omnium Rerum affluentem Abundantiam, Sanitatis beneficium legitimo hujus ſummi & admirandi Magiſterii uſu ad miraculum uſque conſecuti ſunt Cujus in ſuis monumentis ſcriptis noſtri prædeceſſores Philoſophi, in ſchola Hermetis enutriti, licet in reticendo artis ſecreto, conſtanti Taciturnitate planè elingues (ſcientes videlicet quibus periculis artium arduarum Indagatores & Secretarii Naturæ publici ſint obnoxii, ut ſemper de ſalute vel quiete deſperabundi pervagari cogantur) hanc tamen rationem tradere ſolent: quod ſumma illa Medicina per artificium Naturâ ſagaci Scientiæ Magiſtrâ cooperante, ut jam dictum, præparat, ſit Vita & Lux illuminans & vivificans Balſamum noſtrum, hoc eſt vitæ ſpiritum ſeu vaporem cœleſtem non viſibilem: ſit Vitæ noſtræ Eſſentia: Quinta Eſſentia ex 4. Elementis compoſita, in qua ſunt actualiter omnia Elementa cum omnibus ſuis actibus, cum concordantia maxima, æquatione vera, ſecundum omnem Naturæ poſſibilitatem æquata & Catena aurea ligata, abſq; aliqua contrarietate: ſed omnia aggregata in tàm ſubtili Materia & Forma tàm ſubtili, & tam ſimplicitati propinque reſpectivo modo, ſicuti in Ful-*

Artis induſtriâ Naturæ defectus ut ſuppleatur neceſſe eſt, cum Natura ad ſui perfectionẽ ſemper tendat, laboret & anheletipſa ſuâ indole.

Prov. 3. ſect. 16.

Sub Anathematis pœna, non ſunt auſi loqui n ſi in pictura verborum Ænigmaticorum, quia nõ habebant licentiam à Magiſtro Naturæ, ne ſibi ipſis periculũ acceſſerent aliiſq; maleficii anſam præberent.

Prov. 10. ſect. 14.

Excitat motum in corpo-

ribus, & vivificat Elementa, vivificãtur autem Elementa cum in actum ſuum excitantur: nam Vita Naturalis nil aliud eſt, quam actus Elementorum.

Vita Rerum Naturalium est Lucis Idæalis unio, cum Cœlo Terraq; pariter Idæalibus.

Hæc ex arte omniū plena rerū notitia, & hoc in Lapi de universa rerum natura elucet.

Tinctura est Q. Essentiade microcosmo, ad primū perfectissimum esse, & varium numerum Cabalisticū, qui proximè accedit.

P. vocat Balsamum perfectum, perpetuum, Catholicon Physicorum: Defensivum senectutis, medicamētum vniuersale, quodinstar Ignis inuisibilis omnes morbos consumat.

Hanc Q. Essentiam Animarum mediam Naturam, Veteres illi Rerū consultissimi vocauerunt.

gure & in Basiliſci oculo: ut per Experientiam patet, in curatioue morborum & metallorū metamorphoſi: Hæc res ita ſe habet reſpectu quatuor qualitatum corporis, ſicut ſe habet Cœlum incorruptibile reſpectu 4. Elementorum. Hanc Quintam Eſſentiam vitæ radicem creavit Altiſſimus in Natura, ad conſervationem quatuor qualitatum corporis Humani, ſicuti Cœlum ad conſervationē vniverſi. Eſt ignis cæleſtis non urens, anima & vita Creaturarum omnium: ſubjectum in quo præter Elementorum vires & operationes omnes Firmamenti, etiam cæleſtes virtutes tàm ſtellarum Fixarum, quam Planetarum, invisibili modo infunduntur & imprimuntur, ſiquidem omnium corporum cæleſtium Influxus, qui ſublunaribus unicuiq; particulatim communicantur, hi in hoc uno concentrantur: Theatrum ſecretorū Luminis Naturæ totius: Speculum myſteriorum DEI, *& Miraculum uniuerſæ Naturæ: Totius mundi machinæ Quinta Eſſentia, & totus mundus Regeneratus, in quo totius Naturæ Theſaurus jacet: Subjectum & Inſtrumentum omnium Virtutum Naturalium & Tranſnaturalium: Filius* SOLIS & LVNÆ, *qui ſuo aſcenſu in Cœlum & deſcenſu in Terram omnes vires ſuperiorum & inferiorum adeptus eſt. Habitaculum omnium Formarum metallicarum, mineralium & vegetabilium, à* DEO *ſub* LVNÆ *globo creatarum: Imò quod ſit vere ſpiritus vitæ penetrans omnes alios ſpiritus, cum ſpiritu corporis noſtri planè unus & idem: Vinculum inter Corpus & Animam, quo delectatur illud ſupercæleſte, retineturque ne fugiat à corporeo carcere, ut enim pax fiat inter iſtos inimicos Animam & Corpus, Balſamo Vitæ medio pus eſt ab Externis petito quo Internum inſtauretur, ad retinendum vel ſuſtentandum Ignem Vitæ longæ, ſine quo fomite recedit à corpore non ſecus atq; à lychno flamma, deficiente oleo: Materia ſimpliciſſima generata à Domino Opt. Max. ex ſpiritu Mundi, ad reſtaurationem & conſervationem Humanæ Naturæ, cunctis noſtri temporis Medicis prorſus incognita: Non enim in Scholis illorum provenit, qui Templum Apollinis non per debitum Oſtium, ſed per Tectum devium irruentes, ſedem illius occuparunt, veluti Scribæ olim & Phariſæi ſedem Moiſis: Et dum ſcientiarum claves in captivitate iniquâ detinent, ſuis placitis nihil efficiunt aliud, quam ut ſiniſtrè docentes, ipſi non ingrediantur Naturæ Academiam, & alios rectè diſcendo ingredi cupientes, ſuis dehortationibus pernitioſis in laudabili remorentur curſu, ita ut nunquam ad Veritatis cognitionem perveniant, & ubinam ea lateat neſcire cogantur. Quia*

ver o

verò omnium morborum corporalium origo vera ſecundū ſaniores medicos eſt naturalis proportionis Primorum Trium enormitas (ſeu ut cum medicorum vulgo loquar Immoderatio & intemperies quatuor Elementorum ſeu Humorum) ex quibus corpus humanum compoſitum ægrotat & bene habet: hæc autem ſupradicta medicina, quæ in ſe eſt creationis noſtræ materia, ſit congenea & uniformis ſubſtantiæ in æqualitate conſiſtens, Anima ſubtiliſſima ſecreta à fæcibus, & veluti ſimplex Elementorum ſubſtantia, Quintum eſſe ſeu Virtus Quinta de puriori Eſſentia quatuor Elementorum reſultans, purificata, incorruptibilis, comparatur cœlo, nec admittit ullum malignum ſpiritum, ſed fugiunt ab illa: Et quia temperatæ corruptioni ſeu putrefactioni minimum obnoxia eſt, ideo quantum per naturam poſſibile eſt omnem corruptibilitatem accidentalem, è qua infirmitas provenire poteſt, expellit, ac per omnia membra interiorem inſtaurat vigorem, morboſq; Trium Principiorum exaltatione factos, reconciliatione iterum curat: Sanitas Hominis in concordantia & unione Trium ſubſtantiarum Primarum conſiſtit ubi verò exaltantur, & per Aſtra incenduntur, ſequuntur bella inteſtina: Et quia Tres Primæ ſubſtantiæ morborū volatiles ſunt, Ignis Eſſentiæ morbum conſumentis, & purum ab impuro ſeparantis cædunt. Inſuper illa Virtus Quinta corporis humani Elementa ſeu Humores in pace & fœdere Harmonico colligat, & inæquales æquando ad verum Temperamentum reducit, caloremq; inſitum ac humidum ſubſtantificum corroborat, Vitæ oleum & igniculum cæleſti ſuo vigore in æqualitate conſervat (quandiu enim Radicalis Humor, Balſamus Vitalis, & Vitæ noſtræ Nectar pretioſiſſimum, ſiquidem confortativa vis corporis Humani & Animalium ex ſpiritu Vitæ procedit, manet in ſua quantitate, non ſentitur morbus) ægrumq; ſanitati ac temperiei reſtituit. Naturam ipſam ſuo in eſſe retinet, & Nectar Vitæ noſtræ in bono & laudabili conſervat tēperamento, ſicq; ad mortem uſq; naturalem (id eſt, ad eum vitæ terminum, quem omnipotēs Deus homini propter inobedientiam tàm primi parentis, quam cuiuſq; propriam inſtituit) à morbo tutum atq; integrum cum iuventutis nitore & tēpore cōſiſtendi (quæ eſt ætas Pulchritudinis & Fortitudinis humanæ) conſervabit prædiſpoſitū hominem, qui illa prudēter & convenienter cum pia Nominis divini invocatione uſus fuerit, modo corporis cōſtitutio & cōplexio eius ſupra modū non ſit læſa. In hac ergo Q. Eſſentia & ſpirituali medicina, quæ eſt de Natura & Calore Cœli, & non in noſtra mortali & corruptibili,

Quando Elementa purificata reducuntur ad purā & æqualem ſimplicitatē, tunc habetur medicina prolōgandi vitam, quia ſic Elementa ſunt æqualia: nā inęqualitas & dominium unius in alterum generat morbos.

Sanitas conſiſtit in Tēperato corpore.

Nemini videatur mirū, quod ad Solis cœleſtis Lutū deſiccantis & Ceram liquefaciētis exemplū, actus ſolus unius rei, non quo ad ſe, ſed ſecundum recipientis naturā variè diverſificatur.

possibile est, Verum medicinæ fontem, Conservationem vitæ, Restitutionem sanitatis, Renovationem iuventutis deperditæ, & serenæ valetudinis optatum invenire: ac naturaliter loquendo, nulla est in toto mundo hac vera Philosophorum Theriaca melior Medicina Balsamica, quæ instar Elixiris vitæ superlativa & ultima corporis humani consolatio est, omnes activitates conservans in natura humana & vires ex naturæ defectu diminutas restaurãs. In omni enim genere unum quid est, quod primum in eo genere gradum tenet, quia ergo hæc Medicina genita est ex incorruptibiliori & efficaciori materia, quæ sub cælo sit, Anima vel Spiritu mundi, nimirum omnium cælestium, & terrestrium vires in se continente, ideo primum teneat gradum in ordine medicinarum, & hæc utens homo, cum aliorum ciborum moderatione, poterit ad Veterum Patrum ætates accedere. Ex duobus Solis & Lunæ *fontibus, ut doctè disserit* Suchtenius *oritur Spiritus mundanus Naturalis & Vitalis cuncta permeans Entia, omnibus vitam & consistentiam præbens, per quem ut mediatorem omnis occulta proprietas, omnis virtus, omnis vita propagatur in inferiora corpora, in herbas, in metalla, in lapides, in animalia: ita ut nihil sit in toto mundo, quod huius spiritus scintilla careat, vel carere possit. Hic spiritus cælestis cum naturali nostro spiritu unus & idem, cum in nostro corpore fuerit in debito statu non diminutus, aut per res extraneas impeditus, est Calor iste noster naturalis, quo omnis res ad sustentationem & multiplicationem individuorum digeritur: Digerit enim Nutrimentum ab Homine assumptum, & generat bonum sanguinem in omnibus membris: Sanguine existente puro, existit & spiritus Cordis vitalis fortis, purus & sanus, sicq; totum corpus rectè & sanè vivit Si verò impeditus per ægritudinem fuerit, quo minus hoc suum officium faciat, sequitur mala decoctio nutrimenti: Inde generatio impuri sanguinis, ex hoc spiritu Cordis vitalis debilitatur.* Unde *oritur Senectus Oblivionis domus, tandem sequitur plenaria exstinctio, consumptio & dissipatio spiritus illius, quæ Mors est naturalis:* Ut *ergo consumptio & dissipatio dicti spiritus (quatenus per naturam licet) vitetur, augendus & confortandus erit spiritus ac calor iste in corporibus humanis existens Naturalis sic diminutus vel impeditus, quo fortius & melius suo officio fungatur.*

Cum aũt omne agens cum agere cœperit, non ad inferius seipso movet, sed ad sui par, simile & consentaneũ: Confortatio etiã hæc fieri debebit per suum simile, nempe

Calor naturalis, quod gerit omnis res ad sustẽtationem, & multiplicationẽ individuorũ est calor Solis & Lunæ.

Spiritus est vita & Balsamus omniũ rerum naturalium.

Vita hominis est astralis Balsamus, impressio Balsamica cœlestis & Invisibilis ignis, aer inclusus, & tingens spiritus Salis.

nempe per calorem illũ cælestem Solis & Lunæ, aliorumq; Planetarum, vel cum rebus iis, in quibus Virtus Solis & Lunæ *potentissima est, plurimumq; abundat, minusve cohibetur à materia. Hæ enim res citius & perfectius agũt, promptiusq; generant sibi simile: Imò quod facilius etiam ex istis spiritus vel Ignis iste supernus per artificium elicitur: cuius propria sunt Calor, non urens ut elementalis, sed omnia fœcundans, & Lux omnibus vitam tribuens. Ignis autem elementalis & Inferioris propria sunt Calor ardens, omnia consumens, & obscuritas sterilitate cuncta replens.*

Excluditur ergo hic iste, simul etiam cum eo omnia diversa vel contraria, qualia sunt omnia Elementata inferiora. Hæc enim & alia omnia, quæ in se naturalem compositionem includunt (quatenus adhuc crassiori materiæ immersa nondũ ab ea separata sunt) corruptioni & transmutationi sunt subiecta: Conservantia vero medicamina & admodum durabilia esse debent, & à corruptione remota: Nam cum humanum corpus à corruptione servare debeant; ea in primis durabilia sint, oportet: secus magis corrumperent, quàm servarent. Adde, quod vanum esset per rem putridam & corruptibilem, corpus corruptibile velle conservare, infirmum sanare per rem infirmam, Rem formare per rem deformitati subiectam. Omne enim corruptibile infirmum & debile additum suo simili, coaugmentat illud, & sic corruptibilitas illa augetur, & non diminuitur, uti videmus multos, & quidem plurimos nostræ ætatis medicos crassis & corporalibus suis medicamentorũ compositionibus hominem sanum, & à morbis immunem reddere frustrà conari: Altior namq; hîc speculatio requiritur: Morbi enim cum sint non corporales sed spirituales utpote in spiritibus delitescẽtes, medicamina etiam possunt spiritualia. Volentibus igitur in iuvenibus spiritum istum vitalem (qui est humidum & calidum Radicale, Mumia innata, & sedem in medio hominis corde habet, tanquam sustentaculum omnis vitæ nostræ) conservare, in senibus vero languentem restaurare, & eos velut ad iuventutem reducere, quoad vires, sicq; vitam hominis in summam sanitatem adducere, opus erit quærere non elementalem, sed Calorem illum cælestem Solis & Lunæ habitantem in incorruptibiliori substantia sub Lunæ globo reperibili, hũc calori vel spiritui nostro similem reddere, quod fit, cum in medicinam & cibũ suavissimũ præparatus fuerit, ita ut per os assumptus, statim per humanum corpus penetret, omnem rem, maximè carnem sibi unitam teneat incorruptam, virtutem & spi-

Spiritus mũdi seu cœlestis & Naturalis spiritus nostri corporis est unus & idẽ spiritus: Ergo calor Solis & Lunæ generatus ex ipso ictu spiritus, est res magis decocta & per consequens magis perfecta.

Unum simile additũ suo simili facit illud magis simile.

Spiritus vitalis in homine & elementalis est unus spiritus.

Calidum innatum & humidum primigeniũ. microcosmicũ à calore & humore Solis & Lunæ macrocosmico sustentantur tanquã uno eodemq; cœlesti illo & naturali nostro spiritu.

ritum vitæ nutriat, augeat & restauret, omne crudum digerat, omnem excessum cuiuscunque qualitatis amputet, humidum naturale faciat abundare, & calorem vel ignem naturalem debilem confortari, inflammari & augmentari procuret. Hoc veri medici & sanioris Philosophi erit officium. Sic enim corpus nostrum sine corruptione servare, senectutem retardare, floridam iuventutem in vigore vsque ad extremum vitæ finem retinere, & nisi peccati stipendium obstaret, in æterna sanitate conservare, & ab interitu tueri posset. Paracelsus vocat Elementum Ignis, *quod instar Solis terreni seu inferioris Firmamenti in omnibus morbis tollendis, & frigidis demortuis membris refocillandis sit summum Arcanum, operatur enim ille Ignis essentialis in corpore ut Flamma & urtica extra corpus. Cuius etiam (ut hoc loco ab iniusta ac iniusta calumnia meritò vindicetur) hæc fuit mens, ubi de perfecti huius Ignis vitæ viribus agit, ut Balsamus Naturæ, Mumia Balsamita, Vitale Corpus, Liquor vitæ, Humor nativus seu Radicalis quem Spiritus Vitæ agit, restauretur, confortetur, ac conservetur quasi incorruptus usque ad extremam eius consumptionem, id est, ad ultimum Vitæ Spiritum absque ulla ægritudine, dolore & molestia, quod ipsum tamen in aliorum deploratis & desperatis morbis sanandis ab illo ad miraculum præstitum, ob* Venenum *toties sibi ab invidis & inhumanis adversariis oblatum in suo corpore diutius præstare impeditus fuit, (immatura siquidem & violenta hausti veneni morte sublatus naturalem Terminum vitæ vix assecutus est) non autem ut multi suo alienissimo commento malitiosè cavillantur, quod præsumptuosè sibi sua hac medicina aditum & viam ad immortalem corporis sanitatem cum suis Antecessoribus demortuis Philosophis in hoc impio mundo & vera miseriarum valle sternere voluerit, quod ipsis ut peregrinis & advenis huius mundi, ne per somnium in mentem venit. Deus omnium Creaturarum Centrum est, cui quo quis propinquior, eò beatior & minus variabilis & mutabilis est: Quò verò quid magis ab isto Centro seu uno, voluntate scilicet Dei immutabili, recedit ad Creaturarum circumferentiam, varietatem & pluralitatem, eò infelicius, imperfectius & mutabilius est: In unitate est Beatitudo, non in circumferentia, in Christo est pax, quies animarum, non in mundo. Qui ergo per immensam Bonitatem Dei, nos sine intermissione præcurrentem, oblitus omnium rerum, & relictis sensibilibus & temporalibus in transitu saltem utendis, unitus fuerit isti uni Centro, iuvenescit*

Par. Tinctura Balsamum ita mundificat, ut etiam proles hereditaria in decima progenie sentiat effectum sanitatis.

Humores vitæ spiritum vitæ nutriunt.

Vide apud Par. in tom. 5. inter Fragmēta medica folio 162.

Definite ergo in posterū culpare Paracelsum, quod lōgitudinem vitæ aliis pollicitus sit, & ipse vix justā attigerit ætatem.

Ejusmodi plura comminiscuntur & redarguunt, è malitiosa ignorātia, quæ nusquam somniavit Paracelsus.

Ultra murum Paradisi seu Æternitatis Horizontem videndus est Deus, qui est proprius locus cōtemplantium. Qui unitus cum Deo in Centro, manet instar Dei & Angelorum, non senescit.

scit magis, quam senescit: Et hæc est Vera Cabalistarum, & Paracelsi Vita Longa, toties votis & sanctâ spe in suis hymnis & soliloquiis expetita, Vita Enoch diana: sicuti è contra, qui huic unitissimæ Fontali & unicæ unitati per adhasionem non unitur, necesse est perire in æternum, ac per mortem secundam separari à Luce & Vita, conitciq; in Exteriores Caliginosi mundi Tenebras, quæ carentia conspectus Dei, *omnium pœnarum acerbissima est.*

Omnium rerum cognoscere opificem ipsum Deum, & in illum tota similitudinis imagine ceu essentiali quodam contactu sine vinculo transire, quo ipse transformeris, efficarisq; Deus, ea demum Vera solidaq; Philosophia. Igitur Adeptorum Philosophorum, quorum ex saturitate Vitæ Terrenæ πολίτευμα in cælo est, quibus unum est in omnibus Omnia, & Omnia sunt in uno unum: quiq; hæc transitoria semper sinistro, & cœlum dextro intuentur oculo: horum inquam Mens *à superiori cavillo longè semper remota & aliena fuit. Dum enim relicto post tergum Mundo in maligna posito, meditatione tranquilla & religiosa, è corporis sui sepulchro è mortuis Tenebrarum operibus Divina cooperante gratia excitati, potuerunt Lumina Cordis aperire & per separationem Mentis à Terrenis obstaculis in se ipso, in Sabatho Cordis ad Deum diverti, & Beatissimo Spectaculo uno videlicet ac simplici ab intra intuitu, Essentiali quodam Divinitatis contactu, Omnia videre in* uno *& in* Dei *Lumine tanquam æternitatis speculo contemplari pulchritudinem Summi Boni, Creaturæ Veteri incomprehensibilem,* Infortunium *putarunt, quæ in hac miseriarum & ignorantiæ valle est moram: Inquietum enim est Cor nostrum, donec relicto post tergum Nihili pulcherrimo (Tenebrarum scilicet & umbra mortis regione) redeamus ad* Fns Entium (*à quo peregrinamur*) *tanquam ad præfixum scopum omnis desiderii & voluntatis, ad quem omnis Creatura anhelat & suspirat. Ideò denudati ab omni Creatura & relicti, relinquunt se, & à se totaliter exeunt, spretis omnibus & corporeis & incorporeis, ab imperfecto ad unum & perfectum suspirando festinant, cujus cognitio & contemplatio (id quod venerandæ canitici Hermes sapientissimus ille ac pientissimus Philosophorum Naturalium Antesignanus & Primus Propheta in sua Monade etiam agnovit) est sacrum Cœleste & occultum silentium, sensuum rerumq; omnium quies, ubi tandem absoluto miseriarum, laborum, & peregrinationem penso, unanimi amicitia, omnes animi in una* Mente, *quæ est super omnem* Mentem *ineffa*

Invanum exurgane Paracelsi cortices exurgere consueti qui hanc interpretationem clamabunt esse coactiorē & longius petitam.

Rom. 6. ad Col. 23. Mysterium Matrimonii Divini cum Homine.

Hujus radii seuveri lapidis cœlestis accessu omnes sordes purificantur, & mundātur, tenebræ ignorātię depelluntur. Sir. c. 18. sect. 8 Ps. 90. sect. 10. Rom. 8.

Quicquid Deus non est nihil est, & pro nihilo cōputari debet.

Lactantius Hermetē non tàm inter Philosophos, quam inter Sybillas & Prophetas, ut verū Orphea cōmemorat.

Unico Ictu præsentiali in tuëturomnia.

ineffabili quodam modo unum penitus evadunt. Intima DEI *visio & Cognitio* DEI *Intuitiva, quæ etiam in hunc mundo Animæ separatæ per Lumen Gratiæ contingit, si quis modo se expedire velit, ac Deo subditum reddere. Ita multi sancti viri virtute Deifici Spiritus in hac vita primitias Resurrectionis degustarunt, & Patriæ Cœlestis præguſtum senserunt. Mors videlicet illa Sanctorum spiritualis (quam Hebræi Mortis osculum vocant) in conspectu* DEI *pretiosa, si dici mors debeat Vitæ plenitudo: Mori oportet Mundo, Carni, Sanguini & toti Homini Animali, qui per excessum* MENTIS *velit ad hæc secretorum Penetralia ingredi, & in Paradisum intrare: Homo sola Mente vivens, ut Angelus evadit, ac toto (ut sic dixerim) pectore Deum quodammodo concipit. Scopus ad quem omnes dilectissimi, sancti & intimi Amici* DEI *juxta Altissimi Imaginem seu inspirationem, & non secundum Terræ Limum viventes tendunt, qui se ex Amore Divino in fontem Abyssi, seu Nihilitudinis Pelagus libenter præcipitant, & per Vitam Christi Sancta Sanctorum ingrediuntur, ut in Sabbatho vivant in Requie & Beatitudine cùm Deo, & sic Æternitatis Ambrosiano Nectare perenni potentur. Per Animam stantem, suam Divinitatis Imaginem complexam seu* MENTEM DEO *per Christum unitam actuali potimur Beatudine.*

Exod. 33. Es. 6. 2. Cor. 11. Ps. 115. sect. 15.

Ulterior longæ vitæ extensio possibilis est: Ideò Porta Genethliacorũ vitę metam præfigẽtium opinionem reiicit, affirmando eum, qui infirmitates cavet, & noxiâ vitat, longiorem vitam ducere posse. Par. cap 7. Labyrinthi medicorum.

Etsi vero verba producendæ vitæ Vanorum hominum esse dicantur, nec Naturæ tamen nec Rationi repugnat Hominẽ sibi posse suam prolongare vitam, ultra communem hominum ætatem, usq; in magnum tempus, duas ob causas: quarum PRIMA *est, quod nullus certus terminus in* NATURALIBVS *appateat constitutus, quo die nobis moriendum sit, sed hoc in nostra manu & potestate positum ac situm est, abrumpendi vitam si volumus, & sine* DEI *offensâ prolongandi si modo possumus, & sapientiâ habemus: Loquor hîc de Naturali morte Philosophicè, quæ est tantum consumptio Naturalis Humidi & Caloris, ut demonstrabile in lychno accenso, non Theologicè de morte illa Fatali, & ultimo Termino cuilibet à* DEO *præfixo, quo non solum Naturæ debitum exolvere, sed pro peccatis pœnam reddere cogimur. Mors est terminus, qui præteriri non potest, non autem dies vel hora, quia vivimus è Gratia* DEI *Terminum sine hora. Sicuti enim Deus nostros capillos numeravit, ita etiam annos supputat, relinquendo videlicet illos in nostra potestate: Et quia Dei beneplacitum fuit, ut Homo in sempiternum viveret, indè facilè percipi potest, ipsi quoque propter Legitimam generis*

generis humani matrimonialem propagationem & augmentationem non displicere Hominis etiam in hoc mundo vitam diuturnam ac longævam, præcipuè in Timore & Servitio Creatoris transactam, semper tamen citra ultimum ac Fixum DIVINÆ *mortalibus incognitũ* PRÆDESTINATIONIS *Terminum vel punctum deputatum, primis parentibus & hæredibus impositum, propter Lapsum ab Originali Justitia, qui præteriri non potest. Quemadmodum Homo multis modis constitutum vitæ Terminum morbis circumventum non attingere, & sic vitæ spatium abbreuiare potest: eodem modo poterit impedimenta hæc removendo vitam prorogare, ut tandem Naturæ suæ constitutum vitæ Terminum attingat.* ALTERA *Causa est, quod Deus supra nominatã Medicinam, ad vitæ conservationẽ creavit, quæ possit corpus nostrũ tàm à corruptione parentũ quam à defectu proprii regiminis conservare, infirmum curare, & deperditum restaurare: imò omnes morbos naturalem mortem causantes à nobis abigere, donec veniat Terribilium omnium Terribilissimum ultimata mors (quæ est Mumiæ Interitus) ab altissimo Creatore Deo in peccatorum stipendium ordinata. Id eò Paracelsus dicit, mortem ex Iliadi resolutione, per industriam medici impediri posse, at illam quæ ex Ente minimè: Sicuti autem Ignis aliquis potest à nobis conservari adjectis lignis: ita quoq; vita nostra prolongari potest adhibitis Remediis & arcanis, ex fonte donorum* DEI *derivatis, quibus Radicalis Humidi & Innati Caloris debilitatio ceu Ignis Ligno alitur atq; fovetur: Hoc saltem in nobis desideratur, quod exortes sapientiæ ligna non cognoscamus, quibus vita nostra esset fovenda atq; prolonganda. Adam plenus scientiæ, perfectæq; cognitionis rerum omnium Naturalium aliiq; plures coætanei ejus, nostrâ lõge frugaliorem vitam viventes, tot sæcula attigerunt non Naturâ aut Proprietate Temporis, alioquin omnibus Longævitas contigisset, sed auxilio Arcanorum & Sapientiâ paucis revelatâ specialiq; à Deo hac in parte cognitione acceptâ, quâ produxerunt vitam in tot annos, ultra cõmunem vivendi statum. Multi sancti viri, ante Diluvium, Medicina universali usi sunt, quam Adam etiam habuit in sua Familia, teste Lactantio, quæ confortat Balsamum Internum & instar Ignis Homogenea congregat, & his contraria Heterogenea segregat. Negq; eorũ standum judiciis, qui mysteriorum Elementi Aquæ ignari, efficaciam crescentium atq; frugum eluisse Diluvium somniant, seu corpora humana viribus suis per Aquã spoliata esse: Nam omnia crescentia Aquæ beneficio germinantia adhuc in eodẽ sunt vigore, & eâ-*

Vide Par. de vita longa.

Vide Par. in lib. 8 Archid. de elixiriis. Est cõservatio corporis Humani abomni accidentali corruptioe.

Mors minister DEI expectat bella nostra intestina.

Mors duplex ex Iliado & Ente.

Anima perpetuitatis seu spiritus Lucis perpetuus cũ Luce Naturæ coniunctus, eiusmodi coniunctionem & vitam nõ sinit esse breuem.

dem efficaciâ, sicuti tempore Adami. Ideoque nihil amplius nobis deest, præter Arcanorum cognitionem, & usum illorum. Et ita non crescentibus sed nobis ea cognoscendi Sapientiam Diluvium elait. Hæc secretorum secretissima semper fuerunt occultata à vulgo Philosophantium, & maximè postquam Homines cœperunt abuti Sapientiâ, disponentes ad malum, quam Deus in salutem & utilitatem eorundem concesserat. At sicuti pauci Naturalem Terminum attingunt, ita quoque pauci rationem prolongandi vitam norunt: Et hujus rei sunt Causæ perplures. Nam abrumpitur vita bifariam, vel per MENTEM, unde Mentales morbi qui sunt invisibiles, & afficiunt nos in nostra Mente orti, ut sunt Incantatio, Imaginatio, Æstimatio, Influentia, Superstitio, quiomnes è spirituali affectione procedunt: Contra ejusmodi inflictus nulla corporalis custodia, aut tegumentum prodest, sed Fides resistens, vel alium medium Magicum requiritur in his fascinis amolendis, & licet cura sit difficilis, est tamen possibilis. Et hi morbi solis medicis Adeptis cogniti, citra medicinæ Naturalis adminiculum sanantur. Inest enim Hominum animis Virtus quædam delitescens, immutandi, attrahendi, ligandi, potissimum si maximo Imaginationis Mentis, Voluntatisque excessu, in id, quod vel attrahere, vel immutare, vel ligare, vel impedire cupiat: Hoc illis non videtur mirum, qui sciunt operationes Magnetis Naturæ Antipathici, spiritualiter ac invisibiliter fascinantis, vires mirificas. Ne autem spiritus noster, his quinque læsionibus supernaturalibus inflictis, suffocetur, neve vita penitus abrumpatur, tunc curâ supernaturali & præsidio magico, citra omnem Divini Nominis profanationem, horum Astra maligna avertuntur in aliud quid: Et sic qui ex Mente processerunt morbi, mentalem requirunt medicationem, de quibus plura apud Paracelsum in Philosophia Sagaci: Pietas est summa medela, custodia atque conservatio contra ejusmodi mala, sicuti DEI auxiliares manus in omnibus morbis sunt summum præservativum. Vel abbreviatur per ENTEM, ut per morbos Entales seu Corporales: Multi enim viventes ut edant voluptuosamque abundantiam Naturali necessitati paucis contentæ præponentes, crapula sibi abbreviant vitam, & reperiunt mortem in olla: Jejuniis sanitas conservatur, ac optimum Regimen ad prolongandam vitam est moderata Dieta. Et hæc cura Naturalium læsionum membrorum videlicet ex Entt è Naturalibus causis & mediis (Elementis scilicet & Arca-

Par. Hominibus in mundo se multiplicãtibus, sapientibus, sapientes reservata secum Sapientia manserunt in Centro, alios ipsa destitutos ablegarũt in circumferentiam.

MENS & ENS abrumpunt nobis vitam.

Non obstante quod dicatur actum Imaginationis esse immanẽtem, & Imaginationeunius, corpus alterius non posse alterari.

2. Reg. 4. Sir. 37. sect. 34. cap. 31 sect. 22 23. 24.

Arcanis) petenda. Nam quilibet morbi suam postulant propriam sanationem, respuunt alienam: Medicationes corporales non prosunt mentalibus seu supernaturalibus nec medicationes mentales utiles esse possunt corporalibus morbis. Hoc etiam non prætercundum, quod in utero matris sæpè corrumpamur, sæpe in partu & educatione impedimur, & multis variis accidentibus possumus detineri, quò minus ad vitæ Naturalem Terminum pertingamus, sicuti abundè in suis libris à Theophrasto notatum est. Sed ne instituti nostri immemores latius quàm Præfationis ratio admiserit, vagemur, hic scribendi vela complicabo. Quicquid ergo laboribus, vigiliis, studiis & peregrinationibus lucrifeci, quòd tàm Medicinam & Philosophiam illustrare, quàm Lumen GRATIÆ & NATURÆ manifestare possit (licet longè maiora sint divina mysteria, quàm ut Humanorum verborum splendore queant illustrari) quantum divina permisit Minerva, in hac prolixa & Admonitoria Præfatione opportunis inserui locis, & quoad licuit, quantumq; fas fuit, Doctrinæ Filiis & Sapientiæ heredibus (qui secundis meditationibus prudentioribus, lotis & Animæ & linguæ manibus, relegendo hæc sine ulla superfluitate aut diminutione in Dei Lumine in medium allata sæpius per reiterationis speculationes, enucleatè ac considerato iudicio percurrent) ex intimo & penitissimo Cordis Armario candidè communicavi: siquidem non satis est scire quod scias, sed ad publicam quoque utilitatem pertinet publico scripto, quod publicè interest, palam facere, non fastum aut inanem captando gloriam, sed iuvandi studio incitatus, ut posteritati consulatur, & summa Dei benignitas colatur, veneretur q́.: tum quod videam in scholis publicis maxima ex parte hodie potius eruditionis ostentandæ, quàm auditorum profectus gratia doceri: tum quod non cuilibet discendi & proficiendi cupido (sive lauta sive res angusta sit domi) ea contingat felicitas, quæ mihi peculiari Numinis beneficio accidit, quòd videlicet, in duabus laudatissimis & honoratissimis Familiis, ESNÆA in Gallia apud Bojos, & BAPPENHEIMIA Mareschallorum Imperii plusquam decennium magno studiorum meorum commodo liberaliter transegerim: Et dum generosam meæ fidei & diligentiæ commissam Prosapiam instituerem, factum est, ut variis medico cumprimis LIBRUM Naturæ (cuius quælibet regio folium est.) non manibus, sed pedibus fructuosè evolvere cupiẽti, utilissimis peregrinationibus (maximè dum cum illustri & ge-

Lege, perlege, relege ac reitera lectionem, nec tela boris, ut spero, pœnitebit. Propria utilitas Reipub. cõmodo proponenda.

Schola medica nõ tecta est lateribus, sed firmamẽto: ideo Codex Naturæ pedibus est evolvendus à perambulano ex Paracelsi mẽte medico.

neroso MAXIMILIANO *Mareschallo inf.lici tunc suæ sorte detenti parentis ipsius* CONRADI *Antiquæ Fidei & Virtutis nunc in Christo quiescentis Herois liberationem sollicito) cùm non promiscuè literatis optatissimus contigerit congressus, quorum aditum sine his adminiculis alioquin difficilem expertus essem. Accessit insuper & hoc præcipuum ac potissimum adjumentum, quod illustrissimus omniumq; literatorum observantia perpetua dignissimus & Heroicus Princeps* CHRISTIANUS ANHALTINUS, *&c. suo plusquam singulari in Musas secretiores favore & laudabili patrocinio, me ferendo & deponendo huic oneri planè imparem (videlicet in omnibus his præparandis, & Ignis beneficio examinandis medicamentis) sumtibus sublevarit necessariis. Quo egregio in totam Rempub. Spagyricam studio, promerito & exemplo (aliis magnatibus hoc loco à me ad imitationem proposito) Celsitudo ipsius illustrissima, iuxta beata sumptuum præmia non solum æternam Nominis Famam & gloriam meritò sibi ac iure conciliabit, verùm etiam ab exteris nationibus, omnium temporum posteritate immortalis memoriæ gratiam referet. Porrò quod ad ordinem & Dispositionem medicamentorum attinet, hanc mihi (dum suo quilibet fruitur sensu) progenii & ingenii mei modulo ac arbitrio ita placuit instituere: Cuilibet erit integrum suas adiungere ulteriores Experientias, sibiq; pro animi sui sententia ad suos privatos usus amplificatam disponere aliter: Et ita non dubitabo, hanc Chymicæ Segetis messem, frugumque mearum primitias, & hoc difficilis & laboriosæ diligentiæ Spagyricum munus, quo non puto me potuisse præstantius Patriæ & Reipubl. relinquere, pia doctrina præditis Canes & porcos ab omni virtute & gratia alienos, Scarabæos etiã in suis sterquiliniis relinquendos nõ moror futurum gratissimum, iisq; omnium maxime, qui cõsumpserunt suam iuventutem cum infinitis laboribus ad prosequendam Scientiam, quiq; intelligentiæ Lumine non orbati, in Vulcani schola Spagyrica & Hermetica enutriti, iam antè observatis medicorum consuetis canonibus, tàm de morborum causis, quàm de eorundem methodica curandi ratione instituenda, è probatis authoribus sufficienter edocti sunt. Non enim ad vitandam prolixitatem, hoc loco tractari potuerunt omnia: Scimus non paucas relictas esse dubitationes inexplicatas: nec mirum, Multa nescientes de multis dubitare necesse est: Et lege Philosophica cautum est, ut ipsis initiatis discipulis & investigationi Intelligentium, quædam sunt relinquenda occultata tædia: Ita enim probantur ingenia*

Nõ tam multa diximus, quin plura adhuc dicẽda reliquerimus.

ingenia, & idonea redduntur Philosophorum scholis. Qui potest capere capiat: Et qui non intelligit, aut discat aut os premat & taceat: Nihilominus Indagator solers Antiquæ Primæ & Sacræ Philosophiæ alumnus, qui in Timore Dei, pias inclinavit aures, & Rationem sepositæ Phantasiæ benè dispositam cum subtili ingenio & profundo intellectu habuerit, oculorum non vulgari acie deprehendet & conticiet, in hoc aperto Naturæ Foro (Omnipotente concedente) ex PAUCIS *significationem* MULTORUM: *Et qui Veritatis patiens, posito livore, cãdido animo ad hæc legenda accesserit, & diligenti ac considerato* MENTIS *iudicio affectibus non depravato omnia examinaverit penitius, fores & intima utriusque Luminis penetralia reserata, favente supremi Opificis virtute magnatandem fatebitur gratitudine, & ex omnibus probè intellectis* ORANDO & LABORANDO *fructus sua expectatione proferet longe uberiores. Si fortè qui sint obliquæ opinionis, Veritatis nescii & morosi palati Homines, qui temeraria sua ignorantia in ingenium nostrum ingrati beneficium pro iniuria reputant, & promerito hoc publico ad Dei gloriam ac proximi commodum promovendum Reipub cœnti syncerè de manu Dei communicato opus non habeant, illi suis superbis & temerariis censuris cum coraicula Aesopicæ, aut farraginum consarcinationis Exprobratione (quandoquidem è palea granum eruere, verum à falso secernere non minoris artis & felicitatis quam tadiosissimi laboris) indubitatæ Experientiæ sedulitates laboriosas, alienosq; sudores (iudicent hi, quibus in re simili sudatum est) iniustè non exagitent, neq; cum* Timone μισανθρώπῳ *torvum vidente animum amarulentum posteritati ratificent, aut crudelem suam ac detestandam inhumanitatem seu iniquissimum Veritatis assumptum odium insurgendo toti mundo publicẽt, nisi resipiscat loco è literatorum cœtu planè exclusi generis humani perduelles & publicæ salutis adversarii eliminandi iurè tam antè vocari velint: Illos etiam Veritatis studiosos, qui grataanter hos nostros labores, & fidelem diligentiam excipient, non deterreant: aut si possint dum ipsis hac vice suarum quoq; Observationum publicandarum porrigitur ansa fontes suos derivent foras, ac ne ipsis ficulneæ maledictio contingat, lucem accensam sub modio depromãt, & omissis otiosis logomachiis, scholasticisq; quæstionib ac disputationib inutilib. (versatili.n. & litigioso Philosopho Sceptico, cuius nõ veri inveniendi, sed altercandi propositũ, cuiq; vocis contentione quidvis probare ac defendere, & quidvis diluere proclive est) meo exẽplo incitati & provocati, prout*

Iis hæc scripta sunt, qui ingenio perspicaci & fœlici à Deo mentem illustratam & Animam sale sapientiæ cõditam possident.

Sufficiunt intelligẽti pauca.

Matt. 21. sect. 9.

Quis enim Medicinæ finem perscrutari potis est.

bonos ac synceros Reipubl. Medicæ & Spagyricæ cives decet (siquidem Medicina perfectionis Terminum nondum assecuta est, sed multa futuris sæculis manifestanda restant) propria sua experientia proferant his meliora & Lazaro egeno non VERBIS *syllogisticis aut Leviticis, sed* Opera *succurrant Samaritana. Hoc si fecerint, depositisq; maledicentis Ignaviæ signaturis ex Fucis inani clamore & strepitu saltem terribilibus in Apes transplantentur, & nobiscum deinceps grata concordia, pio amore mutuisq; officiis repudiata multitudine & fornicatione in unionem & mellificium conspirent Spagyricum, præstantiamq; Chymiæ adversus Calumniantium linguas* Reipsa *propugnent, & bonam hanc nostram operam suo ingenio doctrinaq; sine invidia & maledicentia ipso opere meliorem reddere nitantur: nullum planè erit dubium, quin iuxta alias arcanas adhuc in occulto delitescentes scientias, Antiqua illa, Vera & Philosophica Medicina, vetustate & iniuria temporis, nostri etiam corruptissimi sæculi indignitate (hominum peccatis haud dubiè ita concurrentibus) nondum planè manifestata, brevi faventibus superis nitori pristino ac deperdito splendori restituatur cum saluberrimo totius generis humani commodo & debito Spagyricorum Medicorum honore, quorum opera immensum illud Misericordiæ divinæ pelagus Instrumenti & Calami loco ad tam salutare negotium perficiendum uti voluerit. Id faxit illa sancta Triunitas, cuius Nomen ineffabile in sæculum sæculi sit benedictum,*

AMEN.

SANA-

SANATIONES omnium Morborum (ut hîc etiam convenientissimè significantibus P. SEVERINI verbis utar) sunt duplices.

UNIVERSALIS, quæ est ablatio Radicum seu Impuritatum morbidarum, vel ab ortu hæreditariove parẽtum semine, vel postea alimentorũ usu & culpâ, sive externarum Impressionum Injuriâ in Humanam Anatomiam insitarum: perficitur BALSAMO Naturali Remediorum Humanæ Naturæ consentaneo, resolvente, consumente & dissipante Impuritatum seminarias Tincturas: corroborante vero, consolidante & custodiente Innatum Balsamum (quandiu enim secundum Paracelsum Humidũ radicale manet in sua quantitate, non sentitur morbus) Et quia hîc Indicationum pluralitates, particularitates, ordines locum non habent, uno eodemq; Remedio absolvitur. Ideò non sine causa dicit Lullius posse hanc unicam suprẽmã & universalem medicinam, ad quam omnes medicinæ particulares reductæ sunt, corpori Humano administrari, sine Infirmitatis cognitione, quia sapiens Natura per suum instinctũ dedit ei Virtutes curandi omnes infirmitates naturales & rectificandi se ipsam. Quatuor summa Morborum genera exaltata & consummata, universali solummodo curationi subiiciuntur (Epilepsia videlicet, Podagra, Hydrops, Lepra) ad quorum familiam omnes reliqui Inferiores morbi tanquam ad fontes & principia deducuntur. Optanda quidem esset Universalis hæc Curatio, sed pauci

Una est communis omnium hominum Mumia Spiritus Vitæ: ergo & una potest esse Medicina, quia morbus in homine nihil aliud est, quam affectio quâ Mumia seu Spiritus Vitæ functio in homine impeditur: probatur Exemplis, videlicet solis, salis, panis, veneni, aëris, ignis, omnes homines indifferenter afficientibus. Horum si summus sanatur, sanantur inferiores.

pauci hoc divûm munere digni habentur. Raymundus Lullius ſedulò & fideliter Medicos ad perfectionem aſpirantes jubet quærere Univerſalem illam medicinam, quæ vna eſt ſanativa omnis Infirmitatis, & confortativa Spiritualiũ Virtutum, ſiquidem in ea tanquã in unum proprium ſubjectũ facta eſt omnium Operativarum Virtutum totius Medicinę (per tres Naturæ Familias alioquin particulariter & confusè diſtributarum) Naturæ curſu Realis & Univerſalis conjunctio, congregatio & colligatio: Et qui tale habet omnium morborum Antidotum in hoc mundo, DEI habet Donum, quia Theſaurus eſt perennis, incomparabilis & innumerabilis. Quæcunq; infirmitas hoc competenti adminiculo Naturali adminiſtrato non ſanatur (ſiquidem ex denegatione auxilii, Digitum Domini Naturæ animadvertere nõ obſcurè poterimus) tolerabilius tamen facit malum, donec Infirmum liberet ipſe Deus Omnipotens.

PARTICULARIS, in qua non ſemper Radices ipſæ, vel Seminales Tincturæ morborum tolluntur, ſed ſæpius fructus, ſymptomata, paroxyſmi, dolores mitigantur, prohibentur, ad exaltationes venire non permittuntur, excrementorum evacuationes inſtituuntur, & debilitatæ Naturæ corroborationes adjunguntur, Remediorum conſentaneis Spiritibus, qui morborum diverſoria ſoli ſciunt. Nihilominus hæc Particularis Curatio, nõ eſt contẽnenda: Sæpè enim in morbis graviſſimis Univerſalis officio fungitur, quia Deus è miſericordia ſua quædã Secreta Naturalia Univerſalia manifeſtavit, quæ in ſe continent Naturã totius Cœli, alia totius Aëris, quædam

» quædam totius Terrę, per quæ morbi facilè dignoſcuntur & » curantur: Specifica enim & appropriata Remedia facta Spi- » ritualia Univerſalem Curationem ſæpè æmulantur, Impuri- » tarum Radicibus conſumptis, & Balſami Virtute confirma- » ta. Utiq; beati eſſemus in defectu Univerſalis, ſi ſaltem Parti- » culares, ſubalternas, ſpecificas, individuas Curationum ſpe- » cies attingere liceret. Hactenus Severinus.

Viâ PARTICULARI Morbi materiales expelluntur PRIMÒ per univerſalia emunctoria, per quæ Natura Remediis adjuta materiam morbidam excernere & compeſcere conſvevit, ſequentibus viis ſeptem, ſcilicet

per VOMITIVA.
CATHARTICA.
DIURETICA.
DIAPHORETICA.
CONFORTANTIA.
ANODYNA.
ODORIFERA.

SECUNDÒ Morbi fugantur Via Particulari, per Remedia appropriata & ſpecifica, ſicuti eſt

- SEPTEM PRINCIPALIUM MEMBRORUM Corporis Humani.
- CAPITALE, ſcilicet EPILEPTICUM. APOPLECTICUM.
- OPHTHALMICUM.
- ODONTALGICUM.
- PECTORALE.

Specificum	CORDIALE.
	STOMACHICUM.
	UTERINUM.
	FEBRILE.
	PESTILENTIALE.
	PODAGRICUM.
	NEPHRITICUM.
	HYDROPICUM.
	DYSENTERICUM.
	VENEREUM.
	VENENATUM.
	VULNERARIUM, ulceroſum, puſtuloſum.

I.

UNIVERSALE DIGESTIVUM SEU MATURATIVUM.

IN morbis qui conſtant ex Impuritatibns mobilibus ſuperficiariis, qui non egerunt fixas radices, neq; ad difficiles coagulationes deſtinati, quod ex dolorum ſignaturis & ſymptomatum inconſtantibus & turgidis efferveſcentiis deprehenditur, quales ſunt Febres plurimę, Catharri, Tuſſes, Raucedines & ſimiles affectus, in illis non opus eſt Digeſtivo, tutò & ſubitò tolluntur Purgantium & Mundificantium ope. Impuritates verò Febriculoſæ & Inflammatoriæ, quæ Tincturas habent difficiliores, quoniã reſolutiones & Vaporum coagu-

coagulationes admittunt fixas: difficulter reſolubiles (tales in ſuſpectis partibus & conſentaneis mineris perpetuò recipiuntur) per CONCOCTIONEM Hippocratis, vel MITIGATIONEM Paracelſi, ſeu EPICRASIN Galeni, (æquipollentes videlicet indicationes curativas) tutiſſimè & convenienter curantur: non obtemperant enim facultatibus crudis Purgantium medicamentorum communium, quæ corporeis & crudis ſpiritibus agunt, quæ ſpirituum morboſorum efferveſcentias exaſperant: Poſteaquam verò ſpirituum fervores ceſſaverint, reſolutaq; materia, coagulationẽ conſentaneam acceperit, quia vinculis ſpirituum deſtituitur, faciles admittit Purgationes.

Præparatio ad levem eductionem ſine læſione Naturæ.

In morbis Chronicis, ut Epilepſiis, Quartanis, Colicis, Nephritide, Podagricis, & omnib. affectibus Tartareis, Hydrope & Leproſis affectibus Impuritates Radicales RESOLUTIONE non Concoctione propriè & primò curantur. Fruſtra enim Concoctionum ſigna in eis expectantur: Reſolutione cõfeſtim inſtituenda eſt cura, Conſumptione, Deſtructione, Ablatione: ſi Mitigatio confluxerit felicius propoſitum aſſequemur. Fructus vero, Paroxyſmi, & fructuum efferveſcentiæ in nonnullis ſpeciebus prædictorum morborum Concoctionum & Contemperationum Indicationes requirunt: Et ibi locum habet Hippocratis decretum aſſerentis Concocta ſolum medicanda niſi turgeant.

Aphor. 22. ſect. 1.

TARTARUS VITRIOLATUS.

℞ Salis Tartari albiſsimi, aliquot vicibus ſecundũ artem

Chymicam dissoluti, filtrati & coagulati cum aqua agrimoniæ, exempli gratia uncias quatuor, resolve in cella supra marmor, aut beneficio manicæ in oleum. Habito hoc oleo puro accipe olei Vitrioli optimè rectificati uncias duas, illudq; guttatim supra Tartari oleum in vitro capaci instilla: tunc fiet coagulum albissimum, humiditas supernatanse vocetur lento calore ad siccitatem Salis, ita habetur Tartarum album Vitriolatum fixum.

Si olei Vitrioli nimis parva quantitas affundatur, facit saltē vomitum.

Observationes.

I. Servetur modus in affundendo vitrioli oleo ne sapor Salis repercussi sit nimium acidus, sed quasi nauseabundus: si enim nimium de oleo Vitrioli affundatur, tunc non purgat, alioquin per quatuor emunctoria, vomitum, secessum (si purgantibus immisceatur) item per urinam & sudorem operatur.

II. Si possit fieri per infundibulum angustissimi orificii, ita ut certo artificio olei Vitrioli guttæ paulatim saltem & successivè stillent in oleum Tartari, consultius erit, nam sic boni spiritus, qui ex mutuâ subitæ mixtionis effervescentiâ se vaporando elevant & evanescunt, retinebuntur.

III. Vitrum supra modum incalescit ex conjunctione duorum illorum Ignium. In hâc mutuâ effervescentiâ observetur Epilepsiæ generatio, quando videlicet Spiritus Vitæ in Microcosmo à Heterogeneis concitatus, simili modo ebullit.

IV. Qui ad duas partes olei Tartari unam partem Salis vel

vel liquoris Corallorum velit addere, antequam oleum Vitrioli guttatim affundat, ei integrum esto.

DIGESTIVUM ex illo Tartaro Vitriolato parari potest, quod necessitate exigente purgantibus medicamentis præmittendum est, in hunc modum:

℞ Tartari Vitriolati unciam j. solve in duabus vini mensuris, addatur ad libitum aqua decoctionis Passularum & Cinamomi.

De hac mixtura exhibeto duos vel tres dies ubi opus est, manè post sumptum sorbile ovum haustum unum, ad prandium alterum, tertium circa vesperam. Postea exhibeatur Cathar.icum è Panchymagogo. In omnibus febribus & quartâ mirandam præstat, resolvit enim Tartarū in corpore humano efficacissimè.

Vires Tartari Vitriolati.

1. In Hæmicraniâ, morbo regio, & omnium viscerum obstructionibus, in liquore idoneo, seu vino albo exhibetur ægrotantibus per aliquot dies in aurora, & si opus fuerit, dosis augeatur.

2. In Calculo exhibetur in Aqua Petroselini vel Parietariæ, vel vino albo.

3. Efficacissimum Renum de oppilativum & detersivum, si scrup. semis cum Julepi Rosacei unciis duabus, & aquæ Cinamomi uncia semis misceatur & exhibeatur.

4. In Contracturis & venarum obstructionibus è Tarro ortum habentibus utere per vicem sex vel octo granis in aquâ decoctionis uvarum Passularum & Cinamomi.

5. Sudorem provocat in aqua Cardui benedicti vel vino albo.

6. In Hydrope ut crassi & serosi humores expurgentur.

℞ Scrupulum unum & misce cum uncia semis mellis Rosati solutivi, vini Enulati unciis duabus, & exhibe.

7. In Mensium suppressionibus.

℞ Scrupulum j. & exhibe in syrupo Artemisiæ vel Betonicæ, vel misce cum melle Rosato in aqua Pulegii soluto.

8. Utiliter etiam in febribus exhibetur.

9. Purgat per inferiora, & omnes obstructiones tollit, si misceatur Cathartico, vel offeratur in syrupo Rosarum vel Violarum solutivo, vel melle Rosato solutivo.

10. In Melancholiâ & Splenis duritie, in aquis appropriatis offertur.

Dos à scrupulo semis ad integrum.

In Hydromelite propter saporis emendationem commodissimè offertur.

II.

VOMITIVUM.

IN quo ciendo, Antimoniales, Vitriolatæ & Helleborinæ facultates vigent, quæ nil pravi in ventriculo relinquunt, sed

sed omnem impuritatem radicitus evellunt.

Hellebori Vomitivum reperitur apud Conradinum expertissimum medicum in libello de febri Ungarica: Hoc loco de Vitriolo agemus: Antimonii præparationes sequentur paulò post.

GILLA THEOPHRASTI SEU SAL VITRIOLI.

Crystalli Vitrioli, è Venere seu Marte præparati (ut paulò post dicetur in Specifico stomachico) resolvantur in phlegmate acido, quod primò egreditur è destillatione Vitrioli vulgaris, & simul per octo dies circulentur. De hoc circulato liquore detur à scrupulo j. ad drachmam semis, seu scrupulos duos.

Longè efficacius & commodius operabitur hic liquor, quàm Sal è capite morruo vulgaris Vitrioli, seu Albi Goslarienſis quomodo extractum.

VITRIOLUM ALBUM VOMITIVUM.

Vel solve Vitriolum album in aqua pluviali & evapora, donec quasi crusta appareat, postea per quatuor dies in loco frigido ponas, & concrescent Crystalli, quos eximes, & aquã iterum evaporabis ut antea: Hic labor penitus tertiò reiteretur coagulando & dissolvendo; ultimò ter eodẽ modo procedatur cum aqua Rosarum. Crystalli tandem supra calorem levem siccentur, & spontè redigentur in pulverem album.

bum. Hoc lene est Vomitivum, & cerebrum benignè expurgat.

Usus & Dosis Gillæ & Salis Vitrioli.

Gillæ si scrupulus unus è vino bibatur, è vestigio Vomitum movet, quo ventriculus tum onere levatur, tum robur acquirit, nec quicquam inferunt nocumenti.

In Febribus
Lumbricis
Omnis generis infirmitatibus ventriculi
Defluxionibus salsis.
Synovia: Hîc drachma una in cerevisiæ haustu exhibetur.
Peste
Doloribus Dorsi, drachma semis in vino calido.

Vulnerum recentium curam promovet, si quaternis auroris continuis drachma semis in cerevisia calida assumatur.

Dosis utriusq; à scrupulo ad duos, habita ratione complexionis & sexus.

Sal potest misceri cum saccharo Candi, demum in aqua Fœniculi dissolutum calidè exhiberi.

Offertur etiam in jure carnium, haustu cerevisiæ vel vini, in aqua cum melle mixta, vel in Conserva Rosarum.

Puerulis contra Lumbricos, quatuor, quinq;, octo grana in cochleari vini Malvatici exhibentur.

Ope-

Operatur hoc medicamentum variè, per vomitum sedes, interdum etiam sudores & somnum facit.

III.

CATHARTICUM, RESOLUTIVUM, MUNDIFICATIVUM, ABLVENS.

Pollet Scammoneatis & Colocynthiacis viribus.

Observationes.

1. Omne laxativum constet tribus Energiis, secundum Paracelsum, ut laxet, Naturam ab Evacuatione fessam & debilitatam confortet & mitiget.

2. Purgationes, quæ symptomata venenatarum proprietatum etiamnum relictarum testimonia & virium dejectionem adducunt, sunt perpetuò fugiendæ.

3. In verâ Purgandi ratione (in quâ non dejectionum numero, vel copia, facultatum potestatem & præstantiam æstimamus, sed ubi morborum Radices, Impuritatesq; ablatas ex symptomatum remissione, & virium restitutione animadvertimus) officium tunc absolvisse Remedia judicamus, sive absoluta consumptione, sive sensibili excretione Impuritates tollant, sive urinas, sive sudores, sive dejectiones moveant.

4. Cathartica, non qualitatis vi, hoc est, caliditatis, frigi-

ditatis, humiditatis, siccitatis ratione operantur, sed occultâ proprietate, formaque specificâ, videlicet totius substantiæ proprietate, quæ caloris impulsu, ac cœlesti vi incitante, humorem sibi familiarem & affinem ad excretionem expellit.

5. In morbis Chronicis, Criticis, & Longis non purgationibus sed Arcanis utendum, non enim sanantur sine Spagyricis gradibus.

6. Si in morbis Chronicis Purgationes instituantur, debent fieri tardè, paulatim, & cum tempore.

7. Quamvis fortibus & violentis medicamentis non temerè utendum esse, nec corpus inconsultè movendum præcipiat Plato in Timæo, & longè ante eum Hippocrates, qui Democritum amicum & familiarem Helleboro & similibus curare noluit, affirmans nullum esse medicamentum solutivum, quod non deprædetur aliquam partem de viribus & substantiâ nostri corporis: hancq; ob causam Avicena rectè dicat Medicinas etiamsi non sint venenosæ, eas tamen bibere Naturæ laboriosum esse: attamen morborum fixæ Radices Purgationes Antimoniales, Vitriolatas & Mercuriales requirunt, à quibus merito abstinere possemus nisi melior eaq; innocua præparandi via innotuisset, & hujus sæculi medicorum Nutrix Intemperantia, spretâ avorum frugalitate, ad eorum usum nos etiam invitos adigeret.

Hinc fortè Agrippa asserit nullum proconservanda vitæ sanitatisq; utilius consilium esse quàm abstinere à medicis indoctis: nullam ad sanitatem & senectutem viam certiorem quam medicis inexpertus caruisse.

TURPETUM MINERALE.

Quia inter varia præstantissima, quæ hoc loco trademus Pur-

Purgantia, primò in Mercurium incidimus, quâvis ejus impuritates profundius admixtæ sunt, attamen ingeniosa adaptione possunt tolli.

Philosophi Hermetici hunc Mercurium vulgi non nisi pro famulo & servo fugitivo quodam habuerunt hactenus: neque arbitrandum illos in suis scriptis Philosophicis quemlibet accipere, & sine ullo discrimine propinare voluisse Mercurium. Vera illa Philosophica & nobilissima Lympha haud sese multis offert, & non nisi Philosophis ancillari libuit. Hanc licet venantur plurimi, repererunt tamen pauci: In Philosophia Cabalistica per Virginem Mariam, sicuti Salvator noster per Fermentum medicinæ denotatur, quia affirmant illam Ante, In, & Post partum semper manere Virginem: Sed ad institutum medicum.

Aquahæc Sapientiæ paucis innotescit.

Vulgaris hic Mercurius certa præparatione, dosi & mixtura divinum evadit Pharmacum, & in plurimis morbis longè efficacius operatur, modo eadem illi adhibeatur fides, quàm decantata illa superiorum temporum Panacæa, è pulvere cinnabaris nativi tenuissimè triti, admixto croco & conchis confecta, in cujus examine minimo adhibito igne Mercurium adhuc crudum per fumum ascendere, & nummum aureum dealbare olim multoties deprehendi.

Ad præparandum Mercurium, varie rationes fuerunt à Chymiatris excogitatæ: quorum aliqui (nec malè) per spiri-

tum Salis nitri aliquoties cohobando, nonnulli per ſpiritum Salis communis, Aquas Fortes, oleum Vitrioli, alii per ſe aut cum ſilicibus longitudine temporis perficere conati ſunt.

Via præcipitandi Mercurium commodior & ſecurior vix dabitur quam ſequens MERCURIUS PRÆCIPITATUS.

℞ Mercurii benè purificati libram ſemis, cui affundatur lib. j. olei Sulphuris per campanam facti & rectificati (Hoc enim oleum præ omnibus aliis corroſivis eum optimè, & oleo Vitrioli longè potentius præcipitat, & coagulat, ita ut majorem etiam patiatur ignitionem) compoſitum per duos dies in arena digeratur, poſtea per retortam vitream luto munitam paulatim deſtilla, liquorem egreſſum iterum affunde, & hoc tertiò reitera. Quarta vice poteſt adhuc ſemel aliquid de recenti Sulphuris oleo affundi, & circa finem aucto Igne inter deſtillandum ita abſtrahi, ut retorta candeſcat, ſic in ipſa deſtillatione præcipitatur Mercurius in maſſam albam: Poſtea facta retorta exime illam, ac ſupra marmor tere, & aqua calida pluviali deſtillata ſalſedinem diligenter abl[u]e in vitro oris ampli: agitetur probè, & per horas quatuor ſemper aqua prius ſubſideat, antequam effundatur; edulcorationem toties reiterabis, quouſque nullam ſalſedinem in affuſa aqua amplius deprehendes, & Mercurium remanentem videas verſum in pulverem flaviſſimum, quem poſtea prius exiccatum phialæ oblongo collo bombyce claudendæ impone, & in ignem arenæ ve-

næ vehementiſſimum per octo dies d gerendum collocabis, ſi fortè adhuc aliquid de Mercurio non ſatis præcipitato mixtum eſſet, illud ſponte ſublimabit ſe in vitri collũ, quod poſtea ferreo circulo candente franges, & ſuperiorẽ partem, in qua crudus Mercurius affixus hæret, cautè & leniter auferes, maſſam verò in fundo reſtantem eximas, & ter Spiritum vini deſuper incendas, & poſtea ad ſuos uſus reponas: Ita ſecurè datur intra corpus.

Præcipitavi aliquando amalgamata Auri & Argenti ſeorſim, per duos annos, & quamvis pulverem rubicundum nanciſcerer, tamen nondum erat debitè fixus, nec in uſum medicum commodè adhiberi poterat, ſine ulteriori præparatione.

Qui volet ejuſmodi præcipitatum per amalgamationes intra tres vel quatuor menſes bono igne adhibito conficere, videbat pulchras cupreſſi inſtar in ipſo vitro excreſcẽtias, & ſæpius maſſam eximendo ac terẽdo habebit ignis violentia materiam terream, poſtea per oleum Sulphuris, ut jam dictum, in pulverem flavum præcipitandam & figendam.

Obſervationes.

1. Signum veri præcipitati eſt, ſi cum auro fortiter teratur, nec aurum inde dealbetur, ſicuti ex contractu Mercurii fieri conſuevit.

2. Non eſt neceſſe ut ſit omninò fixus, ea enim ratione amitteret vim ſuam purgandi.

3. Nullus eſt præcipitatus, qui non poſſit reduci, ſi fixus

planè esset, non posset in corpus humanum operari, ratione cruditatis suas operationes perficit.

Vires.

Mercurius est Balsamum Naturę, in quo est virtus Incarnativa, quæ mirabiliter renovat, & clarificat ab omnibus Impuritatibus corpus microcosmicum Lue Venerea infectum ubi enim tota massa sanguinea in universo venarum ambitu corrupta est, & referta multorum morborũ seminariis, tunc hæc metallica vi ignis attenuata eam penetrandi vim acquirunt, ut habitum totius corporis permeent.

1. Remedium est contra infirmitates causatas ex humorum putredine, & in morbis deploratis vix experimur aliquid præsentius.

2. Educit omnes vitiosos humores, & cerebri defluxiones.

3. Purificat sanguinem in venis, & medullam in ossibus.

4. In Hydrope est Remedium appropriatum, habet enim vim expellendi.

5. In Podagra exhibetur cum Pilulis Ruffi & oleo mellis.

6. In Pleurisi cum specifico vehiculo.

7. Contra venena & scabiem.

8. In omnibus febribus continuis & intermittentibus addendo semper quatuor vel quinq; guttas olei Vitrioli cum Pilulis Ruffi.

9. Catholicon est in expurganda Lue Venerea, hujus enim horrẽdæ Luis solus ῥιζοτόμος dici meretur: radicitus enim tollit

tollit omnia ulcera Venerea, & similes fluxiones reiteratâ Dosi.

10. In Ictero nil præstantius.

11. Datur etiam in Peste, cum Pilulis pestilentialibus Ruffi.

12. In ulceribus malignis & fœtidis expurgandis commiscetur unguentis.

Paracelsus in Luis curatione exhibuit cum electuario de succo Rosarum, & Phædro cum spiritu Tartari successu felicissimo pustulas Venereas expulit.

Huserus p.m. affirmavit mihi se ex ejus frequentissimâ exhibitione, nullam vnquam deprehendisse noxam, nisi quod interdũ propter biliosas vomitiones, ægrotantes de dolore, aliquando etiam de ardore quodam gutturis ac oris conquesti sint, qui statim adhibito levi gargarismo vel usu Terrę sigillatæ, si ardor in gutture fuit, sopiebatur.

Dosis & Usus.

A gr. 3. 4. 5. ad 6. in corporibus præsertim robustis.

Offertur cum Pilulis appropriatis.

In doloribus capitis cum Pilulis Cocchiis.

In doloribus brachiorum cum Pilul. de Hermodactyl.

Vel miscetur Extractis purgantibus.

In succo Liquiritię melius operatur quàm in Theriaca: offertur etiam in Conserva Rosarum aut in saccharo Rosaceo, vel deglutiatur in pane hostiario, superbibendo tantillum vini.

AR-

ARCANUM CORALLINUM PARACELSI, seu MERCURIUS SUBLIMATUS *rubeus, non corrosivus.*

℞ Mercurii lib. j. purgetur per lixivium è calce viva & cineribus clavellatis sexies, vel septies, postea cum sale & aceto tamdiu lavetur, donec in colorem cœlestem abierit, & sic erit paratus ad sublimationem.

℞ Istius purgati libram j. Salis Petræ (quod tamen diligenter purificatum & separatum sit ab omni Sale vulgari, alioquin sublimatus pulvis fieret supra modum corrosivus: Examen ritè separati Salis potest fieri in hunc modum, si Sal Petræ supra laminam ignitam totus incensus avolet, nullo Salis vestigio remanente) & Vitrioli ad rubedinem calcinati ana lib. ij. pulverisentur omnia & misceantur, irrorentur saltem aceto destillato acerrimo, & cum pistillo ligneo benè simul incorporentur, donec mortificat⁹ videatur Mercurius: Massam postea totam impone lutatæ Cucurbitæ mediocris capacitatis, verùm parietibus Cucurbitæ non maculatis aut prius probè absterſis destillatio in arena instituatur, per noctem adhibeatur ignis, ut phlegma aceti egrediatur, postea successivè augendo & continuando ignem ad 24. horas sublimatio continuetur: in capitellum subnigro colore ascendet Mercurius vivus, in medio alembici pulvis erit flavi coloris, paulo supra materiam rubicundi: Effracto vitro collige sublimatum pulverem omnem, scilicet tàm rubeum quam flavum, & accipe libram j. Salis Petræ & Aluminis calcinati tantundem (calcinatio Aluminis in tigillo fiat modo vulgari, non ita vehementi igni, ne spiritus evanescant,) terantur omnia & impastentur ut antea saltē humectando cum prioris destillati aceti phlegmate, sublima denuò in novo alembico ut prius: In continuo igne spatio 12. horarū absolvitur operatio, & pulvis ascendit, infra rubicūdissimo colore, paulo supra flavo, & in capitello nigricante: Postquam omnia refrixerunt, vitro rupto singula cautè eximantur: quod rubrum est, ac inferiori loco parietibus vitri adhæsit supra caput mortuum, purum est & maturū, hoc seorsim colligatur, & edulcoretur aquis Cordialibus, ultimò incendendo desuper aliquoties Spiritum vini: Flavum seorsim collectum potest etiam in tigillo mediocri saltem igne calcinari ut rubescat, & postea dicto modo edulcorari: Fæces nigræ in capitello cum capite mortuo in fundo abiiciantur.

Magnum Paracelsi secretum & inventum.

Huserus prætulit hunc Sublimatum Turpeto, illoque in multis desperatis morbis felicissimè usus est.

Usus & Dosis.

In Hydrope.

Morbo Gallico.

Podagra.

Dosis à tribus granis ad quinque, in Theriaca, succo Rosarum, Pilulis Catholicis.

Insuper sunt duo secretissimi modi tractandi Mercurium p o medicina corporis.

In primo modo Mercurius ſine ulla additione certis inſtrumẽtis per ſe redigitur in Cinnabarim rubicundiſſimam.

In ſecundo modo mortificantur corroſivi ſpiritus Vitrioli & Salis in Mercurio ſublimato, è quo miro & ſimplici artificio homogeneo fit pulvis Cryſtallinus planè inſipidus: Unum è præſtantiſſimis Catharticis, per ſe vel cum aliis Catapotiis in uſu medico radicaliter omnia noxia è corpore humano pellens. Hoc illis non videbitur mirum, qui ſciunt Mercurium eſſe Balſamum Naturæ, in quo eſt virtus Incarnativa & Regenerativa, mirabiliter renovans & clarificans ab omnibus Impuritatibus.

FLORES BUTYRI ANTIMONII.

℞ Antimonii Ungarici, Mercurii ſublimati ana lib. j. terantur ac miſceantur diligenter, & in retorta vitrea luto obducta in arena mediocri igni deſtillentur, tunc liquor inſtar Butyri ſeu glaciei egreditur, ſi concreſcit in collo retortæ, ut ſæpè fieri ſolet, tunc admota pruna forcipe comprehenſa liqueſcat, ne obſtructione impediatur deſtillatio.

Hunc liquorem vulgò vocant Mercurium Vitæ, cum tamen ſit ſummè corroſivus: Et fuerunt quidam ita temerarii, qui cum illo impunè luſerunt de corio humano.

Si aqua calida illi affundatur, tunc Salia corroſiva reſolvuntur, & flores albi petunt fundum, qui diligentiſſimè ab omni ſalſedine multoties aqua calida edulcorandi: Ille pulvis

vis ſiccus ſervetur ad uſum medicum, & in complexionibus fortibus exhibetur majori cum ſucceſſu intra corpus, quàm vulgares Antimonii flores albi per ſublimationẽ præparati.

Qui Butyrum illud Antimoniale prius volet rectificare, antequam aquam affundat, ei liberum eſto: Ita enim habebit flores candidiores. Num in Chymia aliquid præſtare poſſit hoc oleum, judicent ij, qui illud cum auro radicaliter ſoluto fermentare, & per totam Philoſophicam, ſecundum artem requiſitam deducere norunt.

Uſus & Vires.

In Peſte.
Capitis morbis.
Febribus, ſi fortè moveant vomitum, non formidari debet.
Lue Venerea.
Lepra.
Hydrope, ubi plerunq; ſine vomitu per inferiora ſuas operationes perficit.
Ulceribus malignis.

Doſis.

Duo, tria vel quatuor grana cum Panchymagogo, vel Conſerva Roſarum, Violarum, Vitello ovi, ſyrupo Cidoniorum.

Obſerva diligenter, ut ſemper poſt omnem purgantis Antimonii exhibitionem te in lecto cõtineas, & paulo poſt ſumptionem jus ſorbile ſumas, ita minori moleſtia evomes,

quam si ventriculum habeas vacuum. Reiteretur haustus jusculi aut Cereviſiæ calidæ, bis, ter, quater, si opus.

FLORES ANTIMONII CORRECTI.

Primo habeantur flores Antimonii albi vulgari Chymicorum more præparati, ſublimatione ſcilicet, mediantibus ollis artificiosè ſibi mutuo incumbentibus: Vel ſumantur illi qui beneficio retortæ parantur, dum pulveriſatũ Antimonium arenæ puræ admixtum ſin: omni capite mortuo ignis violentia in flores redigitur.

Poſtea ℞ Salis Tartari frequenti ſolutione & coagulatione ſummè depurati quantum vis, & affunde tantum de aceto deſtillato quantum pro ſolutione Salis ſufficit, abſtrahe acetum lento igne in Balneo, vel fac ut evaporet, affunde viciſſim acetum deſtillatum, ut dictum, & abſtrahe eodẽ modo reiterando laborem, donec acetum ejuſdem ſaporis deſtillando egrediatur, quod octava vel nona imbibitione & deſtillatione fiet. Hujus igitur Salis aceti ſpiritu imprægnati & exiccati accipe exempli gratiâ unciam j. & ſemis, Florum Antimonii alborum unciam unam, miſce & in cruciculo ad ignem liqueſcant, maſſam liquefactam ferè inſtar ſanguinis rubeam effunde ſupra marmor, ubi refrixit erit coloris cineritii: Poſtea tere materiam, & affunde illi in vitro ſequentem aquam Vitæ aromatiſatam.

℞ Galangæ
Galliæ Moſchatæ
Caryo-

Caryophyllorum
Cinamomi
Maceris ana unciam ſemis.
Croci drachmas tres.

Terantur mediocriter, & effundatur Alcohol vini, in lento cinerum calore Tincturam extrahe, poſtea per declinationem aufer tinctum Spiritum vini, & affunde recentem, donec amplius non tingatur: demum omnem Spiritum vini tinctum & aromatiſatum affunde Tartaro & Antimonio ſimul ut dictum eſt liquefacto, addendo Salis Perlarum & Corallorum ana drachmas duas: Omnia vitro clauſo digerantur in calore cinerum per duos dies: Poſtea adoptato capitello deſtilletur lento igne Spiritus vini, & remanebit in fundo Tinctura Aromatum cum pulvere Antimonii & Tartari, abſtrahantur omnia ad ſiccitatem, color erit inſtar Caryophillorum: Ita habebis Antimonium optimè præparatum. Servetur in vitro clauſo pulvis, quia in aëre reſolvitur: Sine ulla formidine tutò intra corpus exhiberi poteſt.

Uſus, Vires, & Doſis.

Mirabilia operantur hi Flores.

In Peſte.
Febribus acutis.
Mania.
Philtro.
Dementiis.
Faſcinationibus.

Morbis omnibus in universum opitulantur, quos atra bilis excitat.

Epilepsiis & aliis plurimis morbis succurrunt.

Per alvum, per superiora, per poros, per insensibilem trãspirationem noxia copiosè expurgant.

Dosis à gr. 7. ad 8. & 10. præsertim in robustioribus.

ELECTUARIUM ANTIMONII.

℞. Virum Antimonii fusum Sole & Luna in Aquario seu Piscibus existentibus: teratur subtiliter aliquoties affundendo acetum destillatum, & iterum exiccando in cineribus: Sic habebis massam albam, quam in pulverem teres,

Hujus pulveris sume uncias duas.

Theriacæ Andromachi tantundem.
Nucis muscatæ drachmas duas.
Masticis tantundem.
Corticum Arantiorum.
Corallorum rub. præparatorum ana drachmas duas.
Caryophyllorum.
Sem. Fœniculi.
Coriandri præparati ana uncias duas.

Pulverisentur optimè & commisceantnr, fiatq; cum myva Cidoniorum q. s. est massa, de qua formentur pilulæ in forma pisorum.

Vi-

Vires.

Mirabiliter operantur.

In Peste.
Quartana.
Hydrope.
Longis & obfirmatis morbis.
Diuturnis putridis febribus.
Cachexia.
Melancholia.
Insania.
Delirio.
Venenorum haustorum symptomatibus.

Dosis.

Debiliori datur pilula una.
Fortiori duæ, habita ratione ægrotantis virium.

Cautiones in exhibitione Antinomii & Turpeti.

1. In exhibitione horum duorum Catharticorum cavendum, ne sint cõstipationes, dolores Colici, aut unum membrorum principalium læsum, pulmonem puta, jecur, alioquin à gravi vomitu & commotione periculum.

2. Quibus Antimonium offertur, iis nec ante ejus assumptionem, nec post vena est incidenda.

3. Ubi

Ubi ſeſe vomitus movet, ſolet exhiberi offa aut jus Piſorum leviter coctorum, vel gallinarum non pingue, aut calidæ Cereviſiæ hauſtus, reiterando ſi opus aliquoties, ut quis facilius vomat, & medicamenti acceleretur actio.

4. Offerantur ſemper duabus vel tribus horis ante & poſt paſtum.

5. Picrocholis & iis qui difficulter vomunt, ac qui viribus imbecillibus ſunt præditi, non temerè offerri debet, ne ſtomachus ex ejus uſu gravius vellicetur, diſtendaturq;, & vires ægri in totum deiiciantur.

6. Iis rectè datur, qui ad vomitum ſunt proclives, ſtomachum fortem habent, thoracem amplum & latum, quique vomere aliâs ſunt aſſueti, & quibus humorum materia ſurſum fertur.

7. Si morbus occurrit contumax, hic maturandus cum uſu Turpeti per duos dies, poſtea Antimonium exhibeatur.

8. In peſte ſi offeratur Antimonium, obſervandum, ut una opera ſupra bubonem maturativum Attractivum, ſupra Anthracem Attractivum ponatur, alioquin inſtar ſcyrri indureſcit, & ad aliquot menſes durities illa non remittit.

Ad compeſcendum Vomitum nimium in hypercatharſi.

Offertur Theriaca recens vel Rob in Cidoniis: Emplaſtrum de cruſta panis ventriculo imponitur: Et plantis pedum panis toſtus aceto madefactus.

Si ſum-

Si ſummus adſit dolor capitis.

Apponitur capiti & fronti linteum madefactum aqua Lactucæ & Roſarum cum aceto & oleo Roſarum.

PANCHYMAGOGON.

Inter omnia medicamenta Cathartica, licet nec labori nec ſumptui pepercerim, nullum tamen multiplici experimẽto facto potui adhuc inveſtigare, quod minori moleſtia aſſumptum operationes deſideratas felicius exequeretur quam Panchymagogon.

Si Antimonium, quod apud vulgus propter vomitionum vehementiam infame & abominabile evaſit, ita præparari poſſet, vt ſaltem per inferiora ſuam obiret functionem ſine illa vulgari vehementiâ, quæ tamen in aſſignatis meis præparationibus antecedentibus ipſi maxima ex parte adempta eſt, vix daretur in rerum natura Catharticum jucundius: Sed præparationem ejuſmodi ſæpiſſimè attentatam, nondum licuit Pyrotechnię beneficio impetrare, multò minus illam apud ullum Chymicum videre, quamvis oſtentationis gratia multi de illa, ut & de Auro potabili falſo glorientur.

℞ Specierum Diarrhod. Abbat.
Diambræ ana unciam unam.

Ex his Tinctura in digeſtione per quatuordecim dies, ut decet, quotidiè aliquoties movendo, per Spiritum vini extrahitur & ſeorſim cuſtoditur.

S Dein-

Deinde ℞ Pulpæ Colocynt. drachmas septem.
Turpeti gummosi drachmas quinq;.
Agarici optimi unciam unam.
Rad. Hellebori nigri veri unciam unam.
Scammonii selecti drachmas sex.
Foliorum Senæ uncias quatuor.
Rhab. selecti drachmas tres.
Elaterii drachmas duas.
Seminis Ebuli triti uncias tres.
Hermodactyl. drachmas tres.

Incidenda incidantur, & terenda terantur, ac Spiritus vini specierum tinctus, his purgantibus medicamentis superfundatur, sicq; in lẽto B. M. calore per dies octo vel quatuordecim macerentur (cave ne Spiritus vini vitrũ rumpat) Tinctum postea Spiritum aufer per inclinationem, & recentem affunde, tamdiu, donec omnis Tinctura & vis purgatrix extracta sit: ultimò Spiritum vini Tinctum simul mixtum abstrahe in lento Balnei calore, donec crassamentũ instar mellis in fundo relinquatur: circa finem adde olei Cinamomi, Caryophyllorum, Nucistę ana guttas decem, Salis Perlarum & Corallorum ana drachmas duas. Salem è fæcibus calcinatis arte extractum cum rasuræ Cranei lotone uno majoris efficaciæ ergò admiscere poteris, Non datur melius Catharticum, quod minori molestia purget.

Usus & Dosis.

Ex hac compositione sumitur à scrupulo uno ad duos ex vino

vino Malvatico vel alio generoso, è jusculo vel aliis Catapotiis aggregativis admixtis.

Sunt qui in usu aliquot guttas olei Vitrioli addere solent.

In pulvere Liquiritiæ sine molestia omnes noxios humores purgat.

Possunt inde efformari pilulæ, & per se deglutiri, vel quod optimum dissolvatur in haustu vini Malvatici.

ALIA DESCRIPTIO.

℞ Pulpæ Colocynth. drachmas sex.
Agarici.
Scam. select. ana unciam semisj
Hellebori nigri.
Specierum Diarrhod. Abb.
Aloës succo citrini ana unciam j.

Extrahatur ex omnibus per Spiritum vini Essentia, à qua postea in Balneo Spiritus vini separandus. Et quia in Extractione Purgantium sæpè solet vis purgatrix debilitari, ideò quidam solent ad unam partem Extractorum addere crudorum Purgantium partem alteram: adde ergò superioribus, antequam Extractum in fundo remanens planè inspissetur,

Trochiscorum Alhandal. drachmas sex.
Diacryd. præparati.
Agarici Trochiscati ana unciam semis.
Aloës Epatici unciam unam.

Omnia sunt pulverisata, & redigantur in massam justæ consistentiæ.

Dosis à gr. 10. ad 15. & 20. in forma pilulari.

SCAMMONII VERA PRÆPARATIO.

℞ Scammonii selecti non adulterati libram semis, teratur & cribretur, postea affundatur parum succi Rosarum pallidarum, vel quod melius sylvestrium, expressi & colati (addita una atque altera guttula spiritus Vitrioli. in frigido servatur ille succus ad usum, ne acescat) ac in Sole seu retrò fornacem exiccatio instituatur. Hæc inhibitio & exiccatio vigesies seu trigesies renovetur, sic enim lenta, viscosa ac tenax malignitas Scammonii dissipatur, quæ alioquin adhæsione sua in ventriculi tunicis tormina & cruciatus excitare consuevit. Qui volet, poterit priori succo ad libitum succi Cidoniorum expressi & depurati dimidiam partem adjungere: sic efficacius & minori molestia purgabit: Et cum hoc Scammonio præparato poteris omnium Cathartico-rum vim purgantem excitare & acuere.

Usus.

In multis morbis Evacuatione egentibus.

Dosis.

Grana quinque: Robustiori à gr. 12. ad 15. & 20. offerri possunt.

Formentur inde pilulæ, vel in pulverē post exiccationem teritur, & grana 15. vel 20. illius pulveris in syrupo Rosaceo offeruntur.

OPTIMA SCAMMONII PRÆPARATIO.

Scammonium selectum præparetur per imbibitiones & exsiccationes reiteratas cum succo Rosarum, ut jam dictum est, deinde ad manus sit bonum Alcohol vini (in quo per 24. horas prius in Balneo maduerit tantillum sem. Anisi, Fœniculi, Cinamomi & Spicæ nardi) quantitate tanta, quæ sufficiat pro extrahenda Tinctura seu Scammonii Essentia, affundatur ad eminentiam trium vel quatuor digitorū Scammonio mediocriter trito, & in Balneo Mariæ per tres vel quatuor dies stent, quotidie aliquoties movendo, sic Spiritus vini Tincturam extrahet: Tinctum Spiritum purum per inclinationem aufer, & affunde novum Spiritum reiterando laborem, donec nullum Alcohol amplius tingatur. Postea omnis Spiritus Tinctus mixtus abstrahatur in Balneo Mariæ, remanebit Scammonium instar mellis in fundo, quod ulterius exsiccetur calore leni in vase cōvenienti. De hoc Extracto adhuc molli instar panis recens cocti sumatur uncia una, & succi Cidoniorum depurati unciæ quatuor, succi depurati Rosarum rubearum uncia una, misce omnia in vase convenienti vitreo, & lento calore effundatur Extractum in succum, movendo paulatim spatula argentea, ut succi exhalent, & Extractum priorem acquirat cōsistentiam pro efformandis pilulis. Antequam planè omnis humor exhalet, ad

unciam unam Scammonii adde Salis seu magisterii Perlarum & Corallorum ana drachmam unam. Efformentur pilulæ 1.2. vel tres. Ita habebis præstantissimum Catharticum quod sine molestia & nausea purgabit.

Dosis.

A granis 10. ad 12. & 20.

Nota in Extractione Scammonii, quod proprium habeat, ut subsidat, antequam humore privetur: Itaq; si duas partes Spiritus vini vel liquoris per alembicum à Tinctura traduxeris, poteris desinere, & cum Balneum refrixit, vitrum eximes, in quo ad fundum videbis dejectum Scammonium, vel etiam pendere in residuo liquore instar liquidæ picis colore pellucido.

Hoc loco industrii obiter admoniti sint, posse debita quantitate Essentiam Cathartici (unius vel plurium) Spiritu vini extractam & eidem adhuc immixtam, Electuario Cidoniorum vel Citriorum opaco seu pellucido circa finem decoctionis supra lentum calorem misceri, & postea ad justam cõsistentiam secundum artem denuò incoqui, ita remanebit vis purgans Electuariis immixta post Spiritus vini evaporationem.

Hæc Cathartica debita dosi in minima quantitate, necessitate exigente delicatulis & nauseabundis, cũ magno emolumento & nulla ægrotantiũ molestia aut animadversione, fraude,

fraude honesta, fuco ingenioso, & officioso Medicis à Platone permisso mendacio possunt exhiberi, cum nullum ingratum præ se ferant saporem.

SPECIFICUM PURGANS PARACELSI.

Primò Purificatio Vitrioli à suo Sulphure fiat sequenti modo:

℞ Vitriolum Ungaricum, & solve in aqua communi in aheno cupreo, soluto insperge oleum Tartari commune, ad tres libras Vitrioli unciæ quatuor olei Tartari circiter requiruntur, refrigescant una, postea quod clarum est aufer, Sulphur enim fœtidum huic operationi inidoneum, instar argillę fundum petiit: claram solutionem fac paulatim evaporare, donec ferè crustam incipiat obducere, postea in frigido in lapillos concrescet Vitriolum, quod servetur.

Secundò Destillatio Spiritus Tartari instituitur in hunc modum:

℞ lib. duas Tartari albi crudi, affunde mensuram Spiritus vini, clauso vasis orificio in calido hypocausto, per quatuordecim dies unâ digerantur: postea destilla in lento cinerum igne, donec incipiãt guttę flavæ oleosæ egredi, ubi cessandũ. Egressum Spiritum seorsim serva, caput mortuum permitte, ut igne forti tàm diu evaporet, donec Tartarus mediocriter calcinatus sit, non tamen ad albedinem, sed in colore nigro desinendum: supra hunc Tartarum affunde priorem Spiritum egressum, stet per tres dies in Balnei putrefactione, post ea de-

ea deſtilletur primo in arena, deinde in aperto igne fortiſſimo, per alembicum lutatum non nimis altum, ſic requiſitus Tartari ſpiritus elicitur.

Tertiò, accipe remanentis prioris Tartari calcinati (è quo Spiritus extractus eſt) lib. j. Vitrioli præparati, ut ſupra dictũ eſt, libram quoq; unam, trita miſce in vitro magno, affunde jam antè deſtillatum Tartari Spiritum, addita menſura vini albi generoſi & antiqui: Vitrum claudatur alembico cæco, ſtet quatuordecim dies in lento calore: poſtea deſtillare incipe, primò lentiſſimo igne in arena, ut ſaltem ſubtilis Spiritus vini, Tartari & Vitrioli aſcendet, quem ſeorſim diligenter collectum aſſervato: ubi jam phlegma dulce egreditur, illud ſeorſim colligito: poſtea materiam iterũ tere, concreſcit enim, & deſtilla vehemẽti igne aperto in retorta luto obducta, primò tamen paulatim incipiendo ne materia liqueſcat: ultimò fortiſſimo igne pelle (ut in præparatione olei Vitrioli fieri ſolet) donec ſpiritus omnes egreſſi ſunt. Hos ultimos ſpiritus fortes, miſce cum primis ſubtilibus ſpiritibus, medium enim phlegma dulce nullius uſus abiiciendum.

Quartò, jam extrahe è capite mortuo Salem ſecundum artem notam, beneficio Aquæ communis, ſi opus ſit, reverberetur materia, & iterum extrahatur. Hanc reverberationem & extractionem toties reitera, donec omnis ſalledo extracta ſit. Extractiones Salium miſce, & aquam evaporando abſtrahe. Salem ſupra marmor tritum pone in alembico oblongo, affunde ad eminẽtiam trium vel quatuor digitorum proprios ſpiritus, primos videlicet ſubtiles & ultimos fortes (etſi

(etſi aliquid phlegmatis adhuc immixtũ ſit, nil inde incommodi) collocetur in B.M. per aliquot dies, tunc extrahit ſpiritus è ſalibus ſuam propriam eſſentiam, quicquid ſolutum & extractum eſt leniter per inclinationem effunde, ac affunde plus de remanẽte ſpiritu, denuo extrahat reiterando tandiu, donec ſpiritus extrahendo non amplius coleretur.

Quintò, has ſpiritus Extractiones miſce & cohoba in B. M. ad quatuordecim dies, ſemper quod egreſſum eſt reaffundendo: ultimò in arena fortiter deſtilla quicquid vult egredi: quod reſiduum eſt pelle igne aperto, tunc ſalia una cum ſpiritu egrediuntur.

Sextò, egreſſos ſales cum ſpiritibus cohoba in B.M. ad placitum, ſic ſalia ſponte incipient ſe repercutere, craſſo modo & viſibili in fundum (fit inde liquor albus inſtar calcis Lunæ in aqua valenti ſolutæ) actum in B.M. ſubtili calore ſpiritus proprius poteſt abſtrahi, ut materia in fundo ad pulticulæ conſiſtentiam remaneat.

Et ſic Purgans ſpecificum non ſine magno labore & tempore paratum eſt.

Modus parandi facilior in ſecunda operationis reiteratione.

Reſiduus ſpiritus, poſt primam abſolutam operationẽ ultimò abſtractus, pro ſecunda præparatione poteſt aſſervari, ita labor erit facilior, videlicet ut ſaltem vulgaris Vitrioli ſalem & ſalem Tartari accipias in æquali pondere, & hoc ſpi-

ritu ex illis Essentiam seu Sales extrahas, & modo prædicto in omnibus proceda.

Quia autem Purgativum in magna copia citò fieri non potest, neque solum Realgaria mineralia, sed etiam Terrestres Impuritates à corpore microcosmi expurgari debeant, abbreviationis ergò quædam herbarum Salia extracta fieri possunt per alembicum volatilia, & in æquali pondere cum specifico Purgante misceri & exhiberi simul in Dosi priori, tunc efficacius solet operari.

Salia Herbarum ita præparantur.

℞ Hellebori nigri
Cardui benedicti } herbas & radices.
Imperatoriæ
Rad. Petroselini Angelicæ
Centaureæ Pimpinellæ
Tormentillæ Chelidoniæ
Herbarum & florum Cichorii
Herbarum Hyperici, Aronis
Vincetoxici, Verbasci
Pentaphylliana omnium
pro libitu.

Siccentur in umbra, non in Sole: incidátur & ponantur in doliolo affusa aqua incoctionis tantilli Lupuli & Fermenti, fermentétur in hypocausto, sæpius movendo per tres septimanas, postea destilla in vesica cuprea, ut moris est, cũ refrigerio

gerio spirituum, sicuti in destillatione Spiritus vini fieri solet: Hunc spiritũ mediocriter rectifica, non tamen ad summum. Fęces remanentes (poteris illis siccas similes herbas addere ut habeas majorẽ copiam) in cineres redige, & salem extrahe: Sali exsiccato affunde spiritum proprium, ut in B. M. spatio aliquot dierũ essentiam eliciat, effunde hunc & affunde novum, reiterando donec non amplius extrahat. Extractiones misce & cohoba aliquot dies in B. M. (si fortè fæces fundum peterent, has per tritorium chartæ Emporeticæ separare poteris) postea in bullienteBalneo destilla, tunc Sal simul ascendit: si fortè aliquid remaneret, plus spiritus affunde, ac iterũ cohoba, & tum in arena destilla: quicquid egressum est accipiatur, & affundatur bona quantitas sui phlegmatis, stent in loco frigido, tunc subtile destillatum Sal fundum petit, spiritum per inclinationem aufer & serva pro secundo Extractionis usu, quod fundum petiit parum edulcorari potest, & exsiccari in hypocausto, tunc restabit Sal Herbarum efficacissimum in usũ medico, cujus

Usus secundum Theophrastum talis est:

℞ partem unam Specifici purgantis, partem alteram Essentiæ Croci Orientalis cum S. v. extractæ, à qua Spiritus vini non separatus est, circula duas vel tres septimanas & ad usum serva. Datur etiam sine Essentia Croci, sed præstat cum illa propter Cordis confortationem.

Vires, Modus exhibendi, Dosis.

In omnib. morbis evacuatione egentibus sine discrimine.

In omnibus putrefactionibus & superfluis humiditatibus corporis undecunq; proveniant.

Datur in vino vel Absinthite, Malvatico, jusculo, succo Rosarum, ventriculo jejuno.

Provectioris ætatis hominibus, utpote 20. 30. 40. & 50. annorum grana quatuor dantur: adolescentibus quindecim annorum grana tria, pueris & infantibus duo grana. Incalescant per horam post sumptionem in lecto deinde surgat patiens, ambulet, vel sedeat, si in duabus horis non operatur, eandem Dosin denuo exhibe, jejunet tres horas cum custodia integri diei ab aëre. Quacunque viâ operetur, ne sis sollicitus, sive per vomitum, sedes, sudorem, vrinam. Sequenti die quiescat patiens. Tertia die auge Dosin dimidia parte (ut si ante grana quatuor exhibueris, jam sex offeras) server Diætam primi diei: sequenti iterũ quiescat. Si necessitas flagitat, offer tertia, quarta, quinta, sexta vice, prout morbus est longus. Sufficientiæ hoc signum est: Dum supereſt in corpore Impuritas, purgat & discurrit in membris hinc indè, & præcipuè in Centro morbi dolorem excitat. In defectu Impuritatis non facit dolorem, & vix amplius purgat, quia humorem radicalem non aggreditur more vulgarium Catharticorum.

IV.

DIURETICUM.

QVia non per alvum excerni volunt omnium morborum Im-

Impuritates, igitur Diureticis & Diaphoreticis opus.

1. SAL SUCCINI.

Hujus præparandi modum paulò post olei Succini descriptionem indicabo.

Dosis & Usus.

A granis tribus ad 4 6.8. & 10. in aqua Petroselini seu Ononidis.

Mirabiliter pellit remoratam vrinam.

2. SPIRITUS SALIS.

℞ Salis Cracovienſis nativi, vel Salis marini exiccati vel calcinati lib. 4. affundendo aquam pluvialem, impasta vel malaxa cum albæ argillæ figulinæ recentis & per setaceum cribratæ libris duabus (vel quod melius, argillæ loco sumatur matrix si haberi possit, seu cortex Terram sigillatam involvens & proximè ambiens, & è qua Terra sigillata tãquam nucleus eruitur, sic enim efficaciorem liquorem ad usus medicos habebis) inde facias orbiculos rotundos seu oblongos, quos retro fornacem ad duritiem exiccatos impones retortæ terreæ luto obductæ, vix ad dimidietatem impletæ: jungatur Recipiens satis capax, & servatis Ignis gradibus, donec phlegma egressum est, ultimò pelle forti & indesinenti igne aperto continuando, donec spiritus albi omnes egressi sunt. Destillatio eadem quæ in paranda aqua Forti adhiberi solet.

Usus & Dosis.

Duæ vel tres guttæ in aqua Cardui benedicti & Parietariæ subitò remoratam pellunt urinam, sicuti etiam Aqua Vitæ per se optimè à phlegmate rectificata facit.

Observationes de Spiritu seu Oleo Salis.

Mirum quod hic Spiritus cum Sale communi singularem antipathiam & naturam contrariam habet.

Primò, ratione Sitis: Sal commune excitat sitim: Spiritus hic pellit eandem, quod manifestè apparet in hydropicis.

Secundò, ratione Putrefactionis: Sal commune omnia à putrefactione præservat, & mordax est: Spiritus hic absumit, corrodendo spatio unius diei, at sine dolore, quicquid in vulneribus aut affectibus aliis putredini obnoxium.

Tertiò, ratione Gustus: Sal cõmune est acre & mordax: Spiritus habet saporem γλυκύπικρον, & odorem succi expressi è pomis agrestibus.

Sequuntur vires & virtutes Olei, secundum Paracelsum.

Sal simplex, omnium condimentorum condimentum, omne stomacho insuave insuetumq; suave & nutritioni aptum facit, & cum putredinem nesciat, maximè omnia à putredine vindicat, & naturali corpori salutaris, humanę naturæ adeo cõducibilis, ut sine eo vivere nesciamus, corporibus inditus quicquid adest humidi absumit, & quod reliquũ est solidæ

solidæ substantię adstrictione contrahit, unde corpora condita siccat, & à putredine vindicat. Hæ igitur virtutes, cum crudo insint Sali, quanto potiores Spiritui ejus cõvenienter præparato?

1. Paracelsus illo usus est in omnibus morbis bis in mẽse semper tres guttas exhibendo: Renovat Hominẽ, præsertim si aliquot folia auri in illo solvantur, Sal enim omnia præservat. Alioquin etiam spiritũ Salis feliciter cum oleo Vitrioli miscuit, & postea ad varios morbos intra corpus cũ maximo successu exhibuit, pẽsertim in hydropicis cũ aqua Absynthii.

2. Leprosos, & alios tam virorum quam mulierum morbos in vino sumptum sanat, & sanguinem purificat.

3. In Hydrope miscetur Sali Absynthii, vel aliquot guttæ offeruntur in aqua Absynthii quotidiè, donec Hydrops in paucis diebus evanescat.

4. Ad cõfortationem capitis in aqua Lavendulæ, Majoranæ, Salviæ.

5. Ad Cor in aquis Cordialibus frigidis, Violarum, Rosarum, item Borraginis, Melissæ.

6. Ad Stomachum, cum aqua Menthæ, ita appetentiam cibi auget.

7. Ad Hepar cum Cichorio, Lactuca, Carduo benedicto.

8. Ad Splenem, cum Endivia, Portulaca.

9. In Peste, cum aqua appropriata Cordiali: Infecta etiam regio illo ungatur, apostema retrocedit, & venenum sine noxa expellitur per aliud emunctorium.

Si guttæ quatuor cum uncia semis Electuarii Juniperini offe-

offerantur, expectato sudore, ut singulare commendat Theophrastus in Peste & Venenis, quia Cor confortat & sanguinem purificat.

10. In aceto si offeratur, pellit Sudorem Anglicum.

11. Renes & Vesicam expurgat, & Calculum rumpit. Usus ejus cum Balneo certò juvat.

12. Lumbricos pellunt aliquot guttæ in Aqua Artemisiæ.

13. Hernioſos Paracelsus in loco affecto hoc liquore unxit, adhibito Balneo Hernioso: aliquot etiam guttæ intra corpus dentur, ita intra paucos dies patiens sanabitur.

14. In Colica duæ vel quinque guttæ in forti vino præsentaneum remedium.

15. Pellunt febres etiam diuturnas guttæ quatuor in aqua Vitæ.

16. In Ictero tres vel quatuor guttæ prosunt, continuetur, donec patiens sit restitutus, quod fit in tribus septimanis.

17. In Iliaca, Dysenteria, Paralysi, Apoplexia, Podagra, in aquis appropriatis.

18. Ulcera interna etiam sanat.

Dosis.

4.6.7. guttæ in cochl. vini Malvatici, vel aqua Cinamomi, vel alia appropriata.

Usus

Usus ejus ab extra.

1. Cum aquis appropriatis mixta, utiliter parti dolenti Podagricæ inungitur.

2. Penetrat omnes venas, carnem, ossa, & promovet omnium ulcerum curam.

3. Ubi membra contracta, & de sede mota sunt, sive sit Contractura, sive Apostemata, inunctio instituatur, cum appropriatis unguentis.

4. Omnia ulcera cacoethea, insanabilia, fœtida, ut Fistulam, Cancrum, Lupum & similia Phagedænica cum inunctione continuata in parvo tempore sanabis.

SPIRITUS SALIS NITRI.

Eodem planè modo & simili Ignis regimine Spiritus Salis Nitri destillatur, qui per fumum rubicundum egreditur.

Hoc saltem notandum quod ad j. partem Salis petræ purificati, tres partes argillæ figulinæ admisceri solent, pro efformandis globis oblongis, post exiccationem demum ad opus adhibendis.

Usus & Dosis.

In Colica: Et hoc nemini videatur mirum, siquidem in simili affectu crudum Nitrum nonnulli offerunt: nam spiritus Salis microcosmici effervescentia & malignitas ex hujus debito usu mirè inhibetur & reprimitur.

In Pleureſi.

Prunella.

Miſcetur cum ana Spiritus vini, & de illâ mixturâ dantur ſcrupuli duo vel drachma integra in hauſtu aquæ Fontanæ tepidæ. Si in Colicâ utimur, tunc ab extra umbilicus oleo Nuciſtæ expreſſo cum tantillo Zibeti admixto inungitur: Intolerabiles cruciatus & dolores confeſtim non ſolum ſedat, ſed & diſcutit & reſolvit malignos, crudos, nitroſos atq; vitrioſes humores, qui niſi impediantur, ne ad partes nervoſas & articulos repant, quod non rarò fit propter certam ſympathiam, qua cum talibus membris habent illi humores aliquid mixti, condolenda ſequitur articulorum impotentia, laxatio & reſolutio: Circa finem curæ Enulæ Campanæ uſus Salem reſolutum efficaciter expellit. Porro Nitri ſeu Salis Fuſilis vires reconditæ à Filiis Hermetis ſemper in magno pretio fuerunt habitæ.

V.

DIAPHORETICUM.

Multi ſunt morbi qui ſaltem per ſudorẽ & pororum emunctoria curari volunt, ut Peſtes & Pleureſes.

SUdor in Peſte & Morbo Vngarico eſt univerſalis evacuatio Veneni totius corporis, non in ſanguine modo, ſed etiam in habitu corporis, adeoq; in omnibus partibus hærentis: Hujus ſudoris beneficio Venenum quod circumſtans frigus ad cor propulerat excluditur: Nam ut attractione ſpiritus, ſimul etiam venenatam auram attrahimus, ita ſudore oportet illud ipſum ex omnibus membris exterminari: Nulla enim corporis pars licet parva, aëris eſt expers: proinde ſudare omnes poſſunt: Ideo ſudor eſt univerſalis evacuatio, ſiquidem fere tertia pars omnium morborum, qui corpus humanum infeſtant, per ſudorem curari poſſunt.

ANTIMONIVM DIAPHORETICVM.

℞ lib. j. Mercurii ſublimati per Vitriolum & Salem, adde tres libras Antimonii Vngarici, terantur invicem & miſceantur, ac retortæ vitreæ luto munitæ omnia indantur, adjuncto receptaculo clauſo, deſtillatio fiat in arena cum Ignis regimine, ne guttæ in collo inſtar Butyri congelentur, eo apparente mox carbo ignitus cum forcipe admovendus erit tam propè, ut vitro non noceat, & tamen reſolvat, idque toties iterandum, quoties neceſſe fuerit: Liquorem egreſſum ſemel rectifica: poſtea calore liquefactum effunde in vitrum capax, quod collum longum habeat, & affunde aquam Regis (alii ſolo Spiritu nitri utuntur) guttatim ſaltem fiat, propter ſtrepitum & effervescentiæ periculum, ubi videris totam materiam ſolutam eſſe plane, affunde exempli gratia ſi libra ſemis olei fuit, etiam lotonem unum auri in aqua Regis ſeorſim prius ſoluti, ita mixtio manebit clara, non turbida, & rubicundiſſimi coloris, alioquin niſi ita proceſſeris, turbida fiet ſolutio, & aurum non vere ſe incorporabit, ac poſt abſtractionem apparebunt adhuc auri ſcintillæ micantes.

cantes. Totam hanc claram & rubicundiſſimam ſolutionem pone in alembico benè lutato, addito capitello & receptaculo, juncturis benè munitis, ſervatis poſtea gradibus Ignis incipe phlegma abſtrahere (ſpatio duorum dierum operatio abſolvitur) ultimò fortificando Ignem ita, ut fundus Cucurbitæ candeſcat: Parum ſe ſublimat, quod abſoluto opere, vaſe refrigerato & fracto abiiciendum: reliquum in fundo, etiam in parietibus hærebit, colore ſubflavo, inſtar Terræ ſicciſſimæ & hiantis, nullius ferè ſaporis: adhæret linguæ ſine corroſione inſtar cornu aduſti & calcinati. A libra j. olei habebis poſt exiccationem libram Terræ dimidiam. Calx illa fixa non eſt edulcoranda, niſi velis, ſed in crucibulo per dimidiam horam ignienda: Mirum quod examen Ignis in crucibulo ſuſtineat, & omnia corroſiva in ipſa, mortua ſint.

In uſu Chymico, quamvis hæc terra ſitiens fixa ſit, & beneficio vulgaris Sulphuris arte admixti, auro in fluxu peculiari induſtria mancat admixta, non tamen in cineritio optatæ & expectatæ fixioni ſolet reſpondere.

In uſu medico unum eſt è Spagyricis medicamentis maximè πολύχρηστον.

Conſtitit mihi ferè ducentis Daleris, ego candido lectori cum reliquis gratis communico.

Vires & Uſus.

Arcanum ſummum in variis & ferè omnibus morbis, per ſudorē & urinam operans efficaciſſimè, non purgat, nec debilitat

bilitat ægrotantes, ſed plurimùm ſudorem & urinam moderatè ciendo, ratione auri additi Naturam confortat.

In Lue Venerea.
Peſte.
Podagra.
Hydrope.
Febribus.
Obſtructionibus & doloribus Lienis.
Calculo.

Doſis 3.5.7.8. grana in aquis convenientibus.

Circumferuntur deſcriptiones Mercurii Vitæ, quibus nonnulli hoc corroſivum oleum per cornu Cervi cum Saturni Eſſentia eſſentificatum in pulverem Diaphoreticum redigere conantur. Operoſus eſt labor, nec propria experientia optatum & deſideratum videre licuit eventum. Nam adhuc acredinem retinet ille pulvis, nec ita fixus eſt, ut hic noſter, per dicta corroſiva fixatus, quæ in hac operatione omnia moriuntur & evaneſcunt, quod ſummè mirandum eſt. Ergo hac deſcriptione contentus ſis lector benevole, qua tibi vix offeretur alia melior.

SPIRITUS TARTARI.

℞ Tartari vini albi optimi (quod frangendo videlicet niteſcit) libras ſex, lava ex aqua pluviali tepida, donec nulla

pulverulenta conſpiciatur ſpurcities, tandem è vino tepido optimè eluatur, exſiccetur ad Solem, vel in hypocauſto, & redigatur in pulverē: Vel pulveriſatus Tartarus in aqua pluviali calida abluatur & ſolvatur, quod nō ſolutum remanſit in fūdo, in aqua pluviali coquatur, ut ſolvatur, poſtea filtretur, aqua paulatim evaporet, & ultima medietas in loco frigido ponatur, ut Tartarus iterū lapilleſcat, & hic eſt Tartarus purificatus (per ſe etiā Catharticus, ſi drachma una è juſculo carnis ſumatur) & ad deſtillandum aptiſſimus: Indatur Cucurbitæ luto oblitæ, & aperto igne deſtilletur inſtar Aquæ Fortis, ita tamen adhibenda eſt multa cautio, ut commiſſuræ Receptaculi capaciſſimi probè adaptati ſint diligenter propter ſpirituum penetrantiam luto munitæ, ne hujus aquæ ſpiritualis evanida virtus in auras evolet. Ignis primò ſit lentus, poſtea fortificetur, donec omnes ſpiritus exierint, & Recipiens nubibus repletus iterum factus ſit tranſparens & pellucidus. Da operam, ne ignis nimium invaleſcat, propter ſummam ſpirituum penetrationem. Aqua primum emanat, deinde fœtidum oleum: ſeparentur per tritorium: Aqua ſeu ſpiritus primùm corrigitur & rectificatur in cellario, collocando octiduum in gelidam aut madidam arenam: Oleum corrigitur ex aceto deſtillato per retortam in igne aperto, tunc eliciatur cum aceto, atq; emanat nunc rubrum, nunc citrinū, atq; ita acetum recipit Empyreuma in oleum, & oleum aureo colore ſine fœtore ſuccedit. Spiritus ſeu Aqua poſtea in cineribus per alembicum deſtillatur, & rectificatur bis vel ter, ut ſit purus, nec ita odore gravis, qui tamen planè

planè tolli ſine virium amiſſione non poteſt. Si Salem è capite ſuo mortuo arte extrahas, & ſpiritum hunc deſuper in Balneo rectifices, tūc fœtor magna ex parte perit: Eodem enim modo omnia olea à fœtore per abſtractionē à ſuo Sale proprio rectificari poſſunt.

Vel circula illum ſpiritum cum Spiritu vini ana in digeſtione, ita odor gratior erit: Vel ſupra Caryophyllos poteris illum rectificare.

Vel aliquot guttæ olei Vitrioli cum duobus vel tribus cochlearibus Spiritus vini digerantur, & poſtea miſceantur cum Tartari ſpiritu, ſic etiam fœtor perit.

Sunt qui aquæ Roſarum aliquid propter odoris emendationem miſcent.

Obſervatio.

Fœtor ille ſpiritus Tartari in totum non eſt auferendus, nec formidandus, cum habeat ſignaturam Fœtorū, quando videlicet in Peſte, vel in aliis morbis venenatis exhibitus, magno juvamine profluentes fœtidos ſudores è corpore copiosè expellit.

Vires & Uſus.

1. Præ omnibus ferè aliis medicamentis & Arcanis hoc ſolum excellit in tollendis omnibus obſtructionibus & putrefactionibus.

2. Si ter quotidiè exhibeatur, multum facit in Paralyſi, totum enim corpus penetrat & roborat, quod in hoc morbo maximè requiritur.

3. In

3. In Hydrope etiam feliciter utimur cum aqua Soldanellæ & Ebuli: Assumitur etiam cum oleo Vitrioli, tunc aquas per urinam pellit, quicquid hac via non perficitur, difficulter tentabitur aliâ.

4. Vitia menstruorum retentorum corrigit.

5. Initia Lepræ profligat.

6. In Erysipelate cum æquali pondere Theriacæ circa finem morbi drachma j. exhibetur, ita tamen, ut venæ sectio in robustioribus præcedat.

7. Icteritiam & omnes indè exortos morbos expellit.

8. In Lue Venerea singulare est medicamentum, si Turbit minerale simul exhibeatur: Expellit enim è Centro Luem internam, postea crustæ oleo Guajacino inunctæ decidunt.

9. A Centro ad circumferentiam & superficiem expellit omnem scabiem latentem, serpiginem, lentiginem.

10. Provocat sudorem.

11. Prodest Pleuritidi & Anginæ.

12. In morbis capitis etiam utimur.

13. In Febribus.

14. In Contracturis. Hujus enim usu Davidem Syderocratem Spirensem quondam medicum, olim Generosam Dominam Catharinam Bappenheimiam, nunc in Christo quiescentem, neq; manus, neq; pedes è dolorib. Colicis moventem, ad perfectam sanitatem, adhibitis etiam Balsamis externis restituisse vidi.

15. In punctu ris Laterum.

Dosis.

Dosis.

A scrupulo uno ad duos in aquis specificis & convenientibus.

Sulphur Tartari verum, summè causticum, ab Expertis Philosophis olim in magno semper pretio fuit habitum. Extrahitur beneficio spiritus Homogenei, & à quibusdam per se vel cum Leone resoluto rotatur, an avidæ illorum expectationi satisfaciat, judicium esto penes experientiam.

VI.

CONFORTATIVUM.

CONfortans & corroborans Internum & Innatum Balsamum, clarificando & mundificando spiritus & Elementa omnia microcosmi: In quo secundum Paracelsum non curandum, calidá ne res sit an frigida, sed arcani considerandavis.

Ita curationes, quæ corroboratione, sedatione & mitigatione absolvuntur, tutiores sunt, præstantiores, altiores, utpote ad Balsami Innati Naturam ac proprietates propius accedentes, & quoad fieri potest cum prioribus curationum Indicationibus, id est, cum Purgantibus, Resolventibus, Abluentibus, cum Diureticis, Diaphoreticis, & Mundificantibus misceri & conjungi debent.

Sic Natura confortata per ἀναπόδησιν, seu insensibilem Transpirationem, sæpè etiam Criticè per hæmorrhagiam sponte concitatam, materiam morbidam deponere, & exonerare, magno ægrotantis levamine & salute insperata consuevit.

SAL MARGARITARUM ORIENTALIUM.

Variæ excogitatæ sunt viæ solvendi Margaritas, per spiritum Vitrioli, per spiritum Guajaci rectificatum: item per aquam Locustarum Quercus novellæ: simplicissima & optima videtur per acetum destillatum.

Post solutionem abstrahitur acetum ad siccitatem, & Sal aqua pluviali destillata, vel quod melius Rore Majali supra Triticum collecto, solutum & filtratum denuò evaporatione siccescat, reiterando quinquies vel sexies hunc laborem, donec Sal candidissimum habeas ab omni acetositate acri liberum.

Vires & Usus Salis Perlarum.

Cordiale est nobilissimum, Auro potabili in temperatura & operatione, quam proximè accedit.

1. In Contracturis, resolutione Nervorum, Convulsione, & Phrenitide.

2. Corpus sanum conservat, læsum pristinæ sanitati restituit, lac muliebre emendat, semen utriusque sexus auget & corrigit.

3. In

3. In confortatione cerebri, memoriæ, & Cordis conducit, in aqua Cinamomi, Borraginis, Buglossæ, Salviæ.

4. Prophylacticum Apoplexiæ & Vertiginis.

5. Exiccat & consumit omnes pravos humores in corpore existentes, è quibus Podagra, Arthritici dolores, & Febres solent existere.

6. Contra Tabem, ariduram, & marcorem senilem.

7. Utimur etiam in Hydrope ad confortationem præmissis generalioribus.

8. Contra Calculum singulare.

9. Renovat, auget & confirmat humidum Radicale, ita etiam à senectute debilitatis summopere conducit.

10. Certissimum præservativum contra Paralysin bis in sept. 10. grana in vino Malvatico.

11. Mitigativum in morbo Venereo quotidie 10. grana sumendo idq; per 10. dies.

12. In Epilepsia singulare est medicamentum: usus eius per 6. septimanas mane & vesperi.

13. Præservativum in Podagra, quotidie 10. granis Salis utendo, & per 12. dies continuando.

14. Fortificat humorem Vitæ & Naturam internam in omnibus membris.

15. Cõtra Tremorem & pulsationem Cordis, item animi deliquia in aqua Cinamomi.

16. Fœtum in utero etiam fortificat.

Dosis.

Dosis Salis à gr. 10. 12. 15. ad scrupulum j. ex aquis convenientibus, Cinamomi, Buglossæ.

Herbæ & flores inter destillandum flavas guttas emittentes.

Offertur etiam in aqua Roris Majalis supra triticum, vel frumentum collecti.

Vel ex Aqua Rorellæ vel Roris Solis, quæ destillando flava egreditur, quod m rum est, sicuti etiam Crocus facit, & Verbasci florum succus expressus insolatus & destillatus.

Notandum si Perlæ per acetum Botin resolvantur, & edulcoratum Sal in cella suis mēsibus in liquorem fluat, tunc hujus liquoris aliquot guttæ, miro & jucundo spectaculo coagulant optimum vini Alcohol in Butyrum sciſsile.

SAL CORALLORUM.

Eodem modo Sal Corallorum paratur, Concharum margaritiferarum, oculorum Cancri, & aliorum Crustaceorum lapidum.

Resolvuntur autem omnia hęc Salia mensibus Junio, Julio & Augusto demum, in cellariis, supra porphyrium vel vitream tabulam, in liquorem, tūc enim propter Antiperistasin cellæ sunt frigidiores: Aliis autem mēsibus frustra resolutionē attentabis, aut solitis mensibus indicatis difficiliorem.

Tincturam Corallorum veram & genuinam apud neminem adhuc videre contigit: Optima enim quæ affusione Aquæ mellis extrahi creditur, potius Tinctura Aquæ mellis est quam Corallorum. Multa enim sunt Menstrua, si stant aliquandiu in digestione, per se spontè rubescunt (ut in spiritu Tere-

NB.

Terebinthinæ multoties licet rectificato videre est) & ita incircumspectos decipiunt, arbitrantes se Tincturam Rei solvendæ habere, cum tamen ipsius sit Menstrui solventis. Nec Spiritus vini Sali Corallorum affusus licet coleretur in digestione Balnei rubedinem veram extrahere videtur. Sunt qui Corallos in Spiritu Salis solvunt, affundendo postea solutioni rectificatissimum vini Spiritum, quem supernatando dicunt Tincturam ad se attrahere, & per tritorii separationem & abstractionem in B. per se postea recuperari posse.

Usus & Vires Salis Corallorum.

Sicuti Coralli mirabiliter crescunt, ita etiam mirabilia sunt illorum Arcana, mysteria, secreta & magnalia: quemadmodum enim rutilantes integri ex commendatione Paracelsi excellentes sunt contra Phantasiam, Phantasmata, Spectra, Evestra, Melancholiam: sic Sal usu medico singulares virtutes etiam de se exhibet.

1. Salis Corallorum ea vis est & Natura, sanguinem in universo corpore sic mūdificare & renovare, ut omnib. morbis & affectionibus ex sanguine corrupto ortum ducentibus breve intra tempus sublatis ac sanatis, corpori veluti reintegrato, alacris pristinæ sanitatis vigor restituatur.

2. Sistit omnes fluxus muliebres immodicos in aqua Plantaginis.

3. Omnes fluxus ventris.

4. Omnem sanguinis profluentiam & rejectionem, hæmorrhoidas.

5. Ad mundificationem vel renovationem ſanguinis in aqua Fumariæ vel Cichorii.

6. Siſtit putedines, roborat Cor & ſpiritus vitales, ipſumq; tuetur à labe Veneni.

7. Confortat & corroborat Stomachum & Calidum innatum.

8. Omnes obſtructiones tollit, in præcipuis mẽbris Pulmone, Jecore, Renibus.

9. Concretum ſanguinem dirimit.

10. In vehementiſſima ſuffocatione matricis, ubi omnia irrita, item in menſtruis ſuperfluis cum aqua Artemiſiæ, Meliſſæ, Pulegii.

11. In Hydrope, Spaſmo, Paralyſi, Epilepſia, in aqua Cinamomi continuando.

12. Contra Calculum in aqua Ononidis.

Doſis.

A granis 6. 10. ad ſcrupulum j. vel duos ratione ætatis, & ſecundum morbi vehementiam.

In ovo ſorbili loco Salis communis, juſculo, vino generoſo, aqua Cinamomi: poſſunt etiam tabellæ parari.

Extra.

Sanat ulcera.

LIQVORES GEMMARUM, UT RUBINORUM, GRANATORUM, HYACINTHORUM, TOPAZIORUM, AMETHYSTORUM, CRYSTALLORUM, ITEM & SILICUM SIC PARANTUR.

Cum

Cum Sulphure ter vel quater comburuntur earum pulveres in Igne Rotæ, in crucibulo cum cooperculo, ultimò Carbonibus tegitur totum crucibulum: abluitur Sulphur, & fæces tritæ cum ana Salis nitri purificati miſcentur & calcinantur in tigillo clauſo in Igne Rotæ ut fluant, Sal à pulvere propter corroſionem aqua calida abluitur, poſtea pulveri edulcorato Menſtruum Terebinthinatum affunditur, diligenter primis horis movẽdo omnia, ne materia lapideſcat, ſic reſolvẽtur: Menſtruum poſtea abſtrahatur in alembico, & Sal in fundo remanens dulcificetur aliquoties, ſemper filtrando aqua deſtillata & evaporando. Poſtea illum Salem ſupra nominatis menſibus ponito ſupra marmor in cella vinaria, ut in liquorem reſolvatur. Fæces in fundo remanentes poſt ſufficientem Menſtrui affuſi extractionem iterum poſſunt comburi novo Sulphure, & pro ulteriori Extractione Salis denuo modo priori in uſum adhiberi.

ACETUM RADICATUM, QVOD HUSERUS ACETUM TEREBINTHINATUM VOCABAT, VERUM MENSTRUUM OMNIUM DURIORUM LAPIDUM.

℞ Exempli gratia lib. 2. vel tres Terebinthinæ, affunde ultimæ medietatis aceti deſtillati libras duas, & deſtilla ſecundum artem in arena primo lento igne, donec acetum cum ſpiritu Terebinthinæ egreſſum ſit, poſtea auge ignem, & exibit oleum flavum, & aqua rubicunda acerrima, quando oleum rubrum vult ſtillare, ceſſandum eſt à labore.

Sepa-

Separa poſtea ſpiritum Terebinthinæ, & oleum ab aceto per tritorium, & ſolum acetum ſupra Zinziber rectifica.

Hujus aceti parata copia in promptu habenda, cum illo enim dicto modo una opera ſolventur omnes Lapides Paracelſi contra calculum, ut paulo poſt ſuo loco dicetur.

OLEUM CINAMOMI.

Oleum Cinamomi legitimè præparatum, inter efficaciſſima confortantia Spagyrica referri poteſt.

Et licet ejus præparandi modus cuivis in Chymicis exercitato ſit obvius: hic tamen obiter admoneo, aromata deſtillanda in pulverem non eſſe redigenda, ut quidam præpoſterè facere ſolent, ſed tantum in fruſta cõfringenda, modicumq; contundenda, alioquin dimidio minus tibi olei ſuppeditabunt, ut periculo facto aliquoties ſum expertus.

Hac via major Olei copia haberi poteſt, quàm vulgaribus deſtillationibus:

Confractum ſelectiſſimum Cinamomum in retortam vitream immittas, & in Balneo vaporoſo deſtilles, tunc exit Aqua & Oleum ſimul: Illam Aquam recenti ligno affunde & perge in deſtillatione, quam ſi continuaveris aliquoties dicto modo, habebis magnam copiam Aquæ & Olei, fæces in fundo omnino aridas ſubnigras & inſipidas.

Vires & Uſus.

1. Omnia principalia membra corporis confortat, inprimis Ventriculum frigidum, Cor, & Cerebrum, anhelituſq;

tuſq; fœtorem abigit, ejuſq; ſuavitatem inducit.

2. In uniuerſum Balſamo Naturali (ſicuti etiam oleum Caryophyllorum) reſpondet, intus putrefactionem arcet: Extrinſecus omnia recentia Vulnera ſeu ulcera conſolidat.

3. Tollit Tuſſim frigidam, & Capitis dolorem.

4. Cor exhilarat & omnia membra confortat ſi illo inungantur.

5. Provocat menſes.

6. Partum promovet.

7. In deliquiis animi ſingulare eſt medicamentum: ſicuti etiam Croci Eſſentia, per aquam Vitis extracta, ſumma eſt medicina ubi aliquis quaſi ad deſperationem è nimia triſtitia venit.

Doſis.

2. vel 3. guttæ è vino, aqua meliſſæ, vel alia ſpecifica.

Hâc viâ ferè ex omnibus aromatibus Olea elicere poteris longè efficaciora & ſubtiliori quam vulgari viâ præparata: è Caryophyllis ſcilicet, Nuce muſcata, Macere &c.

Hæc Olea ſi in uſum medicum adhibere volueris, fiat hoc alvo aperta, & gravidis ultra guttam non offerenda: Uſus Olei Cinamomi convenientior hyeme quam æſtate.

Fuerunt qui mediãtibus hiſce Oleis aromaticis Calci auri pe-

ri peculiariter præparato extraxerũt essentiam coloratã magno ægrotantium juvamine in usum medicum adhibitam.

ELIXIR PROPRIETATIS PARACELSI.

℞ Myrrhæ Alexand.
Aloës Epat.
Croci Orientalis ana unc. 4.

Pulverisentur omnia diligenter, & in vitrum indantur, humectando optimo Spiritu vini Alcoholisato, postea affunditur rectificatum oleum Sulphuris per campanam factum (præparetur illud oleum è Sulphure flavo vel subgriseo, tempore pluvio, sic majorem copiam habebis) ad eminentiam 4. digitorum, ponatur in digestione & circulatione per duos menses, tandem quod tinctum & extractum fuit per inclinationem separa, materiæ in fundo restanti bonum S. vini affunde, & circulando per menses duos iterum coloratum extrahe, separa, ac priori liquori colorato misce. Fæces in fundo lentè destillentur, quòd primùm egreditur, addatur superiori Tincturæ, & ita per mensem adhuc sine destillatione circulentur. Sapor est suavis, non amarus, multo minus Empyreuma sapiens, ut fieri solet vulgariter destillando.

Diligenter observandum materiam primo irrorandam Spiritu vini, ut fiat quasi pasta, & demum oleum Sulphuris affundendũ, alioquin tota materia in nigredinem comburetur,

retur, id quod Paracelsus studiosè occultavit.

Vires & Usus.

Balsamum priscorum est, ut Paracelsus ait, tenuium prorsus partium, calefaciens & siccans, sicq; à putrefactione conservans. Est perfectum Elixir, in eo sunt omnes virtutes Naturalis Balsami, & virtus conservativa maxima, præcipuè in senibus.

1. Miranda in affectionib. Thoracis & Pulmonis præstat.
2. Adversus Pestiferæ Luis contagia populatim grassantia, aëremq; corruptum mirè efficax.
3. Humores Vẽtriculi diversos educit, stomachum cum intestinis confortat, & à doloribus præservat.
4. Hecticis, Catharrosis & Tussientibus in genere subvenit, & pectus mundificat.
5. Capitis & Stomachi refrigerationi prodest.
6. Hæmicraniam & Vertiginem curat.
7. Oculorum caliginem depellit.
8. Cor & memoriam confortat.
9. Paulatim Pruritum, dolorem item Iliorum & Costarum levat.
10. Calculos Renum rumpit.
11. Quartanam curat.
12. A Paralysi & Podagra præservat.
13. Intellectum & omnes sensus acuit.
14. Melancholiam aufert, & lætitiam adfert.
15. Senectutem fortissima juventutis conservatione arcet, ac canitiem retardat.

16. Vitam ex nimia cibi & potus sumptione abbreviatam prolongat.

17. Vulnera & ulcera interiora brevi conglutinat tempore.

18. Omnes demum tàm calidas, quàm frigidas Infirmitates occulta quadam proprietate curat.

Dosis.

à 6. ad 10. & 12. guttas in vino vel aqua convenienti & specifica.

BALSAMA CONFORTANTIA BENEFICIO CERÆ INSPISSATA.

Quia Olea Aromatica forma liquida propter effusionis periculum, aut vitri rupturam satis aptè & cõmodè circumferri nõ possunt, cœperunt Chymiatri cogitare de modo inspissandi, ita ut illorum varia pixidibus stanneis aut argenteis, sed probè inauratis, eò commodius circumferri, & urgente necessitate ad manus esse possint.

Ad illa autem conficienda satis sit hac vice solertibus saltem innuisse, requiri ad cujusq; præparationẽ tàm Oleum destillatione prolectum, quàm Tincturam per S. v. Alcoholisatum extractam & inspissatam per separationem ab eodem Spiritu: Item Salem post incinerationem ministerio Aquæ è suo capite mortuo prolectum: Medium, quod justam consistentiam dat, rasuram esse Ceræ albæ sæpius in aqua Rosarũ coctæ, ut credo tollatur, nec ullam saporis alienam qualitatem

litatem referat: Hæc omnia si debito & Chymico artificio misceantur, habentur odorifera Balsama aromatum & vegetabilium, tàm pro externo illitu, & inunctione Narium & Temporum, quàm pro interno usu efficacissima, secundum simplicium usum & proprietatem.

VII.

ANODYNUM, MITIGATIVUM, SOMNIFERUM, SEDANS.

MUlti sunt morbi, qui absq; Anodynis sanari non possunt. Ergò in omnium morborum curationibus, ubi dolorum comites vigiliæ, viriumq; resolutiones adfuerint, Anodyna intrinseca appropriata possũt administrari, et ablatis symptomatum ipsis radicibus pernitiosorum cruciatibus, amica quies Naturæ reddatur.

Somnus enim est Arcanum in medicina, supra omnes gemmas & lapides pretiosos: Et qui in arcanum somniferum à vera Essentia sumptum (quando videlicet morbi inimici quiescentes intempestivè à somno excitati sunt) potest Naturæ egenti commodè applicare, magnificiendus est apud ægrotum medicus.

LAUDANUM PARACELSI LAUDATISSIMUM.

℞ Opii Thebaici uncias tres.

Succi Hyoſcyami debito tempore collecti, & in Sole prius inſpiſſati unciam j. & ſemis.
Specierum Diambræ & Diamoſchi fideliter diſpenſatorum ana uncias duas cum dimidia.
Mumiæ Tranſmarinæ ſelectæ unciam ſemis.
Salis Perlarum
Corallorum ana drachm. iij.
Liquoris Succini albi per Alcohol vini extracti
Oſſis de Corde Cervi ana drachmam j.
Lapidis Bezoartici
Unicornu animalis vel mineralis ana drachmam j.
Moſchi
Ambræ ana ſcrupulum j.

In defectu genuini auri potabilis nullis corroſivis inquinati addantur

Oleorum Aniſi
Carui
Arantiorum
Citriorum
Nuciſtæ
Caryophyllorum
Cinamomi
Succini ana guttæ 12.

Fiat ex his ſecundum artem Chymicam maſſa ſeu Extractum, è quo ad neceſſarios uſus poſſint pilulæ efformari.

OBSER-

OBSERVATIONES in præparatione Laudani.

1. Radices & cortices Hyoſcyami juniores, recentes, ſuculentæ, exteriores, (abjecto interno trunco lignoſo) colligantur Sole & Luna exiſtentib. vel id Ariete vel in Libra ante plenilunium, alii colligũt, ſi fieri poſſit in ipſa hora, quando Luna in dictis Signis renovatur. Expreſſus ſuccus deſpumatus, & filtro trajectus in loco calido coagulatur ad ſpiſſitudinem mellis, & poſtea in Sole indureſcit, ab hoc, Spiritu vini Tinctura extrahitur.

Tunc enim ſumma vis ſpiritus, ſeu primũ Ens herbæ in radice eſt adhuc concentratum.

2. Opium purgetur prius in liquore Hyſſopi, vel aqua deſtillata, ut cum Aloë fieri ſolet, poſtea extrahatur etiam Spiritu vini.

3. Succus Hyoſcyami & Opium (antequam miſceantur reliquis) prius in digeſtione reiiciant ſua ſulphura & venena noxia (quod ſpumæ inſtar ſuperficiem petit) inde enim tàm varia & calamitoſa proveniunt ſymptomata illis ægrotantibus, qui Opio & Hyoſcyamo non debitè defæcato utuntur, quod à pauciſſimis hactenus animadverſum, hîc quoque Rempubl. Chymicam cælare nolui.

4. Extrahenda extrahantur Spiritu vini rectificato, quò diutius poſteâ invicem digerantur, eò potentior etiam erit operatio.

5. Pro mulieribus & hyſtericis propter ſuffocationẽ matricis Ambra & Moſchus omittantur in compoſitione, vel ad ſupprimendum odorem, aliquot grana Caſtorei addantur

ad

ad dosin unam, antequam mulieribus exhibeatur.

6. Fæces Opii, Hyoſciami, ſpecierum Diambræ &c. poſt Tincturæ extractionem calcinantur, & Sal ſecundum artem extractum miſcetur circa finem integræ compoſitioni.

7. Ab omnibus illis, quæ Spiritu vini extracta ſunt, tandem poſt digeſtionem duorum mẽſium, Spiritus vini in Balneo iterum abſtrahatur ferè ad mellis conſiſtentiam, & tum demum Sal Perlarum, Corallorum, Mumia trita, Lapis Bezoar, Unicornu, Os de Corde cervi, Moſchus, Ambra pulveriſata miſcentur: Et quia Olea deſtillata difficulter Extracto miſcentur & ſemper ſupernatare ſolent, omnibus Oleis nominatis in vitro prius invicem mixtis aliquot guttę Spiritus vini affundi ſolent, & diligenter commiſceri, ita invicem uniuntur, & poſtea facilè permiſcentur toti compoſitioni, quæ tandem in lentiſſima cinerum digeſtione in alembico cæco per menſem majoris efficaciæ & operationis ergò fermentari poterit.

ELECTVARIVM LAVDANI.

℞ Opij
Succi è Rad. Hyoſcyami Eſſentificatorum ana unciam unam.
Eſſentiæ radicis Mandragoræ cum S. v. extractæ drachmas ſex.
Specierum Diambrę ſine Moſcho & Ambra præparat. uncias quatuor.

Salis

Salis Perlarum.
Corallorum ana drachmas duas.
Carabe.
Mumiæ ana ſcrupulos quatuor.
Croci Orientalis ſcrupulos duos.
Unicornu ſcrupulum unum.
Terræ Strigenſis drachmam j.
Mellis deſpumati uncias duodecim.

Diſſolvatur Eſſentia Opii & Hyoſcyami (ſi ſit nimis liquida, fac ut Spiritus vini prius ſufficienter lento calore ab illis evaporet) in melle ſupra ignem, poſtquam probè mixta fuerint, adde Salia Perlarum & Corallorum, poſtea reliquos pulveres tenuiſſimè tritos, Carabe ſcilicet, Mumiam, Crocum, Unicornu, Terram ſigillatam, cum ſpeciebus Diambræ, paulatim inſperge tepidè diligenter miſcendo in formam Electuarii.

Vires & Uſus.

Laudabile medicamentum, quod planè ſuo Nomini reſponderit, ſi Laudanum dicas.

Mirum atq; iterum mirum, cur à quibuſdam ſciolis Opii uſus intra corpus formidetur, cum Laudanum Opiatum ab omnibus Venenis & Impuritatibus liberum ſit, ut taceam præſtantiſſima corrigentia admixta. Id de Officinarum & Veterum Cõpoſitionibus, quas Opium & Hyoſcyami ſemen ingrediuntur, affirmari nõ poteſt, ut de Philonio Romano, Perſico, Tarſenſi, Athanaſia magna, Aurea Alexandrina,

Nicolai, Triphera, Theriaca, Mithridat Andromachi, Trochiſcis de Alkekengi, Pilulis de Cynogloſſa, &c.

Anodynum hoc ſpecificum Φάρμακον πρὸς πάσας παθῶν ὀδύνας. Extremum eſt refugium.

1. In omnibus doloribus acutis, frigidis & calidis, tàm externis quam internis, ubi præ vehementiâ homines ferè exanimantur, maximè in dolore Colico cum aqua Menthæ (alvus ſit libera & aperta) Nephritico, Pleuritico, Arthritico.

2. In ſiſtendis omnibus defluxionib. omnium humorum & Catarrhorum tenuium, præſertim in principio.

Item in omnibus profluvijs Inteſtinorum ſive ratione humorum peccantium & mordentium, ſive ratione humorum purgantium, cum Maſtice tunc & Terra ſigillata datur.

3. In Vigilijs & Inquietudinibus immodicis intra & extra. ſi ab extra vis adhibere, tunc è granis 4. vel 6. cum tribus guttis olei Nucis Muſcatæ, vel tantillo expreſſo oleo fac turundam lineam, & naribus indendo mirificè ſomnum inducet: ubi altius dormiunt, poteſt turunda eximi: Ita Hæmorrhagia Narium deſperata ſanata fuit, è gr. 16. duas pilulas formando & utramq; Narem pilulâ unâ occludendo.

4. In omni Febrium genere ex aqua Abſinthij & Rutæ (quæ ſunt ſpecificæ Febrifugæ) ſi calor diu durat, poſt quartam horam reiteretur una Doſis. In ardentiſſimis Febribus ſitim reſtinguit & ſomnum conciliat, præcipue quando Febres ſomnum inducant laborioſa vigiliâ permixtum.

5. Aſthmatici & Phthiſici, ſi in aqua Hyſſopi utantur, diu illo poſſunt foveri. In Tuſſi cautione opus eſt ne ſcilicet viribus valdè infirmis exhibeatur, & cum recrementorum copia

in Thorace continetur: Etenim quamvis Tuſſim leniat, ac ſomnũ accerſat, Thoracis tamen anguſtiam adauget. Quare præſtat in Tuſſi ex eo ſemper minus dari, & præterea extenuantia ac abſtergentia ei miſceri, ut Oxymel, aut quod ex Marrubio conficiur: Tunc potiſſimùm datur, ubi id, quod influit, tenue eſt & acre: ſi enim tale quid ſit, nil inde nocumenti, ſi antidotum dederis: Nam ea quæ tenuia ſunt, mediocriter craſſa reddit, & contemperat, doloremq; hinc provenientem finit: In maxima Tuſſi additur Tragacanthum.

6. Conſervat Calorem nativum, corroborat ſpiritus, & reparat vires, præſertim illud in quo eſt Moſchus.

7. Efficax eſt cõtra affectus Melancholicos præter rationem mœſtos, Cardiacos.

8. Feliciter utimur etiam in Vomitu, Singultu, in exoluto & debilitato Ventriculo.

9. In Sanguinis excretione, & Menſtruorum nimia evacuatione, cum Croco Martis & Corallis rubeis.

10. In Phreneſi, Mania, intra & extra illinitur Temporibus cum Aqua Vitæ.

11. In Epilepſia cum ſpiritu Vitrioli & eſſentia Camphoræ cum oleo Amygdalarum extracta, ſolet offerri.

Doſis.

A granis 2 ad 3. 4. Si alvus eſt libera tunc efficaciter operatur: Offertur etiam in Aquis ſpecificis & appropriatis illisq; remiſcetur, ſecundum 7. membra & morbos. Si morbus eſt vehemens, poteſt circa noctem longè à cœna pilula j. dari,

mediâ nocte altera, mane tertia.

ELECTVARII idem Usus, nisi quod Dosis augeatur. Datur à drachma una ad drachmam j. & semis, in apptopriato liquore, vino, vel aqua Cinamomi: Puerperis & infantibus etiam tutò potest exhiberi.

VIII.

ODORIFERUM.

IUvatur Humana Natura odoribus, juvanturque spiritus: ideo Philagrius apud Aëtium non inscite dicit Naturam odore grata lubenter amplecti, & inde recreatam ac quasi reviviscẽtem vires suas à morbi ferociâ pressas revocare: Odor enim naribus haustus ad Cor & cerebrum trahitur, spiritum compressum suffocatumq; excitat, halantem & fugacẽ retinet: Imo sunt etiam regiones calidæ, ubi Astomos solis odoribus viuere Plinius innuit. Aër ratione sanitatis habet plurimum momenti, qui enim à fœtore ægrotat difficulter sanatur, quia ingratus odor cum spiritu permeat ad omnes corporis partes, maximè ad cerebrum & pectus. Odore Elixiris Vitæ ex varijs aromatibus cõpositi, dicit Baptista Porta, se multiplici Experientia multorum exhalantẽ retinuisse animam: In multis igitur morbis rectificandi & corrigendi sunt spiritus vitæ: Principalia enim membra & vitales spiritus (quæ utraq; à quovis Veneno omnium primo molestantur & inficiuntur) mirabiliter odoratis reficiuntur, ac venenati

nati excluduntur fumi: Oportet enim spiritum spiritu & odore recreari ac instaurari: Sunt enim odores suaves nostris spiritibus solis vitæ nostræ autoribus analogi & cõmunicabiles. Videmus, ut ad ingratos odores nares obturemus, & spiritum cohibeamus, ne percipiamus fœtorem, à quo dum sentitur facilè debilitamur. Adhæc ubi spiritus nostri, deliquiis animi vel convulsionibus concluſi, premũtur ac deiiciuntur, statim atque odorifera nobis admota percipimus, erigimur, animumq; ac vires recuperamus. Videmus matricis os deorsum sursumq; verti, ubi suavis odor spirat: Ad eundem modum non solum in Peste, sed etiam in Ungarica febre & similibus Venenatis morbis, spiritus, qui attractione contagii inficiuntur & contaminantur, suffitibus emendari & restitui tùm possunt tùm debent, ut videre est apud Cõradinum in libello suo de Febre Ungarica, in qua Candelas & Aquas odoriferas varias describit.

In Conficiendo Specifico odorifero, odoris fragrantiâ deficientem animum mirè revocante, qui volet sequi Paracelsi processum in Archidoxis, operam & sumptus in illo per digestionem præparãdo mecum perdet. Zibetta, Gummata, Tragacanthum in digestione ingratum nanciscuntur odorem.

℞ Macis
Caryophyllorum
Cinamomi electi ana drach. duas.
Ambari grisei drach. j.
Musci drach. semis.

Zibettæ drachmas duas.
Gummi Arabici drach. 1.
Tragacanthi prius ſupra fornacem ſiccati drachm. duas.

Hæc duo gummata cum Moſcho terantur.

Omnibus diligenter tritis miſce Zibettam, & affunde Aquæ Namphæ optimæ ſeu Damaſcenæ odoriferæ pro libitu ex odoratis ſpecificis & aqua Roſarum præparatæ, in qua prius per octo dies in digeſtione modicum de Paracelſi Carbon vel Zibetta occidentali admixtum ſit: Huius aquę prius bombycem vel ſetaceum colandæ affunde diligẽter agitando quantum pro incorporatione maſſæ ſufficit, ex qua poſtea vel poma, ſeu ſcuta & pentacula Cordis formam habentia effingito, & in vitro ſine digeſtione indurari permitto.

Vel hoc modo parari poteſt:

℞ Aquarum Roriſmarini
Liliorum alborum
Baſiliconis
Roſarum
Majoranæ
Spicæ
Lavendulæ ana q. ſ.

Pro humectatione Macis, Cariophyllorum, Cinamomi ana drachmas duas, prius tamen aromata mediante ſetaceo in tenuiſſimum pulverem redigãtur, adde Ambræ pulv. unciam ſemis, Moſchi Alexandr. drachmas duas, Zibettæ unciam j. Omnibus diligenter mixtis, adde pulveriſati gummi Arabici

Arabici drachmas ij. Tragacanthi pulveriſari drachmas quatuor, diligenter agita, & relinque per noctem, donec omnia bene incorperentur, ſequenti die efforma placentulas ſeu ſcuta intra duo folia in calido confeſtim ſiccanda, & ad uſus ſeponenda.

Vires & Vſus.

Quemadmodum Zibetta ſuo odore ſtercora expellit: ita Specificum odoriferũ morbos ab ægrotis eiicit: Et quemadmodum Tirus immiſcetur cõpoſitioni Theriacæ, ut penetrare faciat vim aliorum Ingredientium ad membra principaliora: ita etiam propter majorem penetrationem Carbon additur, cujus prævalens odor ingratus (qui tamen in digeſtione ſicuti Experientia me docuit in ſuaviſſimum & gratiſſimum tranſmutatur) citius penetrat, quam operationes omnes Liliorum, ut verè Theophraſtus innuit.

Uſus hujus Specifici odoriferi, quando medicamenta nõ poſſunt intra corpus ſumi, ut in Apoplexia, Epilepſia. Multi enim talibus odoribus excitantur, non quod plane morbus inde tollatur ſeu curetur, ſed quod via præparetur: Per virtutem enim odoris corpori communicatam ſanguis movetur, & Cor ſupra modum refocillatur.

In Apoplexia.
Epilepſia.
Colica.
Suffocatione Matricis.

In

In aura peſtilentiali maligna.

In confortanda Venere, mariti illo etiam ad uſus ſuos utuntur.

Miſcetur tantillum cum oleo Nuciſtæ expreſſo, ut fiat quaſi Linimentum, & in ſupradictis morbis debito modo adhibetur.

MEDICAMENTUM SPECIFICUM OMNIUM SEPTEM MEMBRORUM PRINCIPALIUM.

CONſerva membra principalia, ait Paracelſus, & non facilè mors eveniet, nam abſq; membri principalis cõſervatione non poteſt curari morbus. Si enim vitam velis conſervare, non ſolum Cor in ſuo eſſe conſerves, ſed etiam Cerebrum, Hepar, Pulmonem, Lienem, Renes & Fel. Nã quamvis Cor ſit Centrum ipſius corporis atq; radix, tamen quodlibet membrum principale deſtructum adfert mortem.

℞ Olei Succini ter vel quater per aquam Majoranæ rectificati drachm. ij.
Spiritus Vitrioli veri
Salis Cranii microcoſmici ana unciam ſemis.
Tincturæ Croci Orientalis
Granorum Alkermes ana drach. ij.
Salis Margaritarum
Corallorum ana unc. j.
Olei Cinamomi & Maceris ana drach. ſemis.

Lactis

Lactis Sulphuris unciam j.
Extracti Spodii unciam j. ſemis.
Magiſterii Tartari unciam j.
Antimonii Diaphoretici unciam ſemis.
Tincturæ Croci Martis
Chelidoniæ
Rhabarb. ana unc. ſemis.
Liquoris Cryſtalli
Calculi microcoſmi ana unci. j.

Cum extracta & inſpiſſata Theriacæ Eſſentia, melle Juniperino. Conſerva Roſarũ, addendo pro libitu ſaccharo Roſaceo, redigantur omnia ſupradicta diligẽter mixta in juſtam Electuarii conſiſtentiã addita Moſchi & Ambræ an. drach. j.

Propter Ventriculi ſympathiam cum reliquis membris addantur drachmæ duæ olei Vitrioli Veneris, cum drachma ſemis olei Nuciſtæ deſtillati.

Uſus & Doſis.

Uſus huius medicamenti in deploratis morbis, ubi nec ægroto, nec ipſi medico conſtat de genere ſeu morbi ſpecie.

Et quia in omnibus morbis internis neceſſariò unum (ſi non plura) ex illis ſeptem membris afficitur, poterit etiam in omnibus ægritudinibus tutiſſimè exhiberi. Abſque membri enim principalis conſervatione non poteſt curari morbus.

Doſis à gr. 5. 6. 7. uſque ad 10. in vino vel aqua Carduibenedicti,

nedicti, vel appropriata, ſecundum ſeptem membra.

SPECIFICUM CAPITALE.

MUltas Paracelſus virtutes tribuit in curanda Epilepſia Volatilitati ſpiritus Vitrioli: At illius apud nullum adhuc Chymicum data mihi fuit videndi facultas, nec ullus mihi affirmare potuit, quod confirmatam Epilepſiam ſolo vulgari & ſimpliciter præparato Vitrioli ſpiritu tollere potuerit. Hunc ſequentem Spiritum efficaciſſimum uſu medico deprehendi.

VITRIOLI SPIRITUS.

℞ Vitriolum Hungaricum, ſeu Cyprium, vel Romanum perinde eſt (quamvis illud in Sileſia in mineris auff dem Zigmantell Huſerus ſemper plurimi fecerit, conficitur enim è Minera Auri, Argenti, Ferri & Veneris) ſolve in aqua deſtillata vel rore Majali, & ſolutum cola, poſtea collocetur in digeſtionem cinerum ſeu arenæ vel fimi, in alembico negligenter ſaltem obturato, quia nil evaporat: ſtet per menſem, tunc ad ſuperficiem eiicit fæces ſeparandas: Iterum ponatur in digeſtione tamdiu, donec nullas fæces amplius reiiciat, poſtea coletur, & quod clarum eſt, in lento igne Balnei vel arenæ deſtilletur, ſpatio aliquot horarum duarum vel trium phlegma egreditur, quod auferendum eſt, poſtea ſequuntur ſpiritus (ubi hi incipiunt aſcendere, quod

quod guſtando poteris deprehendere, ſenties enim aciditatem, & videbis, ut in deſtillatione aquæ Vitæ fieri ſolet, ſtriarum inſtar in alembicum aſcendere) qui mutato vaſe Recipiente ſeorſim colligendi ſunt. Hic Spiritus Vitrioli ad odoris ſuavitatem, & dulcis aciditatis gratiam reductus, in quo nec ſenſibilis corroſio in lingua apparet, nec tarda auſteritas, ſed ſpiritualis aciditas, utile eſt medicamentum & curationibus neceſſarium. Qui volet ulterius perſequi deſtillationem, auctiore igne oleum profluens, ad ſuos uſus ſeorſim colliget, & huius rectificati olei partem unam cum quatuor vel ſex partibus Spiritus vini alcoholizati in Balneo Rorido, per aliquot menſes digeret, & poſtea deſtillabit, habebit Oleum Vitrioli, ſupernatans aquæ ſuaviſſimi odoris & jucundi ſaporis, ſeparetur per tritorium: In uſu medico maximæ eſt efficaciæ. *Oleum Vitrioli ſubdulce.*

Alia deſcriptio Spiritus Vitrioli.

℞ Vitrioli crudi, ac ut paulo antè dictum depurati, duas ſaltem libras, deſtilla & pelle fortiſſimo igne, ut Spiritus & Oleum egrediantur: Liquori egreſſo adde duas partes aquæ pluvialis deſtillatæ, & in B. M. nova deſtillatio inſtituatur, tunc ſubtiliſſimus Spiritus Vitrioli cum aqua pluviali elevatur in hac rectificatione & egreditur, relicto aciditſſimo Oleo in fundo. Ille egreſſus Spiritus aqua pluviali immixtus ſummè penetrans eſt, & in Febri Ungarica, & aliis febribus ardentibus efficaciſſimè operari ſolet.

EPILEPTICUM MEDICAMENTUM.

Mirum ad Lunæ vices Cerebrum cõmoveri, augescente humectari, & minuente siccari, ut in Epilepticis videre est, qui crescentis Lunæ dãna sentiunt.

Primò Vitriolum ad flavedinem calcinatum imbibere convenit Spiritu vini, ut fiat massa.

Hujus accipe libram j. & semis.

Rasuræ Cranii Hominis justificati
Visci querni.
Ungulæ Alcis
Granorum Pæoniæ ana unciam j.

Omnia scindantur & tundantur, postea mixta destillentur per retortam servatis gradibus, ultimò violento Igne pellantur.

Hujus egressi liquoris libra j. rectificetur in Balneo Maris supra

Castorei
Specierum Diamoschi dulcis ana unc. semis.
Anacardi drach. sex.

Postea adde Spiritus vini lib. 4.

Salis Pæoniæ drach j.
Liquoris Perlarum & Corallorum ana drach. j
Olei Anisi.
Succini ana scrupulos duos.

Misce & digere in Balneo per mensem.

Usus & Dosis.

In aqua Pæoniæ datur de liquore dicto cochleare semis vel

el integrum novem dies cõtinuando, post exhibitum medicamentum per tres horas maneat jejunus.

APOPLECTICUM.

AQVA VITÆ APOPLECTICA EXIMIA.

℞ Exempli gratia, Florum Lilii Convallii
Tiliæ
Pæoniæ
Primulæ veris
Majoranæ
Lavendulæ
Salviæ
Betonicæ
Rorismarini.

Ceraforum sylvestrium nigrorum & dulcium, Luna decrescente decerptorum ana q. s.

Tritis omnibus & mixtis (vel seorsim flores, seorsim Cerasa destillentur) adde Sinapi seminis triti libram j. vel duas, pone ad putrefactionem affusa convenienti aquæ communis quantitate, in qua tantillũ Lupuli & Fermenti incoctum sit, ut omnia possint fermẽtare, postea secundum artem destilla, & inde elicies spiritum inflammabilem, quem circula cum ana spiritus Vitrioli præcedentis, & in Apoplexia, pro morbi & ægri ratione cochleare semis exhibe, addita una atque altera gutta olei Succini.

Ab extra etiam tempora & vertex Capitis utiliter illo liquore inunguntur.

OLEUM SUCCINI.

In hoc parando diligentia non vulgari opus est, requirit enim convenientem & debitum ignem. Albo Succino è purissimo & mero Bitumine in mari generato, in medicina utimur, non flavo.

℞ ergò Fragmentorum Succini albi (exempli gratia duas vel 3. libras) & crasso modo tundas, nõ in pulverem tenuem teras: Eluantur prius si opus sit aqua communi sordes, deinde ponatur in Cucurbita vel alembico non nimis alto, & effundatur bona quantitas aquæ Rosaceæ & Betonicæ (quod fit ne Oleum cõburatur, & ut harum aquarum vehiculo facilius stillare incipiat) imponatur capitellum capax cum rostro satis amplo, & vas recipiens adaptetur, & in arena clausis utrobiq; pro more vitrorum juncturis, servato Ignis gradu convenienti & continuo ne refrigescat, (alioquin instar picis nigrescit & vitrum frangit) destillatio absolvatur. Cave etiam ne Ignis nimium invalescat, alioquin recipiens periclitatur.

Primò egreditur aqua & oleum album cum spiritibus nubium instar, deinde non amplius spiritus egreditur visibilis, sed in capitello striæ apparent, ut in destillatione Spiritus vini videre est: tandem venit oleum flavum, hîc cessandum à destillatione, vel mutato recipiente excipe seorsim oleũ rubeo nigrum subsecuturũ: ultimo ascendit Sal sublimatione: Caput

Caput mortuum in fundo manet, friabile, nigrum & leve.

Antequam Oleum Succini albi rectificetur, bene abluatur prius in aqua communi, volvendo sæpius, postea rectificetur lentè in B. M. per aquam Rosarum vel Majoranæ. Post rectificationem potest etiam ulterius cum nova Rosarum vel Majoranæ aqua aliquoties misceri, semper post residentiam & separationem olei ab aqua, renovando aquam. Sic fœtor perire solet.

A libra una Succini post rectificationem vix tres vel quatuor lotones veri Olei albi haberi possunt.

SAL SUCCINI.

Salem sublimatione vi ignis elevatum collige & solve in aqua Majoranæ & filtra, aquam in B. paulatim abstrahe: Iterum solve, filtra & coagula: hoc aliquoties reiteretur: tunc habetur SAL DIURETICUM efficacissimum, cuius superius facta est mentio.

Vires Olei Succini.

Efficacissimum Opobalsamum Europæum meritò vocari potest, quia sua facultate omnia alia Remedia superat in Apoplexia & Epilepsia curanda: olim Sacrum appellabatur, propter vires eius nimirum admirandas & arcanas.

1. In PESTE una gutta mane & vesperi naribus affricatur, sic nullum venenum conficere potest: Correpto datur à scrupulo j ad duos in aqua Cardui benedicti.

2. Vehementer prodest illis, qui periculosos capitis morbos

bos timent, qualis est Apoplexia, Paralysis, Epilepsia. Nam si quis in aquis appropriatis, puta Betonicæ, Tiliæ, Lavendulæ, Cerasorum nigrorum, &c. unam atq; alteram guttulam Olei illius jeiuno stomacho assumat, nil periculi erit ab illis morbis: Idem præstant placentulæ seu Rotulæ ex saccharo confectæ, quibus aliquot guttæ Olei immixtæ sunt. Et si Apoplexia, Epilepsia, Paralysi quis corripiatur, vix est præstantius Remedium, quàm Olei è Succino albo destillati guttæ aliquot in spiritum Epilepticum infusæ & exhibitæ. Prodest etiam cervicem & nares ungere dicto Oleo, & certò pellitur morbus, & recipientes se, sensum & motum recuperant correpti, non aliter ac suffitus eiusdem Succini albi supra carbones naribus Epileptici admotus paroxysmum ipsi sedat.

3. Nervi, venæ aut partes nervosæ Spasmo aut similibus Cõtracturis infestatæ, ungantur hoc Oleo: ita utere, ut pauxillum immisceatur unguẽtis, quibus nervi refocillari solẽt.

4. Una atque altera guttula aquæ Petroselini immixta & assumpta calculos & alias superfluitates meatuum urinalium pellit.

5. Scrupulus semis vel integer si aquæ Verbenæ vel Artemisiæ, vel Malvatico infundatur, & mulieri parturienti propinetur, partum promovet.

6. Prodest frigidis defluxionibus capitis, qui huius usu consumuntur, & cerebrum reficitur.

7. Guttulæ aliquot naribus & Cordis fossulis seu pectoris si illinãtur, illis mulieribus, quæ suffocationes, præcipitationes & strangulationes uteri habent, sedat matricis motum.

Simi-

Similis efficaciæ sunt Rotulæ ex oleo Succini cum saccharo confectæ, si una atque altera assumatur.

8. Confert quoque in deliquiis animi, languore & palpitatione Cordis.

9. Confortat nõ solũ facultatem virtutis Vitalis Cordis, verum etiam Animalis Cerebri ac Naturalis Hepatis: ideoq; in concoctione & digestione magnas utilitates ciere solet.

10. In Febribus tres guttæ in aqua Cardui benedicti ante paroxysmũ expectato sudore assumũtur, sic Febres pellũtur.

11. In Retentione urinæ tres vel quatuor guttæ in aqua Fragariæ vel vino sumantur, mirabiliter promovet illam.

12. In Exiccatione Catharrhi conducit.

13. Dolores dentiũ è defluxionibus exortos curat, si cum aqua Plantaginis misceatur, & inde gargarismus fiat.

14. In Icteritia datur cum aqua Endiviæ, Cuscutæ, Cichor. Chelidon.

15. In Colica scrupulus unus vel drachma semis exhibetur in Cerevisia.

16. In Suffocatione matricis septem vel octo guttæ in aqua Pulegii.

17. In Expulsione fœtus & secundinæ septẽ vel octo guttæ in aqua Savinæ, Artemisiæ.

18. In mensiũ retentione 7. vel 8. guttæ in aqua Melissæ.

19. In Contractura, quidam cõtractus in manibus & pedibus fuit restitutus illitu Olei Succini.

20. In Vomitu sanguinis tres guttæ in aqua Tussilaginis, Tormentillæ, Prunorum sylvestrium.

21. Vertiginem & Scotomiam curat.
22. Cerebri ſtuporem miraculosè removet.
23. Viſum cum aqua Fœniculi confortat.
24. In Punctura lateris efficaciter adhibetur.

Doſis.

A guttis 4. 6. 7. 10. uſque ad ſcrupulum unum, ratione morbi & complexionis.

BALSAMŪM APOPLECTICUM.

℞ Olei Nuciſtæ expreſſi uncias duas.
Ambræ griſeæ drachm. unam.
nigræ drach j. & ſemis.
Moſchi drach. j. & ſemis
Zibettæ drach. duas & ſemis.
Oleorum ſtillatitiorum Lavendulæ, in quo Lilii convallii flores maduerint drach. ſemis.
Cinamomi ſcrupulum ſemis.
Majoranæ drach. ſemis.
Caryophyllorum gutt. 6.
Succini drach. j.
Rutæ drachmam ſemis.

Ex his omnibus ſecundum artem mixtis fiat in juſta conſiſtentia Balſamum: qui volet aliquid de Balſamo Peruviano odorifero addere, ei erit integrum.

Vires

Vires & Uſus.

1. Apoplecticis, Epilepticis, & Vertiginoſis mirè confert, ſi extremitates narium, tempora, vertex, interius etiam palatum, exigente neceſſitate inungantur, noctu & die per intervalla.

Pro præſervatione ſingulis ſeptimanis tantillo, alæ Narium mixta hac pulpa pollice modicè inuncto, una cum vertice ſemel atque iterum inungantur.

2. Contra malignam & peſtiferam auram.
3. Omnes Animales & Vitales ſpiritus recreat.
4. Arcanum in Colica, ſi umbilicus eo inungatur.
5. Matricis ægritudinibus mirè cõfert, ſi inungatur ventriculus & umbilicus, etiam Naturalia mulieris ſuffocationem patientis, tunc confeſtim recreatur: ad nares autem illarum eo tempore fœtida adhibeantur, qualia ſunt Caſtoreum, Aſſa fœtida.

Vſus ab extra ſaltem eſt: tantillum extremitatibus narium admovetur pro libitu: per unum aut alterum diem ſuavis ille odor vix evaneſcit.

OPHTHALMICUM.

℞ Vini Malvatici lib. j.
Aquæ ſtillatitiæ albuminum ovorum coctione induratorum lib. j.
Aquæ ſanguinis humani unciam j.

Aquæ Rosarum albarum
rubearum una unc. tres.
Aquæ Chelidoniæ, Rutæ
Euphrasiæ, Fœniculi
Valerianæ, Fumiterræ
Pulegii ana uncias ij.
Mellis virginei cochl. j. & sem.
Aluminis Roch.
Sacchari candi
Vitrioli albi ana unciam semis.
Camphoræ drach. tres.
Salis Euphrasiæ
Fœniculi
Saturni ana drach. j.
Salis Margaritarum
Corallorum ana scrup. ij.
Caryophyllorum
Zinziberis
Mastichis ana drach. j.
Tutiæ præparatæ (id est, in aqua Rosarũ & vino Cretico ana sexies extinguatur ac tenuissimè teratur) unciam j. & semis.
Aloes unciam semis.

Terenda terantur & misceãtur, stent in vitro clauso aut in caloris digestione per mẽsem, vel quod melius sub dio Soli & Rori exponatur p. 40. dies quotidie movẽdo aliquoties, sic demũ insolata promẽda usui. Qui in vase Aurichalcino

cino vult parare & exponere, faciat pro libitu.

Nota Aloen in mortario cum aquis dictis prius remiscendam movendo quatenus in aquam abeat, & strigmenti modo coeat, idque donec Aquæ remisceatur, postea reliquis addatur.

Usus.

1. Ad omnes Oculorum affectiones.
inflammationes,
lippitudines,
nebulas,
fistulas, & ejusmodi.

Modus applicandi.

Jaceat in lecto æger supinus, & injecta intra apertos oculos aquæ lachryma, vel gutta cum pluma gallinæ nigræ indatur, claudat reserètque oculos infirmus, ut per oculorum cavitates intrusa aqua per oculum diffundatur, id bis terve in die, & curabitur.

Si nebulæ fuerint supra vel infra corneam, conficito pulverem è Saccharo candido, Alumine combusto, & Sepiæ osse, sed tenuissimè contusum & succretum incerniculo, ut tactũ effugiat, ut quum cubitum pergit ex canaliculo pennæ, parum de hoc pulvere insuffletur, moxq; aquę guttam instillabis, oculos claudat ac dormiat, nam celerrimè diluetur.

Vel si sint maculæ, misceantur cum uncia semis illius liquoris Ophthalmici, olei Laterini quater rectificati, & olei

Fœniculi ſemel rectificati, ana guttæ 4. item duæ guttæ olei Succini rectificati, ac in die de hoc liquore benè mixto bis, manè & veſperi, ſemper una atque altera gutta oculo indantur.

Mirum & ſtupendum Ophthalmicum fit è Cancris & Chelidonia, quod ſi debito artificio & tempore præparetur, oculos ad deſperationem læſos virtuoſiſſimè reſtituit, & omnia vulnera ſpatio 24. horarum conglutinat.

ODONTALGICUM.

OLEUM ANODYNUM.

℞ Olei Caryophyllorum rectificati unciam ſemis, ſolve in illo drachmam ſemis Camphoræ, adde poſtea ſpiritus Terebinthinæ quater rectificati unciam ſemis, & mixtum hunc liquorem ad neceſſarios uſus ſerva.

Uſus.

Gutta j. vel altera denti dolenti eroſo cum goſſypio indatur ad ſopiendos dolores.

AQVA EJUSDEM EFFICACIÆ.

℞ Serpilli
Origani
Salviæ
Mentaſtri
Hydropiperis ſeu Perſicarię
Raſuræ Guajaci

Ra-

Raſuræ Tamariſci
Buxi ana m. j.

affunde S.v. Opiaticum, videlicet à Laudani confectione reſiduum, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, ſtent in calore, vitro clauſo, donec tingatur ſpiritus: De hoc ſpiritu Tincto tantillum in ore cõtineatur, parte illa ubi ſunt dolentes dentes, poſtea iterum expuatur: reiteretur ſi opus eſt. Si dens ſit concavus, goſſypium intinctum imponatur. Efficaciſſimè omnes dolores dentium ſopit.

PECTORALE.

LAC SULPHURIS.

℞ Sulphuris flavi triti vel cribrati, vel florum Sulphuris partem j. & Salis Tartari partes tres, pone in vitro ore capaci, luto obducto colloceturin arenam, affundatur aqua pluvialis deſtillata ad eminentiam 6. digitorum: Vitri quarta pars ſit vacua, quæ extra arenam promineat, ſubiice ignem ſucceſſivè, ut bulliat, lignea ſpatula diligenter agitetur, donec Sulphur ferè omne in illis ebullitionibus ſolutum ſit, quod ſpatio 5. vel 6. horarum fit, tunc enim liquor rubeſcit, mediocriter ſãltẽ ſi inſpiſsãdo inſtar lixivii: Si aqua inter bulliendũ evaneſcit, affundatur alia fervida: Ultimò ubi ferè omne Sulphur ſolutũ eſt, & liquor rubeus ad eminentiam triũ digitorũ tranſverſorũ reſtat, tunc ita calidè filtratur, per chartã Emporeticã, & defiltrata calidã ſolutione parũ in alio vitro ponitur, & cõfeſtim dum adhuc calet, affunditur vinum (ſunt qui aceto

aceto deſtillato utuntur, ſed vinum præſtat) lentè, celeri tamen & alto lapſu, tamdiu, donec colorē ſpiſſi lactis acquirat. Hoc poſtea in peculiari vitro ſervatur, & proceditur eodem modo cum reſtante ſolutione calida & vino: ultimò omnem lacteum liquorem miſce, & pone in loco tepido, donec albedo Sulphuris à vino cœrulei & rubei coloris in fundum deſcendendo ſe ſeparaverit, abſtrahe tunc vinum per inclinationem, & affunde aquam pluvialem deſtillatam miſcendo: ſtet diem & noctem ac iterum effundatur affundendo novā: Hoc toties reiteretur, donec nulla nigredo ſeu impuritas in aqua amplius appareat, nec ſenſibilis fœtor, poſtea poſt debitam reſidentiam & effuſionem aquæ ſiccatur per ſe in hypocauſto, & ſervatur inſtar pollinis, vel antequam planè ſiccetur, miſceatur aqua Cinamomi, vel alia appropriata, ut fiat pultis inſtar vel lactis, & priuſquam ad uſum medicum adhibeatur, diligenter moveatur.

Vires, Uſus, & Doſis Lactis Sulphuris.

1. Balſamum eſt humidi radicalis.
2. Confortat vires Naturales.
3. Purificat ſanguinem ab omnibus impuritatibus, unde varii morbi oriri ſolent.
4. Præſervativum Apoplexiæ.
   Convulſionis nervorum.
   Lepræ.
   Luis venereæ.
5. Specificum Pulmonum, præſervat & ſanat Aſthma.
6. Tollit

6. Tollit antiquam & recentem Tuſſim.
7. Conſumit & exiccat fluxus Capitis.
8. Confortat Cerebrum.
9. Ventoſitates Ventriculi & Colicam impedit.
10. Hecticis & aridis peculiariter ſua confortatione prodeſt, cum aqua Cinamomi ſi miſceatur, ut fiat inſtar lactis liquidi.
11. Phthiſicos ocularitèr iuvat, agendo in humidum radicale, teſtimonio ægrotantium.
12. In Arthritide, Podagra, Schiatica, & ſimilibus morbis, ſummoperè etiam conducit.
13. Inſtar Ignis occulti conſumit morbum non aliter ac Ignis vulgaris lignum abſumit.

Doſis.

Tantum pulveris miſcetur, ut vehiculum quaſi albicante colore tingatur: manè & veſperi j. cochl. Ante exhibitionem diligenter liquori immiſceatur.

Offertur in aquis ſtillatiis Cinamomi, Meliſſæ, Lavendulæ, aqua Epilepticâ: vel in Spiritu vini.

CORDIALE.

Præcipuum in medico, qui ægrotum curat, ut Cor benè defendat, & poſtea morbum aggrediatur. Quibus Harmonica Analogia Superiorum & Inferiorum innotuit, & qui ex Aſtrologorum ſuffragiis, duobus Maxi-

mis Cœli Luminibus duo maxima hominis viscera, COR videlicet & CEREBRVM, dicata esse didicere, diffiteri nequeunt, maximum Confortativum Cordis in Natura Rerum latenter quiescere in Auro septem sigillis munito, sicuti in præfatione utrâque satis annotatũ est. Fatentur vulgares medici Aurum Cor confortare, quod non de Communi Auro mortuo, aspectu saltem Cor exhilarante, sed de Philosophico Vivo, Regenerato, Plusquamperfecto, & in omni liquore resolubili audiendum. Et quâvis gemmæ quædam Auro præferantur, non tamẽ hoc fit, quod Auro sint meliores, sed quia rariores & pauciores inveniuntur. Auro enim Natura non contemptibiles indidit virtutes, quas qui scit eruere, & arte tractare poterit, cõperiet Aurum quod mortuũ & sterile videbatur, vivũ adeò esse & prægnans, ut germinet, ac de se novum Aurum, novis & iisdem infinitis progeneret incrementis. Quod autẽ metallorũ generatio non adeo ut in Vegetabilibus & Animalibus ad oculũ patet, in causa est crassa illa Terrestris moles, per quã spiritus Vegetativus velut carcere incluſus impeditur, quo minus officio suo fungi, sibi similia generare possit: Hic si per artem à Terrestri illa domo & sepulchro liberatus, & ab omnibus inquinamẽtis exolutus fuerit, sine dubio æque ut omnes aliæ Creaturæ vis generativæ particeps erit, fructumq; suo semini correspondentẽ proferre poterit, sicq; metallũ producet metallum, Aurũ generabit Aurum. Inde Verus Philosophus mirabilẽ & omnibus expetendã concinnabit medelam, quæ & metallorũ imperfectorum, & humanorũ corporũ morbis incurabilibus affe-

In auro est omnium magisteriorum reservaculum: auri enim Quinta essentia resistit Solis & reliquorum Planetarũ operationibus in Homine.

affectorũ omnia vitia tollet. Felicẽ illũ & terq; quaterq; felicem Medicũ, qui materiæ universalis debitæ tria prima summoperè purificata ac debita proportione juncta, ita Rotatione Physica per omnes colores requisitos in Phœnicem incõbustibilẽ redigere poterit, cuius beneficio Aurum in fluxu actualiter vegetari & animari, ipseq; Phœnix eadẽ opera inseparabili modo aurificari possit: Fortunatũ inquã illum medicũ, qui favente SOLE Cœlesti, ex Anatomiæ Magicę & Philosophicæ Pyronomiæ legibus SOLEM METALLICUM, per illã plurimorum nominum Hylealem Aquã solutum & regeneratum SOLIS VEGETABILIS seu Spiritus vini generosi appropriato vehiculo SOLI ANIMALI seu Cordi microcosmico hominis videlicet Spiritui vitæ tanquã simili ritè ac Harmonicè applicare novit. Cum donorum dator mei hac in parte nondum misertus sit, vt suprà dixi, licet varias tentarim vias, & è centum ferè descriptionib. Auri Potabilis, seu Putabilis potius, multas irrito conatu post tẽporis & sumtuum jacturas in igne examinaverim, nollẽ etiã hoc loco candidum lectorẽ Chymicum naso suspendere, quia promisi me Experta saltẽ in hoc meo libro traditurum: Ut tamen avidæ quorundam expectationi satisfaciã, unam saltẽ descriptionem non ita pridẽ mihi fideliter cõmunicatam paulo post inserã, quæ quamvis à veritate nõ videtur esse aliena, illã tamen mea Experientia nõ cõprobatam, lectori cupido, cui integrum est, examinandam offero. Rationes autem & Viæ Alchymistarum vulgarium in cõficiendo Auro Potabili, ineptæ, humanæ Naturæ inconducibiles, & à proposito Philosophorum

Quatuor Naturæ Principia.
Inter Cœlestia Sol obtinet primas.
Inter Vegetabilia Vinum.
Inter Animalia Homo.
Inter Mineralia Aurum.

longissimæ sunt, quicquid etiam hoc nomine glorientur & mentiantur. Nam quicquid redigitur in corpus, hoc ipsum crudum & indecoctum est: Natura enim bonum in melius, per alterationis modum transfert: Sed hoc Aurum quod ab ipsis tractatur, neq; alterationem passum est, neque solutionem Physicam; In melius ergo non deducitur: Et quamvis multi per Spiritum Salis vulgarem, nonnulli per Spiritum Vini Alcoholisatum, alii per Acetum radicatum, alii prius per Salia corrosiva, postea per Spiritum Terebinthinæ seu Olea Aromatica & similia deliramenta conantur Aurum ut stirpem metallicam, quam ab Animalium & Vegetabilium provincia immeritò excludunt, solvere, in vanum tamen laborare omnes ipsa Experientia testatur. Aqua Sapientię Philosophorum una est, quæ omnia metalla & lapides ab impuro Puncti Quaternarii coagulationis vinculo Philosophicè & Naturaliter liberat: nec est sub Cœlo modus alius dissolvendi Physicè Corpus Solis quàm per Universale Menstruũ Mercuriale Philosophorum totius Naturæ secretissimum, quo dum per ignorantiam & difficultatem acquirendi caremus, consueverunt in defectu Perdicum, famem etiam Carnes bubulæ sedare, siquidem coquus in absentia ligni quercini ad coquendos cibos utitur fagino seu betulino. Porrò Aurum in quo est Elementorum adæquatio, est Universale subjectum ad Animalia, Vegetabilia & Mineralia, Vita rerum omnium: Et ut cum Sole Cœlesti singularem concordantiam habet, sic etiam cum Corpore humano sua forma interna magnam possidet affinitatem & Harmoniam. Quemadmo-

Cœlum aureũ nullo in puro mediante reseratur, ideo facultates & ponderosius Lucifer olim è cœlo spirituali dejectus fuit.

Veteres non sine causa dixerunt in Sole & Sale contineri omnia videlicet non illo excrementitio, sed Centrali Balsamo Naturæ universali, quod ab omni ævo Veræ Halchymiæ nomen dedit.

Lege Rodargirii Zodiacum inferiorem de signis hyemalibus, & Lullii Cœlum Philosophorum, de Sale Centrali: Huic Cœlo Philosophico applicamus stellas suas Terrenas, quæ sunt plãtæ, lapides & metalla.

Vt in animantibus universo Corpori ipsum Cor, sic Cœlo & Mundo præest Sol, gaudium totius Creaturæ, in ipsum universum mundum, & quæ in eo sunt, imperium habens.

admodum autem Sol Cœlestis se habet erga reliquos Planetas, tanquam Rex enim sedet in meditullio aliorum Planetarum, luce, magnitudine, pulchritudine, omnes excellens, omnes illuminans, virtutemq; illis ad inferiora quæq; disponenda distribuens: Ita etiam Sol Philosophicus seu Naturale Aurum erga reliqua metalla: Metallorum enim purissimum est Aurum, in quo splendor Solis Ignisq; Cœlestis radius est, & in cujus corpore perfectissimo quatuor Elementa conveniunt. Rubinus habet in se effectum omnium Lapidum pretiosorum, sic etiam habet Aurum (nobilior lapis omnium pretiosorum) in se virtutem omnium lapidum ductibilium, metalorum scilicet, quia continet in se omne metallum, & ea tingit & vivificat. Et sicuti superiores Cœlestes Planetæ suum Splendorem & Lumen accipiunt à Sole Cœlesti. Eodem planè ac simili modo accipiunt Terrestres Planetæ vel corpora metallica suum Splendorem, Lumen, Vim, & Radios ab Auro, utpote à Philosophico & Terrestri Sole. Hinc videre est, cur antiquissimi Cabalistæ & Sapientes Magiæ Naturalis periti, plenariam totius Naturæ cognitionem in Dei Lumine adepti, Exordia Rerum omnium totius mundi Puncto Lineæ rectæ, & Peripheriæ assimilarunt: Item cur metallis Characteres & Nomina Cœlestium Planetarum impertiti sunt, videlicet propter singularem correspondentiam, & quia se invicem sine magno discrimine interpretantur. Auro metallorum Regi & Capiti secundum HERMETEM, corpori videlicet perfectissimo & purissimo, à nullo Elementorum domabili, & à Deo & à Natura perfe-

Vide Monadẽ Hieroglyphicã.

ctè secundum materiam & formam elaborato, non solum omnes Cœlestes Vires Planetarum aliorumque corporum metallicorum ac mineralium, sed & Vegetabilium & Animalium infusæ sunt; Ideò hanc Temperatam Elementorum desponsationem & conjunctionem, non potest Ignis violentia separare, nec Terræ fæculentia vitiare, nec Aquæ limositas contaminare, nec cõtractus Aëris obumbrare aut corrumpere. Unde à Sophis tàm propter Cœlestes, quàm Terrestres latentes vires omnis Homo, Microcosmus, & Adam nominabatur: sicuti illud finis & perfectio operis Naturæ: imò Septenarius perfectionis Numerus verè completus est, ultra quem Natura (sine adjutorio Artis) in sua potentia & operatione altius procedere non potis est, sed Sabbatizat & quiescit. Verùm vt intelligatur quomodo Cœlestia corpora Planetarum & stellarum, virtutes etiam Elementorum & Vegetabilium suas vires Auro sub Terra communicent, sequentia syncerè Philosophantium relinquimus cõsideranda & excutienda judiciis. Tota machina Creationis secundum Cabalistas Hebræorum in tres Orbes seu Mũdos dividitur, in Mundum ELEMENTAREM, scilicet hunc sensibilem, infimum, cujus partes sunt Cœlum & Terra: in INTELLECTUALEM seu Angelicum: & in ARCHETYPUM. Hi tres Mundi sunt figurati à Moyse evidentissimè in admirabili illius Tabernaculi sui, secundum Archetypum in Monte demonstrati constructione: in Mundo sensibili est Elementaris Regio & Cœlestis. *Elementaris* concluſa & cincta Cœlo exteriori seu Firmamento, continet in se quatuor Elemen-

Aurum est omnis Naturæ.

Exod. cap. 26. sect. 30.

menta, generationibus & corruptionibus obnoxia. In Cœlesti Planetæ & reliquæ stellæ, seu corpora Cœlestia suã gubernationem habent & officia exequuntur. SECUNDA Regio, habitatio seu locus Angelorum est, à doctis Rabinis MUNDUS INTELLIGENTIÆ vocatur. TERTIA continet MUNDUM ARCHETYPUM. Jam vero descendit Potentia & Voluntas Divina, antequam se inferioribus communicat, primo ad Intelligentias aut Angelos, ab illis ad Sphæras Firmamenti Planetarum aut stellarum: ultimò venit in mundum Elementarem, vel in Regionem quatuor Elementorum, ubi postrema executio mandatorum & Voluntatis Divinę (ut Hebræi loquuntur) impletur & perficitur. Deus autẽ unicuiq; ex illis tribus Regionibus indidit similitudinem seu Exemplar suæ Divinæ Omnipotẽtiæ, nõ eo fine ut sibi ceu Creatori æquale illud sit, velut per se sua spõte omnia facere potis esset: sed ut illæ effigies sint tanquã simulachra significantia saltem & demonstrantia Essentiam Divinam, per quæ Deus Omnipotẽtem suam vim, & Potentiam sentiendã & oculis cernendã exhibet, attestante Paulo Rom. 1. Deum Ethnicis vel Hominib. Invisibilem suam Essentiam, hoc est, æternã viam & Deitatẽ feciſſe manifestissimam per opera sua, videlicet in Creatione mũdi. In ARCHETYPO sunt IDEÆ & Divinæ DIGNITATES DEI: In INTELLECTUALEM mundum collocavit ANGELOS seu INTELLIGENTIAS. In COELESTEM verò Regionem seu mundum hunc SENSUALEM collocavit PRIMUM MOBILE seu ut alij loquuntur Secũdam motionem post Angelos ceu primam Creaturam corporalem & Fontem omnis vitæ & motionis

Supremi ordinis monita medius ordo inferioribus interpretatur.

Movetur tertius à secundo, secundus à primo regitur.

Sect. 20.

Deus in dispositione & ordinatione Rerum per gradus semper nobiliorem in summo gradu collocavit.

In hanc autem Cœlestem Regionem posuit SOLEM quasi Regem & Gubernatorem stellarum & fontem omnis Luminis. Anima enim mundi seu Natura media in SOLE præcipue habitat, ut quæ globum Solis totum implēs radios suos undiq; quasi spiritum effundit per omnia, vitam, sensum & motum ipsi universo distribuens, & cuncta permeans Enti. In Sole igitur omnes Naturæ vires quasi in Receptaculo & Fonte perenni reconditæ sunt: Et sicut in Humano corpore Cor est scaturgio vitalis spiritus & sanguinis, omnibus reliquis membris motum & vigorem impertiens: Ita Sol Cor Cœli vicissim tanquam omnium Virtutum Elementarium Dominus per universam Naturam suos spargit & infundit radios. In Mundum Elementarem AURUM, quasi Receptaculum & subjectum omnium Elementarium Cœlestium & Supercœlestium Virium: quæ postquam à Supercœlesti & Cœlesti Influentiâ deorsum in Mundum Elementarem delapsę sunt, simul in hoc metallum unicum concentrando se confluxerunt, & sic finaliter in illo colligatæ asservantur & concluduntur. Auri enim spiritus secretissimus Cœlestis, omnibus Creaturis totius mundi Vitam, Substantiam, Essentiam largiens, & hac Ratione Imaginem DEI gerit proxime: Idem Spiritus in Cœlo liberrimè diffusus motu & virtute sua est: In Terra autem & maximè in Centro ejus arctissimè contractus condensatur jam & quasi incorporatur in substantiam illorū, quæ in Centro Terræ proveniunt: In metallis totus clauditur & figitur: Et hoc ut clarius explicetur tenendum est. Quando Solis Peripheria in Cœlo volvitur

Animæ omnes ad unam Animam mundi & Planetæ omnes ad Solem unicū ceu Regem omnium referri debent.

S uper O mnia L ucet, & est Sapientiæ Humanæ Fermentum.

Solis vis peculiariter micat in lapide, cum enim in qualibet re Naturali eius insit spiritus, eo magis erit in Auro & Lapide, qui Naturam suo laborantem defectu iuvat & instaurat.

Ideo Paracelsus non sine ratione in libro Vexationum Aurum constituit triplex.

Metalla infimum circuli sortita sunt locum, in medio Centri Terræ delitescentia.

vitur & permeat vias seu plateas itineris Cœlestis (ubi ad Planetarum aliarum ve stellarum domos & hospitia divertit, siquidem ejus ductu Planetæ omnes agitantur, præsentiâ non dum conjuncti torquentur, & conjunctione corporali lætantur) confortando illarum vim, & operationem, quam in Aëre habent, excitat (cum Marte videlicet Calorem, cum Saturno Frigus) & unicuiq; infundit Lumen, vitam, & motum usque ad infima & profundissima loca Terræ. Unde ab Heraclito Fons Luminis Cœlestis, ab Orpheo Lux Vitæ & Oculus Mundi, seu vivificus Cœli Oculus, qui omnibus rebus calorem, lucem, vitamq; inspirat dicitur. Ignis externi natura est omnes Ignes in occulto latentes vivificare: Ita Sol à Deo ordinatus in eum finem in hunc mundum, ut omnes occultos & quiescentes Ignes incendat, nimirum Sphæras Planetarum qui nobis non apparent, per se enim sunt mortui, si vero incenduntur, sunt vivi & operantur suas proprietates: A Paracelso Sol vocatur Spiraculum Vitæ Elementorum: à Platone & Zoroastro Cœlestis & Invincibilis Ignis vocatus est: Pater Luminum splendorem Ignis sui emittens & communicans primò Soli & ceteris Cœlestibus corporibus, indè tanquam per media instrumenta in hunc Ignē nostrum influit: Et hoc modo omnium Planetarū vires & virtutes in Sole reperiūtur. Et Jamblichus verè dixit: Quicquid habemus doni, habemus à Sole, vel ab ipso solo, vel ab ipso per alia, quamuis enim aliquid ab aliis habeamus, illud tamè à Sole desumptum est. Ideo in Sole Cœli Corde, ut in potēti scaturigine vel fonte reperiuntur Cœlestes occultæ operationes

Sol à nemine accipit, sed ardet & lucet semper de se, & à solo Deo regitur.

Nil sine Luna beneficio unquã perfeceris, quia Luna virtute Solis Domina generationis augmenti & decrementi.

Luna quasi luce lucens aliena, quia ipsa nõ lucet de se, sed omnem splendorem suum à Sole mutuatur.

Absque Luna intermedia, vim superiorũ attrahere omnino nequimus.

Luna licet ab omnibus stellis vires suscipiat, potissimũ tamẽ in Sole quoties illi coniungitur vivifica virtute repletur ac pro illius intuitu complexionẽ mutuatur.

tiones corporum Cœlestium: sed Cœlestis Regina & Uxor Solis Luna, videlicet omnium Cœlestium influxuum virtutumq; ultimum receptaculum, Solis cererorumq; Planetarum atq; stellarũ radios & influxus quasi fœtum suspiciens, inferiori mũdo sibi vicino quasi parturiens edit: Et æstimatur à Deo sapientissimo Sphæram Lunæ in infimo loco corporum Cœlestium, & supremo Elementarium motuũ creatam & collocatam, ut ab illa desuper possint accipi Vires & Influentiæ Cœlestes Astrorum, & ipsa supple Luna easdem à se refundere in omnia Elementaria, vel in ipsa Elementa usq; in Terræ globum distribuere, & cuiusq; rei peculiare ac proprium Innatum Astrum cum superioribus conspirans hoc pacto excitare. Hinc apparet, quomodo Anima mundi per Supercœlestem Invisibilem & Insensibilem Ignem commoveat Lumen & Ignem Solis, qui postea movet Vires Astrorum & tandem demittit per Lunam in Terræ globum, usq; in intima Abyssi profunda distribuẽdo, quemadmodum semen virile in globum vel vas matricis ejaculatur. Quia igitur hanc singularem conformitatem, concordantiam, similitudinem mutuo inter se habent Sol Cœlestis & Terrestre Aurum, veteres Sophi & Cabalistæ etiam utrumq; tam Cœlestẽ quam Terrestem Solem uno charactere Hieroglyphico videlicet integro Circulo & visibili Centro describere & præfigurare voluerunt: siquidem Solis character tũ Cœlum tum Terrã refert, nam Circulus Cœlestes motus & Influentias, Centrum Terrenam & Fixam Naturam promittit. Quicunque Veri Puncti & Centri Rationem cognoscit, nihil in Rerum

Rerum natura vnquam ipsum latere potest, cujus non perfectam habet notitiam: In eo siquidem Rerum abditarum Fundamentum & Radix cum cõsistat, non immeritò etiam omnium artium & scientiarum Fundamenta naturalia hinc primum elicienda & depromenda sunt: Sed ad communicatum Aurum Potabile veniamus.

Primò requiritur Calx Solis subtilissima, quam olim pro aliis tamen usibus ita præparavi.

℞ libram semis Aquæ Fortis communis, solve in illa unciam vnam Salis Armoniaci, vel quantum solvere potest in parvo calore: Ita habebis Aquam Regis, in qua tantum solves Auri quantũ libuerit, postea effundatur solutio in vitrũ capax, & guttatim saltem (propter ebullitionis strepitum & periculum) instilla de bono oleo Tartari in cella per se resoluti: in hujus defectu Tartari Sal in aqua communi solutum accipiatur: requiritur aũt olei Tartari bona quantitas, tunc Aurum cadit ex repercussione in fundũ: Ubi tota Auri Calx soluta fundũ petiisse videtur (quod animadvertes è colore Aquæ Regis, qui debet esse albus, nam si adhuc flavus sit, signum est totum Aurum nondum repercussum, plus igitur olei Tartari guttatim affundatur, hoc meo damno fideliter admonitus sis) tunc post subsidentiam aliquot horarum in calido liquorem superiorem effunde, & Calcem (colore ferè Terram sigillatam pallidam referentem) quater vel quinquies aqua calida edulcoratam, postea in B.M. prudenter & paulatim lentissimo igne sicca, vel quod tutius in patina vitrea per se spontè in hypocausto siccescat, nullo ignis calore

adhibito: Calcem lignea ſpatula non ferrea, poſtea majoris ſecuritatis gratia collectam ad uſus in vitreo vaſculo recondé. Nota magnum eſſe periculum, ſi alio modo exiccetur, quàm prædictis duobus: quamprimum enim calorem ignis ſentit, & fortiorem cõmotionem cum inſtrumento ferreo, concipit ſpontè flammam, & in auras abit purpurei fumi in modum, cum maximo ſonitu & ſtrepitu inſtar pulveris nitrati, adeò ut ne unicam Atomum reperire poſſis. Novi qui cum periculo vitæ hunc eximprudentia confecerunt. Sunt qui magno juvamine aliquot grana huius Auri Volatilis ad uſus medicos intra corpus loco Diaphoretici exhibent. Si aliquid de Sulphure vulgari trito ipſi immiſceatur, & poſtea in crucibulo admoto igne exuratur, ſubtiliſſima Calx Auri remanet brunni coloris, quæ omnem vim percutiendi amiſit, quod mirum & notatu dignum eſt.

Scrupulus unus iſtius Auri Volatilis fortius & potentius ferè operatur, quàm libra ſemis Pulveris Tormentarii.

Granum unum vel alterum cultro impoſitum ſi ſuppoſita candelæ accenſa incaleſcat, ſimilem ſonum edit, ac ſi magna aliqua fuiſſet exploſa bombarda, & ſonus ille præacutus audienti & aſtanti quaſi auditum lædit.

Operatio hujus Pulveris contraria eſt operationi Pulveris Pyrii. Ut enim hic vim ſuam per ſuperiora aſcendendo exerit; ita alter è contra per inferiora ſaltem deorſum operatur. Aliquot ſcrupuli ſuper Laminam ferream ſatis craſſam carbone incenſi, illam penetrandò perforant.

Sal Armoniacum exiſtimo eſſe percuſſionis illius cauſam: Ratio-

Rationes meas hîc in medium proferam, donec probabiliores aliis adducantur. Quemadmodum enim Sal nitrum & Sulphur ſunt hoſtes, & ſe invicem non compatiuntur, ut videmus in præparati Pulveris Tormentarii accenſione: Eodem modo Sal Armoniacum & Tartarus ſibi contrariantur: Quando ergo Sal Armoniacum cum oleo Tartari ſuo hoſte conjungitur, faciunt ex illa mutua pugna Aurum cadere, in Aqua Regis prius ſolutum, & oleum Tartari percutit Spiritũ nitri ſummè purificatum, qui ſe in illo conflictu conjungit cum Sulphure Solis ſuo adverſario: Et quia Sulphur illud Solis à natura ſummè depuratum eſt, & vulgari noſtro combuſtibili Sulphure longè ſubtilius, ideò valentius, & in minori quantitate operationes ſuas ſtupendas potenter perficit: Eodem planè modo, quo Sulphur vulgare & Sal petræ in Pyrio Pulvere conjuncta & incenſa, magnum ſtrepitum & fragorem facere animadvertimus.

Hæc Calx in oleo Salis inſtar Butyri liqueſcit, idq; propter remanentiam ſiccorum ſpirituum Salis nitri, Vera tamen & Radicalis non eſt ſolutio, quia iterum in corpus reduci poteſt.

Hucuſque eſt mea Experientia, quam olim etiam Auguſtiſſimo Imperatori noſtro RUDOLPHO expetenti, cum aliis quibuſdam ſecretis medicis communicavi.

Sequitur jam Proceſſus Auri Potabilis ulterior, quem ſingulari munere acceptum Chymiæ ſtudioſis (ut & reliqua) gratis atq; non expertum libenter & fideliter offero.

℞ Urinæ Hominis ſani bibentis vinum circiter 20. men-

ſuras, pone in aliquot alẽbicis vitreis, abſtrahe ab his viginti menſuris tantum phlegmatis in Balneo, ut ſaltem menſura vna maneat reſidua, phlegmata abſtracta abiiciantur, remanentiam in vnum collectam miſceto, & abſtrahe in arena, quantum ſtillare vult, ultimo augendo ignem fortiter, ſublimabit ſe aliquantulum: ſublimatum illum miſce cũ Spiritu deſtillato, reſiduum Sal quod in fundo manſit, aufer, Spiritus deſtillatus fœtebit, cujus ferè menſura erit integra: Hunc Spiritum rectifica in Balneo, ſervata priori quarta parte, quę fortis & melior eſt, ac poſteriori ablata. Poſtea accipe aquã pluvialem vel fontanam recentem, affunde Spiritui reſervato, & ſuperet eundem pondere quadruplo, adapta vas recipiens, dum guttæ acidæ cadunt, partim inſtar glaciei egrediuntur, affunde adhuc ſemel pluvialem vel fontanam aquam vt antea, & iterum deſtilla, ſi nulla aciditas amplius egreditur, tũc ceſſa: Spiritus Urinæ primò venit, aqua pluviali cum fœtore remanente. Hujus Spiritus Urinæ accipe partem j. optimi Spiritus vini partem alteram miſce, ſtent in leni calore per diem & noctem, poſtea vnâ deſtillentur. tunc hi duo Spiritus ſe invicem coagularunt: Et ſic Spiritus Urinæ ad hunc laborem paratus eſt.

Nunc Oleum Salis requiritur, cujus præparatio talis eſt.

℞ Salis fuſi quantum vis, pone in retorta terrea loricata, adjunge capax vas recipiens, juncturis benè clauſis, quando Sal in fluxu ſtat, tunc Spiritus egrediuntur in vas recipiens: aut ſi cum argilla feceris, addi poteſt aqua in Recipientem, vt Spiritus egreſſi eò citius ſe cum illa miſceant: Sed dictus

dictus ſpiritus, ante uſum, prius ſupra Salẽ fuſum recentem aliquoties rectificandus eſt, ut ſit fortior, per ſe enim nimis debilis eſt, ad hanc operationem.

Poſtea accipe de Calce Solis ſupra dicta & affunde Oleum Salis, ac ut eo melius ſolvatur abſtrahe Oleum Salis iterum uſque ad oleitatem, & denuo affunde Oleum Salis, aliquoties hunc cohobationis laborem repetendo donec Calx bene ſoluta ſit.

Deinde hujus ſoluti accipe partem j. & præparati Spiritus Urinæ partem alteram, inſtilla guttatim ſaltem Spiritum Urinæ, obſtruendo ſemper vitri capacis orificium, donec ſtrepitus ceſſet: In lẽto calore Balnei per 4 ſeptimanas ſtet in putrefactione, poſtea per retortã in arena pellatur, ſervatis gradib. Ignis primo lento, ultimo fortiori, ut retorta candeſcat, tunc Aurum maxima ex parte aſcendit, quem ſublimatum pulverem diligenter ſerva, Oleum enim Salis per ſe egreſſum eſt quod ſeponatur. Tandem accipe hunc ſublimatũ Solis, affunde Spiritum vini, & colorabitur in colore lẽto, affunde alium priori per inclinationem ablato, continuando donec affuſus recens Spiritus non amplius coloretur. Hic Spiritus vini poteſt abſtrahi ad oleitatis remanentiam, vel ita tinctus cum Auri Eſſentia ad uſum medicũ ſervari. Calx Solis in retorta remanens denuo ſolvatur Oleo Salis, & digeratur cum Spiritu Urinæ, ut modo dictum, reiterando laborem, donec nil de Auro ſuperſit amplius. Si vero Spiritus vini cum extracta Solis Tinctura aliquot ſeptimanas ſtet in digeſtione, tunc totum fit Volatile Aurum & alembicum aſcendit.

Hunc

Hunc processum poterit experiri qui volet: si solutio esset rubicunda, arrideret magis siquidem solutiones Auri, quæ per corrosiva flavo fiunt colore, non dicuntur esse radicales solutiones, cum vas stanneum seu argēteum in quod infunduntur, nigredine afficiant, quod Philosophicæ solutiones facere non creduntur quæ sunt rubicūdissimæ: Insuper Metalla imperfecta tingunt, nec in corpus ullo artificio, nisi per projectionis modum reduci possunt. Lullus dicit præstare Ignem ardentem comedere cum oculis Basiliſci, quam loco Auri Potabilis, seu medicinæ perscientiam ignoratæ, Venenum applicare, quia Aurum Sophisticatum est totum impuritate plenum ex Igne cōtra Naturam, cum quo Sophista operatur: nam statim per res acutas Ignis contra Naturā (Humanæ Naturæ contrarias) Color Naturalis mortificatur & dissolvitur, & resolvuntur Cordis spiritus, in quibus Calor Naturalis conservatur. Ideo P. Severinus verè affirmat in sua idæa, Perfectissimorum corporum Balsama & desideratas proprietates illorum, tam duris (propter perfectam combinationē Elementorum) corporum carceribus contineri, vt favorem & beuevolentiam, quam Humanæ Naturæ debēr, demōstrare nō possint: Fiat ergo manifestatio occulti, quia omnes herbæ & mineralia ab intra sunt sanguis & sanguinei coloris, & sic præparata facilè sanguinem nostrum immutare, & ad suam complexionem elevare possunt. Ita Corallorum, Perlarum, Gemmarum, Auri, Argenti, reliquorumq; metallorum virtutes dolent se fruſtrâ in mūdanam provinciam venisse, & mortalium scelestam temeritatem incontinenter

Nemo periculo semel facto utetur secunda vice.

nenter accusant, quod tantarum prædestinationum immemores, ad quas Naturæ providentia destinabantur, in peregrinos & infames usus, eiusmodi Rerum majestatem commutaverint: Impuritatem pellis, Insciti am mentis tegere coguntur, & dolosa Avaritiæ, Superbiæ, Luxuriæ, Perfidiæ, Adulterii, Discordiæ, & Mortis ministeria subire: Hoc est, in nō naturalē usum Res transferre, iniquas usuras exercere. Qui verò Dei benignitate Fontem Universalis menstrui attingit, ille ex Philosophorum veridico relatu, poterit nō solum omnia & singula metalla, tum etiam lapides tam nobiles, quàm ignobiles ac minerales etiam ejusdem beneficio Naturaliter & radicaliter in sua tria resolvere, qui resolutus & potabilis liquor Regeneratus, separatis spontè in fundo fæcibus, postea à piè docto medico usibus humanis pro sua voluntate & arbitrio secundum morbi exigentiam legitimè accommodari, & stupendo successu administrari potest.

Oportet ut Mors precedat Regenerationē.

Hoc loco syncerum lectorem candidè de quibusdam imposturis præcavendis admonitum velim, posse illo pulvere Auri Volatilis à malitiosis agyrtis litera longa dignis, vario modo simplicibus & incautis hominibus imponi. Cōmunicaram ipsum aliquando cuidam Philosopho corticario, sub syncēritate & pietate Pharisaica, hypocriticū & colubrinum dexterrimè decipientē animum tegenti, qui hunc pulverem (postquam ei Sulphuris triti admixtione, per admonitionē, vim percutiendi ademisset) de facie incognitum suis imposturis miscens, cum damno aliorum, & suo commodo Auri

multiplicationem apud plurimos attentavit. Idem furcifer, postquam intellexisset à me, Lunam in vulgari Aqua separatoria solutã, & aqua vulgari salita repercussam deiicere pulverem album in fundum, qui ter vel quater edulcoratus postea ad ignem in tigillo liquesceret, & post effusionem Cornu forma referret, hanc Corneam Lunam incognitam, ad candelam & ignem facilè liquescentem, & cultro sciſſilem, aliis mineralibus & plumbo admiscuit, & hac insigni ac damnabili impostura post cineritii examen, apud improvidos multos Saturni in Lunam transmutationem mentitus est.

STOMACHICUM.

OLEUM VITRIOLI VENERIS ET MARTIS.

Modus faciendi Vitriolum è Venere & Marte sine corrosivo.

Totum Artificium est, ut Metallum benè per Sulphur calcinetur.

℞ Laminati ferri vel Veneris (una enim est utriusque via) quantumvis, scinde in frusta magnitudinis semidaleri, fac stratum super stratum cum Sulphure pulverisato in tigillo lutato, pone in Igne Rotæ: Ignis ab initio tigillum non attingat, sed paulatim admovendo augendus est, quem ultimo fortificabis: Ita accenso Sulphure calcinantur prædictæ Laminæ, quod intra horam absolvitur: Ubi omnia refrixerunt, exime nigrocineritiam materiam instar æris usti, & tritam

tam cribra, eamque in olla non vitreata aperta positam per transversum (ut in præparatione Vitri Antimonii fit) move diligenter, supra Ignem Carbonum, ne liquescat, & Vitriolum in Cupro evanescat, sic Sulphur incenditur vel evaporat, move cum ferreo vel cupreo instrumento prout Vitriolum facere intendis de latere ad latus, ubi ferro vult adhærere, tunc satis est, & ab igne auferatur: Pulverisatam hanc Veneris Calcem pondera, & ad quamque libram accipe Sulphuris tres lotones, misce, & in olla pone ad latus, move supra lentum ignem per quadrantem horæ, ultimò ulla quasi candescat: Cuprum mollescit instar pastæ, & ferro adhæret: Frigescat ac tritum cribretur: adde denuò ad lib. unam tres lotones Sulphuris, calcina ut antea per quadrantem horæ. Hoc quinquies, sexies, vel septies repetitur, tunc calcinatio est absoluta. Nota diligenter, ut Calx semper benè siccetur, & ad libram j. saltem uncia cum dimidia Sulphuris præcisè sumatur. Calcem metalli tritam minutissimè accipe, & affunde in patina lignea aquam calidissimam, solvetur Calx, & aqua è Venere erit cœrulea, cola, colatam evapora, supra ignem incoquẽdo mediocriter, donec quasi crustam acquirat, reliquum in frigido concrescat, sic habebis è Cupro pulcherrimum Vitriolum Cœruleum, è Ferro viride. Fæces in aquæ fundo remanentes sicca, & non solutas iterum cum Sulphure calcina ut prius fecisti, servato pondere priori, postea lixivium fac, quod filtratum evaporabis. Hoc repete, donec toto Calx in lixivium abeat: Inde in terreo vase Görlicensi aut Wallenburgẽsi, vel in Cucurbita magna vitrea (cave ne

rumpatur) fac evaporet, donec cruſtam nanciſcatur, pone in loco frigido, tunc in fundo Veneris Vitriolum in ſtrias deſidet, ſapore ſubdulci, auferaquam & ſicca cryſtallos concretos: Aquam remanentem iterum incoque parum, & in frigidum locum ſi collocetur, denuo concreſcent lapilli, reiterando, donec totum in Vitriolum abeat: Poſſunt etiam bacilli imponi, ut Vitriolũ eò melius adhærere poſſit: Sulphur illorum fundum petens ſeorſim ſervetur ad ſuos uſus.

Ex his duobus Vitriolis Ferri & Cupri, Spiritus & Oleum prępatari Chymicè poſſunt, vulgari ac cognito modo, longè majoris efficaciæ & virtutis, quam è Vitriolo communi.

Hoc pacto habetur Fons acidus Artificialis: Acetum Eſurinum eſt in hoc Sulphure Vitriolato ſine corroſivo pręparato, perfectum Arcanum in corroborando languente ventriculo. Vide Theophr. in lib. de Vita Longa, & in lib. de Tartaro circa finem.

Hujus Olei Vitrioli Vires & Vſus.

Paracelſus vocat Partem Pharmacopolii quartam, & cuilibet Pharmacopæo ita commendat, ut ſit inſtar lapidis angularis in ſua officina.

1. Utimur 6.8. guttis in vino, aqua Mẽtæ criſpæ, vel quod melius in jure carnis calido; In debilibus ventriculi frigidis, quia digeſtionem promovet.

2. In Calculo & Arena in aqua Ononidis.

3. In Suffocatione matricis, in aqua Artemiſiæ.

4. In Febribus ſtomachi, caloribus & ſiti 12. vel 15. guttæ. In a-

In aqua Centaureæ, Vino, Roſarum, Anthos.

5. In omnibus morbis capitis, in aqua Lilii convallii, Lavendulæ.

6. In Ictero efficax eſt in aqua Chelidoniæ 15. vel 20. guttæ cum ſudore.

7. In Peſte miſcetur cum ſaccharo Candi & Electuario Juniperino, & ſic etiam loco prophylactici ſanitatis utimur.

8. Inuncti hydrargyro, & malè affecti Oleo Vitrioli cum Theriaca mixta ſudando reſtituuntur.

9. Externè Alopeciam, unamquamq; Tineam tribus diebus illinendo per ſe vel cum aqua Chelidoniæ curat.

10. Tollit omnem ſerpiginem, ſcabiem, pruritũ, & quicquid cuti ſolet adhærere, tentiginem pravam, ſyrones, &c. Sed ſine commiſeratione fiat inunctio, & pro defenſivo opodeltoch adhibeatur.

Nemo ſine dolore ſanitatem recuperat, inſtar prægnantis quæ ſine dolore nõ convaleſcit.

11. Poſt evacuatum corpus cum Theriaca ſeu aquis appropriatis ferè in omnibus morbis exhiberi poteſt: acidi tate enim ſua putredinem omnem arcet, partium verò tenuitate obſtructiones pellit.

Doſis.

Modus exhibitionis eſt ſaporis in acidũ mutatio: Dantur in aqua Acetoſæ vel ſpecifica alia potandæ tot guttæ, quot dentes ſtupidos non reddant, manifeſtam tamen guſtui aciditatem conciliant: per ſe nullus ſit eius uſus, ſed cum vehiculo, & parcus. Hoc ſi Chymicorum iniquus quidam convitiator intellexiſſet, intempeſtivo & immodico Olei hujus

usu bonum aliquem aut innominatum Virum, non è medio sustulisset: Dum utimur, probè debet agitari cum suo vehiculo, quia gravitate sua fundum petit.

Cautiones.

1. Propter aciditatem prodest Ventriculo languido, in quo tamen nulla Cholera aut Apostema, alioquin est ebullitio mutua & effervescentia (abstineant ergo Cholerici & Picrocholi à noxio ipsius usu) ut videmus in oleo Tartari & Aqua forti, quæ se invicem non compatiuntur: Similis est ratio in Jecore.

2. Usurus hoc Oleo, in vehiculo convenienti calido fiat, postea contineat se in lecto ac sudet: Videmus enim ejus operationem in majori mundo in frigido non perfici, sed in calido; talis etiam est ipsius operatio in microcosmo.

Porro Oleum Vitrioli pulcherrimo colore & durabili tingit.

Expressos succos Rosarum pallidarum,
Violarum.
Florum Pæoniæ.
Papaveris sylvestris.

Item Extractum Alkermes.

Et Oleum Caryophyllorum, si singulis debitè remisceatur.

Dulce Oleum Vitrioli, ut & illud Antimonii, de quo multi

multi gloriantur, apud neminem adhuc videre licuit, sicut nec genuinum Vitriolatum Sulphur Fixum, cui Anodyno stupendas vires Paracelsus tribuit.

Oleum Vitrioli subviride smaragdinum magnarum virium in medicina.

Parari potest, si Vitriolum purificatum, vehementissimo igne destilletur, ac post extractionē & purificationem Salis è capite mortuo (quod Sal tamen nullo modo ulterius in igne calcinandum aut igniendum est) denuò cum omni egresso liquore ad suum tempus in Balneo circuletur.

Variè operatur hoc Oleum per vomitum, sedes, urinam, sudorem.

Dosis guttæ 6. 8. 12. in liquore convenienti.

UTERINUM.

ARtemisia omnes obstructiones mulierum deoppilat. Ante menstruum & post partū decoctum ejus ad purgandam matricem adhibetur, addita una atque altera gutta olei Succini.

1. ELIXIR UTERINUM.

℞ Castorei lib. semis.
Croci uncias duas.

Extrahe Tincturam cujusque seorsim Spiritu vini, & separa Spiritum ad remanentiam Extractorum, quibus mixtis adde

Extracti Artemisiæ uncias quatuor.

Salis

Salis matris Perlarum unciam j.
Oleorum ſtillatitiorum Angelicæ.
Aniſi
Succini ana drach. ij.
Digerantur mixta omnia per octo dies.

Uſus, & Doſis.

Doſis hujus Elixiris ſcrupulus j. vel duo, ingruente paroxyſmo hyſterico, tunc illicò ſanantur. Quod ſi ſingulis menſibus appetentibus menſtruis æquali doſi utantur, non revertetur morbus.

2.

Pulvis compoſitus à Paracelſo deſcriptus è Lichenibus ſeu Callis Equarum cruribus innaſcẽtibus, etiam efficaciſſimus eſt, in ſuffocatione matricis. Fumus ejus per tritorium bombyce circumvolutum, ſuper ſedem clauſam manè & veſperi, vel inſtante paroxyſmo ab hyſtericis exceptus, ſufficit ad tollendas omnes matricis ſuffocationes deſperatiſſimas: Interius interim datur Spiritus Vitrioli cum Sale Corallorum in aqua Meliſſæ & Artemiſiæ.

3. EXTRACTUM SPLENIS BOVIS.

Paracelſus in Archidoxis facit in libr. myſteriorum hujus mentionem, quod Lienis obſtructiones expediat, & menſes provocet.

℞ igitur Splenem Bovis caſtrati, ſcinde in laminas tenues,

nues, maceretur per aliquot dies in Spiritu vini cum Myrrha eſſenſificato, poſtea exicca in aëre: Hoc modo procedendũ eſt, alioquin ſi per ſe velis exiccare, fœtebit, poſtea cum S.v. eſſentiam extrahe, & ſapidioris efficaciæ ergò adde pro libitu aliquot guttas olei Angelicæ.

Doſis.

Scrupulus unus in aqua appropriata.

Obſervatio.

In provocandis menſtruis tempus obſervandum, quo menſes in ægra fluere conſueverunt, tunc enim Renum & Lumborum dolores adeſſe plerunque ſolent, & ſic adjuvante Natura Remedium operabitur efficacius.

4. SAL JOVIS.

℞ Cinerem Stanni aperto igne ſine ſophiſticatione præparatum, ex illo Salem non aqua, ut habent irriti vulgarium deſcriptionum labores, ſed aceto deſtillato extrahas, quem poſtea à ſuo Sale aqua pluviali, ſolvendo, filtrando & leniſſimè in Balneo evaporando ſepties edulcora.

Vires, Uſus, & Doſis.

Secretum & efficaciſſimum in ſuffocatione calidè umbilico inunctum: matrix ubi ſentit calorem, confeſtim in locum ſuum redit, nec amplius inde movetur.

Doſis, tria grana, tribus aut quatuor auroris continuis in

ıqua Artemisiæ vel aquis cordialibus.

AQVA SINGULARIS, IN QVA HYSTERICIS SUFFOCATIONEM PATIENTIBUS offerri solet Sal prædictum.

℞ Rad. Diptami
Sem. Dauci ana unciam j.
Cinamomi electi
Cassiæ lign.
Melissæ ana scrupulos duos.
Croci Orientalis scrupulum j.
Castorei recentis scrup. j. & semis.

Ex omnibus mixtis fiat pulvis, & affundantur aquæ Rutæ libræ duæ cum dimidia, stent per 4. dies in infusione, destilla in B.M. & serva ad usum.

In huius Aquæ cochleari uno grana tria Salis offeruntur tepidè, tribus vel quatuor diluculis jejuno ventriculo per tres horas.

FEBRILE.

Si Febris è Mercurialibus, abstemii sunt.
Sulphure, evomunt quæ edunt.
Sale proprio, patiuntur orexin.
Hepate, sitis est vehementissima, tunc Laudano curatur.
Stomacho, sine siti pigerrimi sunt, olfaciunt quæ sentiunt, curatur Corallino.

Primò

Primò purgatio instituatur Turpeto minerali vel Panchymagogo, vel Floribus Antimonii albis: Ablata materia peccante, postea sequens Pulvis exhibeatur:

1. ℞ Cochlearum longas testas, quæ propè piscinas & lacus reperiũtur, affunde acetum de vino paratũ, stet per noctem, tunc extrahit mucorem, quem diligenter abrades cum scopis ferreis, quibus aurifabri utũtur, postea testas illas oblongas totas calcinando incinera ad albedinem & pulverisa.

Usus & Dosis pulveris.

Dosis scrupuli duo instante paroxysmo in hausto Cerevisiæ calidæ, cum tantillo butyro recenti. Rarò bis vel tertiò assumitur, quia primus haustus plerunque per sudorem sanat: Ideò in lecto se continentes infirmi sudorem expectent.

Nota medicamenta debere ex Theophrasti mente in Febribus exhiberi instante paroxysmo, vel paulo ante, ut simul cum paroxysmo operentur.

2. ℞ Olei Vitrioli scrupulum j.
Salis Absynthii scrupulum j. & semis.
Aquæ Cichorei unciam j. misce.

Post hunc assumptum haustum patiens sudorem in lecto tectus expectet, abigit omnes febres. Robusto datur hic potus integer: imbecilliori detur in tali dosi:

℞ Olei Vitrioli scrupulum semis.

Salis Absynthii scrupulum j.
Aquæ Cichorei unciam j. misce.

PESTILENTIALE.

ELIXIR PESTILENTIALE.

CUM Pestis sit Ira & peculiare Dei Flagellum, sequentia post Reconciliationem cum Deo & Proximo, Vitæq; emendationem ex usu esse poterunt.

℞ Florum Sulphuris Spagyricè præparatorum (ut paulò pòst dicetur) uncias tres, affunde olei Juniperini è baccis, in Balneo prius rectificati, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, (eodem modo cum Spiritu Terebinthinæ fieri potest Balsamus Sulphuris, cuius Tinctura postea Spiritu vini extrahitur ad effectus asthmaticos) olei Succini terna rectificatione in Balneo ab odoris vehementia liberati quarta pars ad oleum Baccarum Juniperi itidem affundatur, stet in Igne cinerum vel arenæ sæpius movendo, ut flores lentè sine adustione solvantur & liquescant: Postea habeas Theriacæ Venetæ libr. j. ex qua optimo Spiritu vini Tincturam extrahes, quam à Spiritu vini separatam seorsim servato extrahe eodem Spiritu, Radicum Elenii, Angelicæ, Baccarum Juniperi contusorum & mixtorum ana uncias tres, & Tincturam à Spiritu vini in Balneo separatam misce cum Tinctura Theriacæ, ac affunde oleum Juniperinum & Succini floribus

Extractii Enulæ Campanæ fere Sulphur superat in Peste.

floribus Sulphuris essensificatum, ac per papyrum bibulam prius filtratum: omniaque circula lentissimo cinerum calore per quatuordecim dies. Habebis secretum, quod in Peste & morbis Epidemicis ex Dei benignitate ad miraculum operari solet.

Vires, Usus, & Dosis.

In Peste est Præservativum & Curativum.

Dosis una vel duæ guttæ in vino vel aceto quotidiè manè: Vel singulis septimanis semel 8. vel 10. guttæ jejuno ventriculo expectato sudore assumantur. Præservat à putredine & nil impuri relinquit in corpore.

Correptus Peste statim ab initio accipiat à scrupulo j. ad ij. in vino, aceto rutaceo, vel alio liquore appropriato, & sudet, potenter venenum è corpore pellit.

FLORES SULPHURIS.

Crudi Sulphuris in medicina nullus debet esse usus, nisi ad manus sit illud, quod in fodinis reperitur, & Scissile vocatur, à Natura purificatum, quod cum floribus Sulphuris arte paratis, nulla prorsus repugnat: Nam ut hîc artificioso Igne, ita illinc Naturali, pars tenuior Sulphuris attollitur ad seditiora loca, eaq; & ratione plus coquitur: Ergo cum Scissile ad manus est, licet loco Florum uti: Sed quia rarò Natura nobis copiam Scissilis suppeditat, medici Chymici cœperunt de artificio cogitare, quo in illius penuria sublevarentur.

In agro Cracovienſi in Polonia, miro artificio Naturæ

Vesuvius Campaniæ mons.

depuratum conspicitur, & olim in Regno Neapolitano propè Puteolos ubi Mons sulphureus perpetuò ardet, cum desiderio vidi. Solet in illo loco Sulphur è saxis tanquam Ros exsudare: dulcissimus est ille Flos, qui si in copia haberetur, posset verus Spagyrus singulare sibi ex illo medicamentū Chymistico magisterio elicere.

Sulphur autem ibi conficitur, postquam vi ignis à lapidibus & Terra defæcatur.

Propè Salisburgum in Mineris cupreis, ubi Vitriolum coquunt è Minera, assatione, ut vocant, Sulphur solet avolare à Minera, quod deinde pollinis instar adhærere consuevit camino, ad hunc excipiendū & retinendum fumum studiosè extructo: Hic Flos Sulphuris benè depuratus est, & dum à Vitrioli Minera sublimatur, aliquam secum aciditatem retinuit.

Huius ergo in defectu Florum Chymicè præparatorum, cum commodo, sicuti sæpius expertus sum, uti possumus.

℞ Sulphuris flavissimi (illud enim rubri coloris habet multum Arsenici & Realgaris, & in medicinam non debet adhiberi) lib. j. Salis fusi libram semis, fluat prius Sal in crucibulo, quamprimum vbi fluxit, effundatur & frigescat, in mortario vel supra lapidem: Vitrioli Ungarici purificati & calcinati libram semis. Pulverisentur & misceantur invicem, imponantur Cucurbitæ vitreæ (cum collo mediocri non nimium capaci,) argilla benè munitæ, imponatur Alembicus altus & capax cum Recipiente, collocetur in cineres vel arenam, notandum tamen, ne nimia quanti-

quantitate arenæ cooperiatur, ne superior pars incalescens faciat Flores liquescere, & si tunc refrigescere finis Alembicus difficulter aufertur, nisi admotis prunis iterum liquescat: Non opus est luto, si benè quadret capitellum, nisi velis chartam farina madidam circumducere. His peractis da initio ignem lentum, post tres horas phlegma stillare incipiet, & durabit per 4. vel 5. horas: Ignis augendus est sensim magnis carbonibus, vt tandem patina in qua est arena, rubeat: Si ignis est continuus, ita vt Sulphur in Alembico quasi fluat, tunc citius sublimatur, non tamen sit excessivus, alioquin non flavo colore, sed nigro ascenderet.

Flores elevati in Alembicum citò eximantur, chartam videlicet rotundam & quadrantem semper subtus tenendo, ne sublevando capitellum Flores in arenam cadant, & interea, si Cucurbita tunc summè calet, sine mora orificium ejus tegatur, ne Sulphur ab aëre ingrediente, vt sæpè fieri solet, accendatur, & reponatur Alembicus ignisq; continuetur ad decem horas.

Refrigerentur post absolutam sublimationem omnia, & remoto Alembico Flores accipiantur, ac cum prioribus misceantur: Caput mortuum in quaq; sublimatione sit porosum & friabile, prunis aspersum non amplius ardeat: Id enim signum est privationis omnis bonitatis.

Rursus hos Flores misce cum Sale novo & Vitriolo servata priori proportione, perge omnino sicuti prima vice, quod quo

quo sæpius fit, eò plus tenuitatis acquirũt Flores, fiuntq; magis ac magis puriores. Tertiò pariter facito, sed pauciores Flores habebis: A tribus libris ter sublimatis habebis uncias viginti: In hac tertia repetitione consistere debes, eò tum quod plurimum decedit, tum quia tandem utiles partes Sulphuris figuntur.

Horum Florum dim diam partem cum gummatibus sequentibus selectissimis in tenuissimum pulverem tritis, mixtam servabis ad usum, ut monet Paracelsus in lib. Paragraph. & lib. de Natura, libro & capite de Sulphure.

℞ Florum simplicium Sulphuris ter elevatorum unciam j. & semis.
Myrrhæ select. drachm. j.
Aloe Fpatici scrupulum j.
Croci grana quindecim.
Terræ sigillatæ scrupulum j.
Sacchari quantum satis, dissolvatur in aqua Ros. vel Pectorali, & fiat massa, ex qua formentur Rotulæ.

Alteram partem modo sequẽti sublimabis, quamvis sint qui putent gummata inter sublimandum comburi: Elevatio ideò lentè fiat sine adustione.

℞ ergo dictorum Florum lib. j. & semis.
Colchotaris uncias sex.
Salis fusi drachmas quinque.
Myrrhæ Alexandrinæ.
Thuris ana uncias tres.
Aloës succo citrini purificati prius uncias quatuor.

Masticis

Masticis uncias tres.
Croci unciam semis.

Omnia trita simul & benè mixta imponantur priori vasi, si sit adhuc integrum, vel recenti, additoq; Alembico in furnum reponito, ignem subdito, sicuti prima vice feciſti: Post duodecim horas extrahe Flores qui ascenderunt, rursus Alembicum repone, & ignem cõtinua per duodecim alias horas. Nota si nimium Materiæ una vice imponis, tunc comburitur, eminentia trium vel 4. digitorum sufficit: Tunc ex libra una uncias vndecim Florũ habere poteris, quod si pauciores habueris, reposito Alembico perge adhuc ignem subministrare per duodecim alias horas.

Aquæ stillantes ex unaquaq; sublimatione tàm Florum Sulphuris simplicium, quàm compositorum in Recipiente adaptato colligantur, ac seorsim serventur, illæ postea rectificatæ in Balneo bullienti misceantur cum aqua illa, quæ ab ultimis Floribus compositis abstracta est, nec rectificatione eget, coloris lactei propter gummata, & saporis acidi: Hæc seorsim colligenda, ne misceatur cum oleo subnigro, quod subsequi solet.

Vocant hanc Aquam ENS seu LAC BALSAMI, cuius idem usus qui Florum.

In Peste.
Febribus.
Pleuresi.
Colica.
Affectibus Pulmonum.
Obstructionibus Hepatis.

Dosis pro natura infirmi & judicio præsentis medici.

Vires, Usus, & Dosis Florum Sulphuris.

1. In Peste summum est Curativum & præservativum: resistunt enim impressioni, & præseverant à putredine: Cum Extracto Enulæ Campanæ ad miraculum operantur tempore infectionis.

Dosis drachma una in aqua Cardui benedicti, vel in Theriaca. Vel in uncia una Syrupi de Citro, & unciis duabus Aquæ Melissæ. Hic haustus præservat, & curat absque omni alia medicina, ut πολύχρηστον Pestem, Pleuritidem, omnes Putrefactiones, Apostemata.

2. Quotidianus usus est προφυλακτικὸν omnium morborum, cum accidentibus, & Naturæ & Sanitatis conservativum.

3. Offertur in omnibus morbis, qui efficaci exiccatione opus habent.

4. Sudorem in Lue Venerea promovent.

5 In omnibus Pulmonum affectibus, asthmate, tussi antiqua & recente: In Catharris pectoralibus, phlegmaticis.

6. In Pleuresi.

7. In Colica.

8. In Apostematibus & putrefactionibus corporis.

9. In omnibus Febribus præservativum: tollunt enim omnes impuritates febriles & peripneumonicas leviores tutò & subitò.

10. Præservativum etiam in Epilepsia.

11. Con-

11. Conservativum vini, si illi misceantur, impedit generationem Calculi.

Dosis drach. j robusto, juveni drach. semis in cura.

Pro præservatione grana 8. 10.

Miscentur etiam Saccharo & cum Dragac. in aqua pectorali soluto formentur tabellæ.

Cautio.

Oleum & Flores Sulphuris sublimati gravidis non temerè offerantur, quia menses promovent.

AQVA THERIACALIS.

℞ Theriacæ Venetæ uncias quinque.
Myrrhæ rub. Alexandrinæ uncias duas & semis.
Cinamomi selecti
Croci Orientalis integri ana unciam dimidiam.
Camphoræ drach. duas.

Affunde optimum vini Spiritum diligenter rectificatum, vel si ad manus sit è semine vel radicibus Angelicæ præparatus, qui efficacior est, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, ac in vitro clauso in leni calore cinerum Tincturam extrahe: Per inclinationem tinctum Spiritum aufer, & affunde recentem Spiritum tamdiu, donec non amplius tingatur: Spiritum vini tinctum postea ad medietatem saltem abstrahe, reliquum maneat cum Essentia extracta, cui addes uncias sex Spiritus Tartari, sicque simul

per octiduum vel quatuordecim dies circulabis & digeres.

Vires, Usus, & Dosis.

1. In Peste maximus eius usus, & talis ut infectus intra 12. horas sumat cochl. j. in tribus cochlearibus vini optimi, sudet horis tribus, & ab hac potione ad cibum ac potum capiendum ad minimum sex horæ interponantur.

2. Purgat caput, pectus, & omnia corporis membra principalia, illaq; confortat, & si quæ labes illis aspersa, delet, & in pristinum naturalemq; statum ea reducit, & præcavet, ne in posterum facilè lædantur.

3. Illis benè confert, qui hydrargyro fuerunt inuncti, sua enim penetratione omnes nervos, musculos; medullam penetrat, & quicquid noxium reperit, corrigit ac expellit.

4. In rectificatione sanguinis.

Lue Venerea.
Putredine.
Vermibus.
Punctur is laterum.
Tremore Cordis.
Febribus.
Ictero.

Potest etiam cum aliis Diaphoreticis misceri.

Dosis à cochlear. semis ad cochl. integrum in aqua appropriata, in haustu vini, aqua Melissæ, Cardui benedicti

ZE-

ZENEXTON PARACELSI.

1.

Primo fiat Instrumentum chalybeum, in quo efformari possint placentulæ ad drachm. j. & semis circiter ponderantes: Instrumenti sint partes tres: in superiori, quod est instar majoris sigilli, est Serpens sculptus: in inferiori, quæ quasi parvam incudem repræsentat, est Scorpius: Annulus chalybeus cavus sesquidigitum transversum circiter altus, continet materiam imponendam, ne elabi possit, sed premendo supra & infra efformetur: Sculptura Instrumenti fiat certo syderum cœlestiũ positu, Sole videlicet & Luna Scorpionis signum ingredientibus: Eodem etiam tempore sigillentur illa Pentacula, aut ad minimum cum Luna Scorpionis signum attingit: Sic enim superiora cum inferioribus unione sympathica indissolubili maritantur & copulantur.

Magnetis Naturæ spiritualis, Sympatici vel Antipathici, (licet invisibilis, attamen ex effectu sufficienter sensibilis) vires mirificæ.

Forma instrumenti talis est.

Massa

Massa pro efformandis Amuletis seu Pentaculis constellatis.

℞ Bufonum benè in aëre & Solis ardore exiccatorum ac pulverisatorum sub aperto cœlo, naribus obturatis vel aversis, pistillo artificiosè pensili, uncias duas. Nota, nisi benè & citò exiccentur, fœtent, ac difficulter teruntur. Octodecim bufones dans circiter duas uncias pulveris.

Zenith juvencularum quantum haberi potest.

Arsenici Crystallini albi

Arsenici Rubri seu Auripigmenti ana unciam dimidiam.

Rad. Diptami

Tormentillæ ana drachmas tres.

Margaritarum non perforatarum drach. j.

Corallorum

Fragmentorum Hyacynthi
Smaragdi
Orientaliũ ana drah. sem.

Croci orientalis scrupulos duos.

Propter odorem aliquot grana Musci seu Ambræ addi possunt.

Pulverisentur omnia subtilissimè & misceantur, postea Tragacanthũ resolvatur in aqua Rosarũ instar mucilaginis, cum quo pulveres impastentur & formentur (Sole & Luna in Scorpione existentibus, aut ad minimum Luna) Pentacula rotunda, & Pistillis illis duobus, sub eadem Influentia cælatis,

tis, signentur: aut si mavis parentur Scuta formam Cordis habẽtia, posteà exiccata sindone obducantur rubro, & Cordis regioni appendantur per intermedium indusium.

Usus.

Exterius collo appenditur funiculo serico, intermedio indusio ad regionem Cordis: non solum præservat à Peste, sed impedit, quo minus corpus à Venenis seu morbis Astralibus inficiatur: attrahit Venenum ab intra, & extra illud consumit.

ZENEXTON PRO DITIORIBUS MAGNATIBUS.

2.

Capsula ex auro conficiatur purissimo, cum fistula foraminibus plena, in medioq; fixa in uno latere veluti basis hærebit: In huius anteriori parte exterius Sapphirus Orientalis præstantissimi coloris adaptabitur, & in ejus circuitu Bufonum lapides quatuor vel araneorum, qui formam crucis in dorso habent: Hoc enim Araneorum genus, Lapides minutos præ se fert, qui præsentaneum sunt in Peste remedium, si de collo suspendantur: In altera verò sive posteriori parte Hyacynthus unus justæ magnitudinis simili modo aptabitur. Hisce ita absolutis, sumatur Bufo vivus, & dextro pede posteriori ligatus vivus & integer citra sanguinis emissionẽ suspendatur versus Orientẽ, donec perfectè exaruerit, ac pulverisari possit, cave ne à pluvia tangatur: Et hic cum modico optimi

optimi præstantissimiq; Aceti cómisceatur, donec formam pastæ habeat, qua tota capsula interius repleri vndiq; debet: Demum fistulæ, quæ in medio pastæ extiterit, particulæ seu frustula aliquot ex linteo (quod primo virginis menstruo, quę annum decimumquintum nondum excesserit, madefactum fuit) imponantur, adeo vt fistula plena prorsus & compacta lintea existant: Foramina ejus magnitudinis esse debent, vt per illa Bufonis pulvis tangatur ab hujusmodi frustis: Nam ex mutua operatione oritur Sympathia vtriusq;, quæ postmodum conversis gradibus per Antipathiam Venenis vsque adeò resistit & adversatur, vt ille qui hoc Amuletum de collo tempore Pestis suspensum gestaverit, liber prorsus post Dei Providentiam & habendus & certissimè dicendus sit: Id quod experientia, & viva demonstratione callent hi, qui veram ejus componendi rationem norunt.

Nota, aurea canna seu rimosa fistula superius postquam referta est, optimè & diligenter obstrui debet, requiritur ergo operculum ad modum cochleæ seu terebri, vt paretur cum annulo, sicuti ex sequenti Icone apparet.

Forma Instrumenti talis est.



PODA-

PODAGRICUM.

INcipiens & levis Podagra, secundum Severinum, uno unguento seu Balsamo curatur, mixtionem admittit Resolventium, Mitigantium, & Corroborantium.

Podagra confirmata, quæ radices difficulter resolubiles vel in sanguine, vel in carnibus, vel in ipsa Synovia posuit, non solis externis Balsamis resolventibus, mitigantibus, & corroborantibus curari potest. Iaque Purgationes Podagricę adjungendæ, Mundificantia, Diaphoretica, Diuretica per madores, insensibiles transpirationes, cõsumptiones & perfectas ablationes, Evacuantia Podagrica tamen & consentanea accersemus.

Paracelsus dicit ad curationem Podagræ requiri tria, Resolventia, Mitigantia, Corroborantia.

In Resolventibus Paracelsus commendat Arcanum Corallinum: Item sequentem Pulverem Artheticum:

℞ Hermodactyl.
Turpeti optimi
Diagrid.
Fol. Sennæ
Rasuræ Cranii
Sacchari ana drachm. j. misce, & fiat pulvis subtilis.

Dosis drach. semis mane ex aqua Ivæ Artheticę p dies 3. vel 4.

Purgat securè & leniter omnes defluxiones Podagricas.

Loco Mitigantiũ sequẽtia duo Balsama usui esse possunt.

Inter Corroborantia & defluxionem impedientia numeretur

retur Spiritus Vitrioli usus cum Sale Perlarum, & Vinum Paracelsi medicatum è Caryophyllata & Acoro, quod defluxiones exiccat & impedit.

BALSAMUM PODAGRICUM I.

℞ lib. 2. Vitrioli ad flaved. calcinati.
Mellis virginei cum favo lib. j.
Spiritus vini lib. j. si sit ad manus (ille Spiritus è confectione Laudani Opiati residuus, erit eò melior)
Terebinthinæ uncias iiij.
Verbenæ uncias sex.
Roris marini tantundem.
Silicum calcinatorum libram semis.

Omnia trita misceantur, & imponantur justæ amplitudinis Alembico vitreo, bene luto obducto, addito satis magno capitello cum Recipiente capaci, junctur is benè lutatis, ponantur per triduum in lento arenæ calore ad digerendum, postea paulatim destillẽtur, ultimo fortificetur ignis, quandiu vides guttas seu spiritus exire, postea frigescat: Caput mortuum seu fæces spongiosæ nigræ, reverberentur ad albedinem, illisque priorem liquorem denuò affunde, & secundo destilla.

Vires, & utendi modus.

Efficacissimum est Balsamum: Neminem sua expectatione ritè præparatum & adhibitum frustratur: citò enim & subitò dolorem Podagricum sedat, si locus affectus in unga-

ungatur, præmisso prius Pulvere Paracelsi purgante è Hermodactylis seu Arcano Corallino. Linteola madefiant & applicentur loco affecto tepidè, & relinquantur, donec sponte exiccentur, postea iterum imponantur, donec dolores cessent: visibiliter vapores extrahuntur: Si pars dolens nimio ardore & rubedine crucietur, poterit de succo è florib. Thapsi barbati expresso & insolato ana admisceri.

BALSAMUM PODAGRICUM II.

℞ Olei mandibularum inferiorum, veterum equorum, tempestatibus diu expositorum.

Vel olei ex ossibus Hominis (violenta morte, reste vel rota perempti) siccis, Soli & Lunæ multis annis expositi.

Vel olei è sanguine Cervino.

Cujuscunque huius olei aliquoties prius per se rectificati sumatur uncia j.

Olei Laterini
Terebinthinæ
Juniperi ana uncias tres, misce & destilla omnia adhuc semel in Balneo, & postea ungatur locus affectus, è vestigio tollit omnes dolores Podagricos è frigida causa ortos.

III. UNGVENTUM ANODYNUM.

Rec. Florum Rosarum sylvestrium manipulos decẽ, Herbæ & corticis exterioris recentis Hyoscyami manipulos sex, con isis simul affunde mensuram semis vini, coquantur, & postea trita exprimantur ac colentur: à colatura, aqua in Balneo

neo abstrahatur, ut instar mellis residentia maneat. Hunc liquorem in tigillo vitreato permittere paulatim evaporare, agitando continuè, pistillo ligneo, donec inspissescere vult, postea affunduntur pinguedinis suillæ castratæ libræ duæ, & miscentur, tandem ita calidè ab igne auferantur, & parum refrigefactis unciam unam Opii pulverisati, ac in vino saltem soluti, & Croci pulverisati quantitatem duarum avellanarum, Extracti florum Verbasci unciam semis addere convenit, & movendo diligenter immiscere, donec frigescendo fiat unguentum cineritii coloris.

Vires, & Usus.

Singulare in sistendo dolore Podagrico & Nephritico, si calidè affectus illo inungatur.

Ubi dolori Nephritico velis applicare, operæpretium feceris, si manipulos duos vel tres baccarum Juniperi ab initio compositionis cum Hyoscyamo teras & exprimas.

NEPHRITICUM.

CAlculi varia sunt genera, gradibus atque partium numero differentia: Omnia ex impuriori alimentorum portione subtiliata, & ad coagulationem destinata producuntur post benignioris alimenti separationem factam, beneficio spiritus seu caloris partium supervenientis ad absolutionẽ deducuntur: Variis exornantur figuris pro materiei varietate, ex qua veniunt, & partium in quibus hærẽt diversitate

sitate multiplici, symptomata inferunt singulis conformia, & magna affinitate juncta.

Si vis Expulsiva debilis est, tunc vis Salis coagulativa facit Tartarum.

Fortis digestio dat citam operationem ad Calculũ. Nulla debilis digestio, unquam calculum produxit: Nisi debili digestione per vim fortem expulsivam expellatur, & nõ secernatur, fieri non potest, ut Homo sine Tartaro reperiatur, quem Spiritus Salis coagulare solet, & quem Purgationes non tollunt.

Detur opera diligens, ne acuta medicamenta exhibeantur in Calculosis, qui aliâs sunt valetudinarii.

SAL CONTRA CALCULUM.

In Remediorum longitudine nil situm esse dicit Paracelsus de Calculo, saltem in vera præparatione.

℞ igitur Oculorum Cancri
Calculi microcosmi
Lapidis Judaici
Lyncis
Spongiæ
Aquilæ
Glaciei duræ seu Crystalli
Silicum
Lapidum Ciprinorum è Percis piscibus.

Resolve ex his singulis vel omnib. quantũ velis aceto destillato, toties repetendo affusionẽ, donec omnes soluti sint, ac inde para Salem, abstrahẽdo acetum: Hoc Sale sæpius per aquam pluvialem prius dulcificato & purificato (solvendo scili-

ſcilicet filtrando & evaporando) per ſe vtere vel in liquore reſoluto.

Cruſtacei, vt ſunt oculi Cancri, Lapides Cyprini, non egent calcinatione, per ſe enim in aceto deſtillato ſolvuntur, vt Perlæ & Coralli.

Silicei verò, vt Cryſtallus, Silex, Lapis Judaicus, Lyncis, Spongiæ, Aquilæ, calcinentur primò cum Sulphure & Sale nitro, vt ſuprà de liquoribus gemmarum dictum, poſtea reſolvantur cum aceto Terebinthinato, & Sal dulcificatum ad uſus ſervetur.

Ex his lapidibus ſpecificis, propter varias ſignaturarum formas habebis Remedium univerſale ad Calculum & Tartareos morbos.

Unumquodq; è ſupranominatis ſpecificis rectè præparatum, eſt ſufficiens ob ſcientiam ſignatam.

Cryſtallum Montanus Paracelſi Ludum eſſe putabat, qui omnem Tartari Anatomiam, Signaturã & Curam in ſe continet. Particulariter curando fieri non poteſt, vt omnes ſpecies dignoſcantur: Calculi & Tartari genera ſunt pluſquam quingenta, & quodq; egeret ſuo Remedio ſpecifico.

Uſus, Vires, & Doſes Salis.

In omnibus Calculorum generibus, in quibuſcunq; ſint membris.

Doſis à ſcrupulo j. ad duos pro præſervatione in Syrupo convenienti ſingulis Lunæ quadris.

In Cura à ſcrupulis duobus ad drachmã j. in aquis ſpecificis

ficis Ononidis, Saxifragiæ, Pimpinellæ, Petroſelini.

Mulieribus offertur in aqua Meliſſæ ſeu Baccarum Juniperi.

Obſervationes duæ.

1. Nota illud Sal ſæpiſſimè ſolutum & coagulatum, ultimò cum optimo Spiritu vini digeratur, abſtrahaturque fortiter in cineribus, reiteretur labor, ſic Sal fiet volatile. Poſt quamlibet enim putrefactionem uncia ſemis Salis aſcendit. Illa vini Eſſentia ſecundum Paracelſum non debet ſeparari à Sale immixto ac volatili, vt eò potentius agat in Tartarũ interiorem. Ubi enim Alcohol vini fermentatum eſt cum virtute Lapidum, tunc habet vim reſolvendi Calculum Hominis, quemadmodum Alcohol vini fortificatum cum Tartaro, Auro & Corallis rubedinem extrahere perhibetur.

2. Neminem terreat, quod Silicei lapides propter duritiẽ primò per Salem Petræ calcinãdi ſunt, vt eo melius per Acetum radicatum ſuperius memoratũ ſolvi poſſint, quod alioquin non fieret. Nam crudi Salis Nitri per Sulphur purificati cum tantillo Croci, Maceris & pulvere lapidum Citrinorum in Calculo eſt Remedium efficaciſſimum.

Pulvis contra Calculum ſingularis.

HYDROPICUM.

ALimenta noſtra Cibus & Potus tria habent in ſe Excrementa, unum eſt Aqua, alterũ Sulphur, tertium Sal vel Tartarus. Si hoc Sal medium reliquorum duorum ab Aſtrali

Igne cum suo proprio Elementali Igne conjuncto lædatur, tunc fit & generatur ex illa resolutione Salis, Hydrops.

PURGANS SPECIFICUM HYDROPICUM.

℞ Radicum Hellebori nigri debito tempore collectarum uncias tres.

NB. ut ab Helleboro spuma venenata in præparatione Essentiæ diligenter separetur.

Coloquintid. uncias duas.

Extrahatur Essentia cum Spiritu vini, & iterum separetur ab illa Spiritus, ad mellis spissitudinem.

Hujus ℞ grana quatuor.

Mercurii per oleum Sulphuris præcipitati grana duo.

Misceantur & formentur Pilulæ: Exhibentur tribus auroris successive: Postea sint ad manus flores Sulphuris per Vitriolum sublimati, quorum accipe tres partes, & adde extractæ Essentiæ Croci Martis partem unam: Essentia hæc ex optimè præparato Croco Martis extrahitur, olei Vitrioli beneficio in digestione, cui bona quantitas aquæ communis admixta est, quæ tamen iterum fortiter abstrahenda est, ut Pulvis extractus per se remaneat. De hoc mixto Pulvere, manè, meridiè, vesperi exhibe drachmã semis: offeratur in conserva Rosarum: Sudor oleo Guajaci rectificato cum aqua Theriacali provocandus: Utatur cibo sicco convenienti, potu exiguo, qui sit vinum Absinthites chalybeatum.

Dy-

DYSENTERICUM.

Si digestio est bona, & non est separatio, tunc adest Dysenteria.

Si est separatio, & nulla est digestio, tunc est Lienteria.

Si neq; separatio neq; digestio, tunc est Diarrhœa.

Si adest putrefactio materiæ stomachi, tunc est Fluxus ventris cum variis coloribus.

PULVIS DYSENTERICUS EXIMIÆ VIRTUTIS.

℞ Succini
Sanguinis Draconis
Lapidis Hæmatit.
Corallorum rubeorum
Sem. Portulacæ
Plantaginis
Anthoræ
Rad. Tormentillæ
Terræ Strigensis ana uncias duas.
Balaustiorum unciam j.
Nucistæ numero quatuor.
Cinamomi unciam semis.
Croci Martis
Talci calcinati
Matris Perlarum calcinat.
Ossium microcosmi calcin. ana unciam j.

Lapides in porphyrio in tenuissimum pollinem conterantur, postea ex omnibus reliquis tenuissimè tritis, & invicem mixtis fiat pulvis.

Vires, Usus, & Dosis.

In omnibus dolorificis alvi profluviis, cuiuscunque originis & diuturnitatis.

Dysenteria.

Lienteria.

Hæmorrhagia narium.

In muliebribus sanguinis profluviis quantūvis magnis & contumacibus, etiam in prægnantibus. Sedatur enim licò in quibusdā, in aliis repetenda eadē Dosis horis aliquot post, longè à pastu, aut die sequenti in aurora, rarissimè tertiò repetitur, fœminis eo malo quantum vis gravi liberatis.

Dosis à drachma una ad drachmam j. semis, etiam ad duas drachmas, cum unciis tribus vel quatuor liquoris stillatitii Plantaginis.

In Dysenteria ab extra sequens Emplastrum regioni Ventris vtil. ter imponitur.

℞ Theriacæ
Terræ sigil atæ ana, fac Emplastrum, applica tepidè.

CROCI MARTIS ESSENTIA.

℞ Scoriam ferri cœruleā (Norimbergæ ubi Laminæ chalybeæ fiunt, optima haberi potest) vitrescentē, rejectā in illis locis,

locis, ubi minera ferri funditur, tere in pulverem minutum, pone in vitro, affunde acetum vini destillatum acerrimum, stet in calore mediocri per 14. dies, & tingetur colore rubro, filtra & abstrahe in Balneo, remanet materia rubra, à qua ter vel quater aqua pluvialis abstrahitur, ut sapor aceti evanescat: Potest etiam prius in Tigillo, in arena calida parum calcinari movendo, ut aceti evanescat aciditas, & postea cum aqua edulcorari, si debitè tractetur, spontè sese in cella postea pars in oleum supra marmor resolvit.

Hæc Croci Essentia in medēdo longè efficacior est, quàm vulgaris Crocus Martis reverberatione per se factus, immittendo baculum ferreum vel chalybeum in fornacem vitrariam, vel irrorando laminas chalybeas aceto, & postea easdem in reverberatorio ad rubedinem saltem ne nigrescat reverberando.

Vires Essentiæ seu Croci Martis.

1. Conducit in sistendis mensibus, & fluxionibus intempestivis.
2. Prodest albæ profluvii mulierc ularum.
3. Gonorrhœæ.
4. Hæmorrhoidibus.
5. Dysenteriæ & Diarrhœæ.
6. Urinæ incontinentiæ.
7. Hæmorrhagiæ internæ & externæ: si ejus à scrupulo j. ad drachmam semis cum succo Cidoniorum condensato, seu Conservæ Rosarum drachmis tribus assumatur, aut vul-

ner ſanguinem fundēti, aliquid inſpergatur: quamvis Fungi Betulini ramenta ad miraculum Hæmorrhagiam externam longè efficacius ſiſtant.

8. In omnibus Jecinoris & Lienis obſtructionibus deploratis: ſed ſumentes prius medicinis attenuantibus, & alvum ſubducentibus purgatos eſſe oportet. Lienoſis datur ex Aqua Aſplenii, Adianti, Tamariſci. In Hepatis affectibus, in aqua Intybi, Cichor. Agrimon. exhibetur, tunc ſiſtit ſanguinis ſputum.

9. In morbis diſſolutis, Hydrope & aliis ubi conſolidatione opus.

10. Ventriculum corroborat, & nauſeam tollit in Conſerva Roſarum, vino generoſo.

Doſis.

Doſis à gr. 8. 10. 12. ad 15.
In vino rubro.
Aqua Plantaginis.
Burſæ paſtoris.
Tormentillæ.
In Conſerva Symphyti.

VENEREUM.

Confortans Vegetabile è deſcriptione Paracelſi cum additione.

ESSEN-

ESSENTIA SATYRIONIS.

QUemadmodum Rhabarbarum parva elixatione amittit vim purgantem: ita etiā Satyrion exiccatione: quāvis enim rix ſicca Spiritu vini extrahatur, operatio tamen ex ejus uſu nulla deprehenditur efficax: & Experientia demonſtrat Aquam è viridi radice deſtillatam plus operari, quam Pulverē radicis ſiccæ: A radice igitur humore ſuo adhuc imbuta per ſeparationem eliciatur virtus, id quod in hāc fit ſententiam.

℞ Primo Vere omnium Cynoſorchidum ſpecierum radices ſelectas ſuculentas & plenas ad placitum, contunde in mortario marmoreo. Nota, alterū è duobus teſticulis ſemper flaccidum, mollem & rugoſum abiiciendum, quia virtute contraria (quam Paracelſus Saturninam vocat) Venerem reprimit & extinguit: adde micam unam atque alteram recentis panis ſimilacei candidiſſimi, miſceantur omnia in mortario lapideo diligenter, & propter lentoris dilutionem affunde ſufficientem copiam Spiritus vini Malvatici, poſtea in Alembico cæco in digeſtione lentiſſima Balnei pone: Finito uno atque altero digeſtionis hujus menſe, exprime per prælum ſuccum tenacem (fæces calcina & Salem extrahe candidum, ſapore ſuavi, non urinaceo, ut reliqua vegetabilium Salia) & colatum iterum in Alembicum cæcum per duos menſes in digeſtione repone, tunc flaviſſimus liquor, (interdum etiam rubeus) ſeparat ſe ſe in ſuperficiem remanentibus, in fundo fæcibus impuris ſecernendis, quæ in forma hypoſtaſis aut ſedimenti in imo reſident.

Panis & Vinum ſuſtentationis præcipua fulcra & procreationis media ſingularia; quia ſine Cerere & Baccho friget Venus. Zach. cap. 9. Sect. 17.

Liquor ſeparatus per inclinationē ad uſum ſervetur, cui addes Salem proprium,& aliquid de Sale Perlarum, guttam etiam unam atq; alteram olei Cinamomi, Maceris & Nuciſtæ, ſic gratius & efficacius medicamentum erit. Poſſet addi Aurum Potabile, ſi modo verum, genuinum, ac corroſivis rebus non inquinatum & corruptum haberi poſſet.

Vires, Uſus, & Doſis.

Mirabilis omnium ferè totius corporis membrorum externorum, utriuſq; ſexus ſignatura, in hiſce variarum ſpecierum radicibus deprehenditur. Ideò etiam totum hominem confortare non immeritò creduntur. Phædro vocat Radicem, Mumiam rubram, & ſingularem cum microcoſmo dicit habere συμπάθειαν.

Hocigitur Extractum eſt unum è ſummis totius corporis Confortativis: In confortanda Venere eſt præſtantiſſimum medicamentum, & datur magno juvamento frigidis & maleficiatis: Senibus item invalidi femoris, virilitatem amiſſam potenter reſtituit.

Doſin à ſcrupulo j. ad ſcrupulos duos & tres in vino Muſcatellino dulci, vel Malvatico, eundo cubitum: Vel miſceatur cum Conſerva Roſarum, de qua exhibeatur quantitas avellanæ, ſuperbibendo hauſtum vini Malvatici vel Muſcatellini.

VENE-

VENENATUM.

THERIACA DE MUMIA.

SOLA Mumia eſt, quæ præſentiſſimum Remedium adfert, adverſus omnia Venenorum genera.

Primò paretur Tinctura Mumiæ in hunc modum:

Eligatur Cadaver hominis ruffi, integri, recentis ſine macula, viginti quatuor annorum, ſuſpenſi, vel rota cōtriti, vel haſtati, per diem & noctem tempore ſereno collectum.

Hanc Mumiam, à duobus Luminaribus ſemel illuminatam ac conſtellatam, fruſtulatim vel aſſulatim conſcinde, & aſperge pulvere Myrrhæ, & tantillo ſaltem Aloes (alioquin nimium amareſcit) poſtea imbibe macerando aliquot dies in Spiritu vini, ſuſpendatur parum ac iterum imbibatur, tandem in aëre fruſta ſuſpenſa ſicceſcant, tunc aſſimilatur carni fumo duratæ ſine fœtore: Et poſtea Spiritu vini ſecundum artem, vel Spiritu Sambucino Tinctura rubicundiſſima extrahatur.

Poteſt etiam oleum olivarum ſeorſim cum conciſa Mumia ſicca (nam humiditas intolerabilem illum fœtorem in digeſtione cauſatur) macerari per menſem, ſic tingetur, de hoc tincto oleo olivarum poſtea ad libitum Tincturæ Mumiæ poteſt addi antequam cum Theriaca miſceatur.

Rec. ergo Tincturæ ſeu Extracti Mumiæ per Spiritū vini, à qua tamen Spiritus denuò abſtractus ſit, libr. ſemis.

Theriacæ Andromachi uncias iiij.
Olei olivarum Mumiati uncias ij.
Salis Perlarum & Corallorum ana drach. ij.
Terræ ſigillatæ uncias duas.
Moſchi drachmam unam.
Miſce & digere circulando per menſem.

Vires, Uſus, & Doſis.

Plurimi hac morbi Theriaca de Mumia perfectè ſanantur.

1. In Peſte tanta ejus vis eſt, ut ſi ante infectionem fuerit adminiſtrata, nil prorſus incommodaturum ſit Venenum, & qui horis matutinis ſcrupulo uno utetur, eodem die non inficietur.

Infectus utatur drachma ſemis vel drachma una, in aqua Cardui benedicti vel cum Theriaca.

2. In Apoſtematibus, Carbunculo, Anthrace, Pleureſi drach. una adminiſtratur. Proinde exactis ſex horis alteram drachmam exhibe, & qui illam horam attingit, ut ſecundam potiunculam accipiat, de ſalute certus eſt.

3. Contra quævis Venena. Doſis à drachma ſemis ad unam vel duas in ſumma neceſſitate: Si quis Venenum hauſit, offertur dicta Doſis in uncia una, vel duabus olei amygdalarum, ut patiens vomat, in lecto medicinæ operatio expectetur.

Hac ratione pellitur, quicquid eſt Beſtialium ſeu Mineralium Venenorum.

II. AR-

II. ARCANUM THEOPHRASTI AD QUÆVIS VENENI GENERA PRÆSTAMTISSIMVM,

cuiuſmodi ſunt Mecurius ſublimatus, Arſenicum, Napellus, Puluis Adamantis, Virus Aranearum & Buſonum, Phthora, Cerebrum Felis, Menſtrua:

℞ recentem Ciconiæ ſanguinem, quantum in ſuo corpore continet, deſtilletur per Balneum Mariæ, jn vitrea Cucurbita nova: aquam quæ promanat ſerva diligenter, & ſanguinem coagulatum loco paululum calidiori exicca, & contere in pulverem.

Ventriculum ſimiliter exiccari conveniri ac crucibulo impoſitum comburi tantiſper, donec in cineres vertatur, è quibus cum proprio ſanguinis liquore extrahēdum eſt Sal, id quod diligenter cuſtodiendum, & ſanguini pulveriſato conjungendum eſt.

Hiſce in vitro ſatis capaci impoſitis addi debent:

Succini albi electiſſimi uncia vna.
Corallorum rubeorum &
Beccarum Uvæ verſæ (nigrarum & bene maturarum) exiccatarum & pulveriſatarum
Eſſentiæ Mumiæ
Radicis Anthoræ ana uncia ſemis.
Lapidis Bezoartici drach. iij.
Theriacæ optimæ uncia j. & ſemis.

Hœc cum oleo (q; è nucleis Pini per validā expreſſionē conficitur) incorporanda & commiſcenda ſunt omnia ſimul, ac

deinceps tantum olei superaddendum, ut trium digitorum vel quatuor latitudine id ipsum emineat: Deinde orificio vasis diligenter obstructo insolētur, quo enim vetustior compositio hæc evaserit, eô melior & fortior.

Efficacissimum est medicamentum contra omnia Metallica, Animalia, & Vegetabilia Venena.

Usus & Dosis.

Usus istius est, ut in omni Veneno corporali eiusdem detur uncia semis cum hausta aquæ, vini, vel quod melius est lactis tepide: nam decimasexta pars horæ non transitura est quin patiens Veneni sumpti substantiam à se ejiciet, ac liber evasurus est, qui deinde Confortantibus refici potest. Optime hoc fiet, si in recenti lacte Corallorum rubeorum pulverem quotidie semel sumpserit prius calefacto.

Hoc arcano aliqui magnates intoxicati restituti sunt pristinæ sanitati, quum prius essentiis Monocerotis & aquis Theriacalibus ac huiusmodi innumeris mediis frustra usi essent.

Vipera apud Hieroglyphicos non sine causa Salutis symbolum innuebat.

III. SERPENTUM, PRÆCIPUE VIPERARUM, ALCOHOL CONTRA OMMIA Venena Remedium est tam θεραπευτικὸν, quam προφυλακτικὸν.

Post excoriationem intestina, caput & cauda auferantur (pinguedo ab intestinis separata seorsim pro singulari Ophthalmico asservetur) reliqua caro elota, cum corde & jecore post

post lentam exiccationem, sive per se, sive in B.M. in Alcohol redigitur, ac in usu medico intus præsumpta, Venenum ad cutim propellit, tanquam Theamedes Lapis qui ferrum longe à se expellit. Quod si quis huic testimonio & experimento consentire noluerit, nō damnet veritatem, nisi prius quod testatur, aut contrarium assecutus sit. Hoc medicamento magnâ pecuniâ à quibusdam empto, cum fiducia uti licet, nec quisquam medicorum eius usu de fama unquam periclitabitur.

Dosis à drach. ſemis ad drachm. j. in hausta vini Malvatici, vel jusculo vini generosi.

Triticum non habetur sine Lolio, nec mel absq. aculeo reperitur.

Efficacia hujus medicamenti non pariet illis admirationem, qui sciunt plerunq; in Natura ad summū Venenum, latere etiam Medicinam: Et quia mala majori bono copulata natura cōsistunt, ideo multi populi carne Viperina vescuntur longitudinem vitæ præ se ferentes, idq; nullo præeunte horrore, nullove subsequente periculo. Non ergo sine causa Baldus Angelus in suo libello de admirabili Viperarū Natura in sequētia verba erumpit: Illud unum venit mihi in mentem vehementer admirandum Serpētis astu in orbem Terrarum mortem intrasse: Illud etiam mirum ex Viperæ serpētis nece, & ejus carne ab omnibus gravioribus morbis atque venenis curari & in pristinum restitui: Sed continuato Viperinę carnis esu, ab omnibus morbis præservari, hoc certe totum omnem admirationem superat & excedit.

Tantum benevole Lector in præsentia sufficiat egisse tam

de quibusdam morbis Elementaribus, Materialibus, Internis, qui Naturaliter videlicet ex Ente Naturæ generantur, & ab Obstructione & Tartaro, ortus sui principia ducũt, quam de nonnullis ex Ente Veneni obortis, quomodo videlicet illi â Narura debitis & assignatis medicinis confortata curentur.

Entia morborum secundum Paracelsum sunt quinque. Dividit enim morbos in Naturales qui quatuor Entibus comprehenduntur, Naturali scilicet, Astrali, Venenali, ac Spirituali. & in Flagellũ videlicet Quintũ Ens Deale.

DeMorbis Astralibus, Spiritualibus, Imaginatis, Voilatalibus, In cantamentis, ex Ente Astrorũ seu Spiritus provenientibus, Paracelsus peculiares conscripsit libros, ad quos cupidum remitto lectorem: Ut enim morbi à depratavo cibo & potu, ab Animalibus, Vegetabilius & Terræ fructibus orti, cum Arcanis herbarum & radicum sanãtur, secuti à Mineralibus & metallis cum horum etiam Arcanis senantur, siquidem Vegetabilium Arcana respuunt: Eodem plane modo, maxima pars morborum venientium ab Influentia Cœlesti, & ab Astrali Impressione Firmamenti Maioris mundi, non cum promiscuis Remediis curari vult, ut pote per Arcana herbarum, miueralium, metallorum, sed per Influẽtiam Astronomicam curario instituatur cũ iis saltem, quæ Analogiam ad majorem & minorem mundum habent, in quibus est verà Magnetica vis Firmamenti & Impressiô Cœlestis resistendi morbis è Firmamẽto majoris & minoris mundi, sicuti apparet in Persicaria, Soli nidagine minore, Carbũculo, Symphyto majore.

Hæ Syderales & Firmamentales Infectiones ab Adepto medico cognoscuntur & tarantur Firmamẽtaliter: medicina enim Adepta est Ars, qua cognitione dat Firmamentales Infectiones cognoscendi & expellendi,

Si Supernaturaliter per Incantationem vel Magicam Ascendentium Impressionẽ morbus vel dolor illatus, ibi priorum trium sanandi conatus irritus, sed secundũ Paracelsum Magicè

Magicè & Supernaturaliter procedendũ, ac malum eo quo illatum modo vicissim repellendum: alioquin in dictis Simplicibus est attractivum Influentiale, ac omnia ex ordinatione divina, Magicè, Astronomicè, Magneticè curant, quia medicina est in ipsis & in Homine Magnes: Ut enim Sol & Astra habent potentiam attrahendi humiditatem ab inferioribus: Ita homo (sua insita magnetica vi attractiva instar Magnetis Ferri spiritum nutrimenti loco trahentis) ac Inferiora habent eandem attrahahendi à Superioribus, ut videmus tempore Pestis, & hæ attractationes sunt Naturales, non Veneficia, Incantationes aut Superstitiones. Morborum ergo origo ex suo principio petenda, & tunc curatio instituenda. Insuper variæ sunt morborum Naturæ & proprietates, ut Phædro diligentissimè annotavit, dum ait: Quidam morbi Remedia cum extrinsecus, tum intrinsecus adhibita patiuntur. Quidam Extrinsecus morbi, & ulcera Intrinseca, Remedia non ferunt: Sunt etiam quidam Intrinseci morbi, qui nulla omnino nec Extrinseca, nec Intrinseca applicata Remedia patiuntur: Sunt porrò quidam morbi & Intrinseci & Extrinseci, qui Verbis tantũ, in quibus secundũ artẽ Influentia impressa est, quidã qui Herbis cõstellatis, quidam qui nec Remediis, nec Herbis constellatis, nec Verbis adhibitis ut usis curari volũt, ut quidã vulnus vel ulcus Diapensia vel Alchimilla curare potuit, cultro iuxta ipsius situs terræ infixo, cavẽdo tamen ne cultro Radix pungatur, aliâs patiens foret incurabilis: Ita refert quandã vetulam sola Alchimilla ulceri cãcroso adhibita varia Carcinomata curasse:

Magnes Hominis Cura-Magica, in quæ est Cœlestis Impressio post herbæ contactum herba donec putrefacta sit, attrahit medicinam in ulcus sicq; illud sanat.

Sic

Sic multa ulcera desperata per curam Characteristicam cum virtute Firmamentali perfectè curata esse. Nemini hæc videbuntur mira, qui legerit apud Agrippam in constellatis vocabulis, characteribus, lapidibus & similibus maximas latere Influentias sen virtutes in actu quæ sint miraculi loco: Similiter idem Cornelius asserit esse dictiones, quę pronunciatæ, statim exhibeant obedientes creaturas visibiles & invisibiles, tàm de nostro hoc mũdo, quàm de aqueo, aëreo, subterraneo & olympico. Sed hæc magnalia Primis & Antiquis parentibus notissima hoc loco obiter innuisse sufficiat.

EXTERNA.

VULNERARIUM, ULCEROSUM, PUSTULOSUM, MUNDIFICANS, MITIGANS, *Consolidans.*

BALSAMUM VULNERARIUM EFFICACISSIMUM,

Quo omnia vulnera & punctiones membrorum, junctura-rum, nervorum, ictus etiam telo seu globo tormentario facti, tutò sine ullo superveniente symptomate curari possunt.

℞ Florum Hypericonis lib. j.

Colligantur flores cum Solis ortu, Balsamitico tem-

pore, in exaltatione videlicet circa festum Johannis ante novilunium.

Florum Cheyri, Verbasci, Chelidoniæ
Centaur. minoris, Aristolochiæ
Prunellæ, Chamomillæ
Consolidę mediæ vel majoris ana unciam unam & semis.
Foliorum Ros. rub. unciam j. semis.
Mumiæ Transmarinæ
Myrrhæ
Thuris ana unciam j. & semis.
Masticis unciam unam.
Storacis liquidæ uncias duas.

Incisis incidendis, & tritis terendis, ponantur in vase, & affundantur mensuræ duæ boni Spiritus vini, stent in digestione omnia retrò fornacem vel ad Solem: postea effundatur Spiritus vini tinctus, & fæces prælo exprimãtur: Tandem addatur huic Spiritui tincto (nisi velis majoris efficaciæ ergò reiterare macerationem florum) olei olivarum recẽtis, quod supra ramenta pinguia abietina per octo dies in digestione stetit, libras quinq;, Terebinthinæ claræ nostratis, & Resinæ Laricęæ lotæ in aqua Hypericonis lib. unam & semis: Iterum per quatuordecim dies omnia digerantur: Ultimò abstrahatur Spiritus vini in Balneo Mariæ, tunc Balsamum manebit in fundo Rubeum instar sanguinis.

Hyeme prædictarũ herbarum semina parabilia trita Balsamo iniiciantur, & ponantur in digestione, & longe potentius operabitur.

Vires & Usus.

1. Contra omnis generis vulnera plumaceolum vel flocci molles, qui circa semen Cardui benedicti, vel in Populo arbore crescunt, tepidè intingantur, & vulneri prius vino eloto indantur, superposito Emplastro stictico sequenti tamdiu, quoad nec venæ, arteriæve, nec nervi & vincula media, aut alia id genus appareant.

2. In omnibus Tumoribus, Inflammationibus, contractis & contusis membris, rupturis ossium.

3. Contra morsus canum, non neglectis aliis Remediis, si morsus sint venenati.

Balsamum est ad vulnera & punctiones sanandas efficacissimum.

EMPLASTRUM STICTICUM.

In cuiusque salutaris Emplastri stictici compositione, secundum Paracelsum, quatuor diversorum generum ingredientia consideranda veniunt.

1. Sanatio, quæ fit ratione Ceræ & Colophoniæ.

2. Accidentia, quæ tolluntur & impediuntur beneficio gummatum scilicet Opopon. Galb. Sagap. Bdell. Ammon. Elemi.

3. Putredo (quodlicet enim vulnus etiam sine accidenti putredini est obnoxium, generat vermes & carnis malæ excrescentiam) quæ tollitur & præcavetur ope magnorũ consolidativorum, Mastiche scilicet, Myrrha & similibus.

4. Ut

4. Ut præservet à mucore, scabie, aridura, contractura, synovia, & similibus accidentibus, quod fit per mineralia scilicet Lithargyrum, Minium, Antimonium, Cerussam, Marcasitam, Calaminarem, & similia.

Vulnerum ulcerumq; telo inflictorum sticticum Emplastrum præstantissimum.

1. ℞ Minii
Calaminaris ana lib. semis.
Lithargyrii auri & argenti ana uncias tres.
Olei Lini
Olivarum ana lib. j. & semis.
Laurini lib. dimidiam.
Ceræ
Colophoniæ ana lib. 1.
Vernicis
Terebinth. ana lib. semis.

2. ℞ Opopanacis
Galbani
Serapini
Ammoniaci
Bdellii ana uncias tres.
Carabe citrini
Olibani
Myrrhæ Alexandrinæ
Aloë epat.
Utriusque Aristolochiæ longæ & rotundæ ana unciam j.

Mumiæ Tranſmarinæ
Magnetis
Hæmatit. ana unciam j. & ſemis.
Corallorum alborum & rubeorum
Matris Perlarum
Sanguinis Draconis
Terræ medicatæ Strigenſis
Vitrioli albi ana unciam j.
Florum Antimonii drach. ij.
Croci Martis tantundem.
Camphoræ unciam j.

Modum parandi talem ſervavi:

1. Gummata quinque in aceto macerata & cocta exprimantur per linteum craſſum bis repetendo coctura m. (Doſis gummatum poteſt augeri propter fæces ab expreſſione remanentes & abiiciendas) poſtea ſuper lentum calorem in munda ſartagine uſque ad conſiſtentiam mediocrem inſpiſſentur.

2. Oleum Lini & olivarum imponatur alteri ſartagini & addatur Lithargyrium Auri & Argenti, coquantur agitando, donec oleum coloretur, poſtea addatur Calaminaris, & paulo poſt Minium, omnia illa agitando ferè per duas horas coquantur ſimul ad ſufficientiam, cujus Proba eſt, ſi ſupra unguem gutta concreſcat & condenſetur, nec amplius diffluat.

3. Tandem etiam addatur circa finẽ Vernix, olcum Laurinum, Cera, Colophonia: omnibus benè invicem miſtis & liquefactis & ab igne ſepoſitis, poſtea da operam, ut ſartago cum gummatibus paulatim calefiat, & ſucceſſivè affunde liquorem è ſecunda ſartagine gummatibus diligentiſſima agitatione incorporando, ſupra lentiſſimum calorem (cave ne bulliat, alioquin gummata in grumos coeunt, & oleo difficulter miſcentur) poſtea agitando addantur pulveres, & diligenter per horam omnia agitentur: Ultimò Camphora reſoluta in oleo Juniperino addatur: ſi fortè nimis durum eſſet, addatur adhuc aliquid Ceræ & Colophoniæ.

Proba juſtæ decoctionis hæc eſt: Bacillo intincto guttulas aliquot in aquam ſtillare ſinito, ſi digitis adhæſerit materia mollis, coquatur diutius donec dureſcat: Tum demum ab igne deponitur, & in magnam pelvim aqua plenam effundatur, ac manibus (oleo Camomælino, Roſarum, Juniperino, Lumbricorum, Hypericonis ana q. ſ. mixto) perunctis pinſere, ac inſtar malagmatis ſubigere convenit, horis tribus vel quatuor: ſervetur ad uſum efformatis inde prius magdaleonibus alutæ includendis.

Vires hujus Emplaſtri ſunt innumeræ: ſub Lunari globo non reperitur efficacius.

1. Contra inveterata ulcera, nec non recentia vulnera & ictus, ubicunq; ſunt in corpore, etiam in capite.

2. Siccat & mundificat vulnera, carnem bonam producit, conſolidat, ac ſanat una ſeptimana efficacius, quàm aliud menſe integro.

3. Putreſcere non ſinit bonum, inſuper corruptionem,

malæque carnis excreſcentiam impedit.

4. Nervis truncatis aut contuſis optimũ eſt Remedium.

5. Ferrum, lignum, plumbum, & alia quæq; de vulneribus extrahit, ſuperpoſitum eis tantum.

6. Venenoſorum animalium curat morſus ictusq;: attrahit enim Venenum.

7. Matureſcere facit Apoſtemata cuncta ſuperpoſitione ſola.

8. Contra Cancrum, Fiſtulam, Scrofulas, Ignem Perſicum eſt remedium excellens.

9. Mitigat omnes dolores, cuiuſcunq; vulneris aut ictus.

10. Contra Rupturam.

11. Ubi caput inflatum eſt, radantur capilli, & imponatur Emplaſtrum.

12. Dolores Dorſi impoſitione tollit.

13. Ficus cutis extra & inta ſanat imponendo.

Vires ſuas ſervat integras, annos quinquaginta, quo tempore æquè efficax eſt ac ſequens compoſitum.

LAPIS MEDICAMENTOSUS EFFICAX.

℞ Vitrioli viridis lib. j.
albi lib. ſemis.
Aluminis lib. j. & ſemis.
Anatron
Salis communis ana uncias tres.
Salis Tartari

Salis

Salis Abſynthii
Artemiſiæ
Cichor.
Perſicariæ
Plantaginis ana unciam ſemis.

Ponantur in olla nova vitreata, affunde modicum aceti Roſacei, coque igne carbonum lento, ſæpius agitando: ubi incipit ſpiſſeſcere, adde Ceruſſæ Venetæ lib. ſemis, Boli Armeni uncias quatuor: Diligenter miſceantur omnia, donec vi ignis mediocris in lapidis duritiem maſſa concreverit, qui poſtea fracta olla eximendus, & ad ſuos uſus reſervandus.

Si gummata, Myrrham videlicet & Thus, addere voles, inſtituatur coctio lenta, ne comburantur, & vis illarum in igne evaneſcat.

Vires & Uſus.

Virtutes eius ferè ſunt innumerabiles.

1. In partibus corporis exterioribus omnia ulcera ſubitò tollit, laventur manè & ſero, & linteolum madidum ſuper imponatur.

2. Omnes defluxiones tollit, mundificat, & confortat partem affectam.

3. Deſiccat vulnera & vetera ulcera Aphrodiſia, ſi linteum imbutum ſuperimponatur.

4 Dentes confirmat, & gingivas à putredine conſervat.

5. Oculorum lachrymas reſtinguit, rubedinem & oculorum dolores tollit, & caliginem ſi pluma madefacta anguli

guli oculorum externi irrorentur.

Si in Ophthalmia utimur, potest solvi in aqua Rosarum, vel Euphrasiæ vel Verbenæ: Verbena in Junio & Julio ante Solis ortum colligatur, & cum vino per mensem prius digesta postea destillentur.

6. Ignem sacrum tollit, Erysipelas, linteum madidum superimpositum, ubi siccum fuerit iterum madefiat, spatio viginti quatuor horarum abibit, & si sint foramina, eluantur hac aqua.

7. Scabiem manuum & corporis illa sanabis si lavetur vesperi.

8. Contra Serpigines, sed tunc Aqua non nimium sit dilutæ, ut potentius agere possit: sic etiam contra Tineam.

9. Adhibetur feliciſſimè ad Cancrum mammillarum jam apertum: item ad Cancrum oris, aut quamcunque affectionem gingivarum, Noli me tangere, aut alia oris vitia: ulcera gutturis, Scorbutum collutione sanat, expuēdo postea, vel penicillo intincto abluantur.

10. Mortificat pulcherrimè, & mundificat quamcunque plagam antiquam, sine ulla patientis molestia.

11. Ubi sunt vesicæ albæ & pustulæ in pedibus, eluantur apertæ hac aqua.

12. Linteolum hac madidum, apostemati impositum, medetur illi.

13. Ad omnis generis ambusta, linteolum madidum imponatur.

14. Anificus utriusq; sexus sanantur, si linteamina madefacta

facta applicentur.

Utendi modus.

Uncia una liquescat in lib. j. aquæ pluvialis vel fluviatilis, non fontanæ dissoluta, post filtrationem, & fæcum abjectionem, aqua clara utimur.

SAL, BUTYRUM, SACCHARUM SEU MEL SATURNI.

Minium vel Cerussa, Creta non adulterata, aceto vini destillato humectetur, misceatur & exiccetur. Tritæ materię affunde acetum destillatum, ad supereminentiam trium vel quatuor digitorum, stet in calido loco (nō in hypocausto, in quo habitent homines, fumus enim huius aceti infusi supra Saturnum nocivus est) per duos dies vel in cineribus in digestione quater quotidie agitando, & acetum in colorem flavum ac saporem dulcem mutabitur (vasa sint vitrea, nam terrea perfluunt) effunde, & reitera laborem affundēdo novum acetum, donec nō amplius coloretur & dulcescat. Abstrahe acetum in Balneo, & manebit in fundo gummi, cui affundes aquam pluvialem destillatam, ut denuo solvatur, & fæces residuæ aceti ad fundū cadant, perge recentem aquam affundere cineri, donec nil amplius extrahat: aquam filtratā evapora, habebis Sal quod in cella humida in oleum resoluitur. Sal prima vice paratum potest parum saltem calcinari, ne meliores spiritus avolent, & in marmore teri: acetum destillatum iterum affunditur, ut vicissim solvatur in cineribus

calidis per tres vel quatuor dies movendo sæpius, clarum filtratum effunditur ac evaporatur fæcibus abjectis: Si hoc aliquoties reiteretur, Sal erit pulcherrimum & crystallinum, quod ultimo in aqua fontana solvitur & evaporatur, vel per se in cella in oleum liquescit.

Vires & Usus.

Hoc Saccharum Saturni omnes Mercurios sublimatos ac corrosivos dulces & innoxios facit: ideoq; in ulceribus corrosivis, quę à Sale proveniunt, præstans est medicamentum: Sicuti etiam in Vegetabilibus Saccharum vulgare acrimoniam & amaritudinem rerum temperat ac corrigit: ita Mineralium & Mercurii & Arsenici tam in magno quam parvo mundo hoc Saturni Saccharum mitigat ac emendat.

2. Contra putredinem oris præstantissimum est medicamentum.

3. In ulceribus malignis, corrodentibus, cancrosis, & similibus Saturninis, Lupo.

4. Contra Impetigines.

5. Purgat & mundificat, ulcera vetera, apostemata, vulnera vix dici potest, quàm his sit singulare Remedium.

6. Paracelsi singulare arcanũ, cõtra omnis generis ambusta, Inflãmationes, Tumores, Ignẽ Persicũ, si misceatur cum aqua Plãtaginis vel Solani & linteolis madidis tepidè applicetur: Ita pannus cœruleus intinctus Igni Persico adhibetur.

7. Contra pustulas faciei rubeas.

8. Tumores tollit confestim, si cum oleo olivarum & Chamæmel. aqua Rosarum admixta applicetur.

9. In Inflammationib. & rubedine oculorum optimum in qua Euphrasiæ & Rosarum.

10. Cum oleo Terebinthinæ mixtum curat omnia ulcera, vulnera & membra contracta inunctione continuata.

11. Contra Cancrum, Fistulas.

12. Usus præstantissimus in ulceribus mammillarum.

13. Omnes Tumores, Inflammationes & dolores membrorum illius usu externo tolluntur.

14. In Colica aliquot guttæ olei intra corpus dantur in vino albo.

15. In magnis Inflammationibus internis tria grana in aqua Rosarum & Plantaginis offeruntur: Potest etiam affundi Spiritus vini, ut extrahat subtile, & hic essentificatus Spiritus loco Salis potest offerri. Saturnus est Naturæ Frigidæ, ideò omnibus Inflammationibus contrariatur.

16. In Quartana, & Lienis affectionibus: item punctura circa umbilicum.

17 Potest misceri Emplastris, Linimẽtis, vel per se resolvi in oleo, vel in aqua appropriata applicari.

18. Sua frigiditate hoc Sal Saturni intra corpus sumptum libidinem Veneream reprimit: Qui in cœlibatu vivere constituerunt, & illo vti volent, consultius facient, si regionem saltem externam admixto aliquo oleo inungant.

Ex hoc Saccharo destillatione artificiosa Spiritus elicitur inflammabilis, quo multi suo tamen proprio Sale fortificato conati sunt Auri Calcem diligenter beneficio Aquæ Regis præparatam facere potabilem. Fides sit penes cuiusq; Experientiam.

SPERNIOLÆ COMPOSITUM.

In Martio destilletur Sperma Ranarum per se in Balneo triduum ante Novilunium collectum: sic enim non fœtet. Habita hac Aqua.

℞ Myrrhæ selectæ.
Thuris ana uncias duas.
Croci triti unciam semis.
Camphoræ drachmas tres.

Tere omnia & misce: Hunc pulverem in vitro Aqua Sperniolæ destillata vigesies vel trigesies imbibere convenit, ita tamen ut semper prius sponte exiccetur, postea ad usus suos servandus est. Intra corpus datur quantitas avellanæ semis in aqua plantaginis in Hæmorrhagia interna, ubi omnia sunt irrita.

Usus & Vires.

1. Sua frigiditate sanguinem coagulat: nam ad sistendam Hæmorrhagiam internam è naribus & gutture, ubi omnia desperata sunt, tria vel quatuor grana intra corpus in aqua Bursæ Pastoris tutò exhibentur.

2. Si resolvatur cum aceto & Erysipelati seu doloribus Podagricis calidis exterius applicetur, plurimum confert.

3. Hæmorrhagiam vulnerũ externam impositione sistit.

4. Si Panaritio per duas imponatur horas, necat illum, vel imponatur digitale è corio multoties prius intus madefacto & exiccato.

5. Morti-

5. Mortificat etiam Cancrum, sed efficacius sola aqua Sperniolæ.

6. In profluvio muliebri contumaciſſimo, duo vel tria grana intra corpus in Aqua Artemisiæ offerantur.

7. In aqua Sperniolæ per se destillata, si tantillum aluminis solvatur, doloribus Podagricis linteis madefactis commodè & cum successu applicatur.

COSMETICUM CONTRA FACIEI MACULAS.

℞ Mercurii optimè purificati, à quo omnis nigredo diligẽter sit ablutione ablata, libram semis, misce postea in par opside terrea non de vitreata cum Mercurii sublimati pulverisati ana, ponantur omnia in Alembico anguſti orificii, superfuso aceto destillato, ad eminentiam 3. vel 4. digitorum, stent per dies tres vel quatuor, aliquoties in die movendo, tunc album pulverem extrahit, auferper inclinationem acetum subalbidum: pulverem album sponte ex aceto fundum petentem, per aliquot dierum moram abjecto aceto serva: Reiteretur sæpissimè hic labor, donec illius pulveris albi copiam habeas, quem per se sicca, & ad suos usus repone: Non est corrosivus, ideò nisi velis, ablutione non eget ulla.

Usus.

Externè saltem adhibetur illiniendo sputo proprio vel aqua Fabarum, contra omnes faciei maculas: item Serpiginem: insuper magnum medicamentum Incarnativum est:

In applicatione cave ne oculos vel dentes attingat.

UNGUENTUM SYMPATHETICUM
SEU STELLATUM PARACELSI.

℞ Adipis Verris aprugni
Urſini ana lotones octo.
Quo ſeniora animalia, eo melior adeps.
Utriuſque animalis adeps prius in vino rubro per dimidiam horam lento igne bulliat, poſtea effunditur ſuper aquam frigidam & cochleari colligitur pinguedo innatans, quicquid fundum petit, abiiciatur.

Poſtea ℞ Lumbricorum ex vino vel aqua lotorum ſextarios duos, torrefiant in olla tecta in fornace piſtoris, cavẽdum tamen ne adurantur, poſtea terantur in pulverem.

℞ huius pulveris.
Cerebri Aprugni ſiccati
Sandali rubri odoriferi
Mumiæ
Hæmatit. ana unciam unam:

Demum accipe Uſneæ è Cranio Hominis violenta morte perempti, abraſæ, Luna creſcẽte, & in bona domo exiſtente, Veneris ſi fieri poſſit, non Martis aut Saturni, ad pondus duarum avellanarum circiter. Ex omnibus tritis & invicem mixtis cum adipe ſecundum artem Unguentum fiat, in vitro clauſo, vel pixide diligenter ad ſuos uſus reſervandum.

Si fortè lapſu tẽporis Unguentum exiccaretur, dicto adipe vel melle virgineo humectari & emolliri de novo poterit.

Paretur

Paretur Unguentum Sole in Libra exiſtente.

Uſus & Vires Unguenti hujus Sympathetici.

Per Veneficia non perficitur hæc cura, ut ut imperiti fatui opinantur, ſed per medicamenti hujus vim Magneticam attractivam à ſyderibus cauſatam, quæ mediante aëre vulneri adducitur, & conjungitur, ut ſpiritualis operatio in effectum deducatur.

Fit inquam propter cõjunctionem Aſtralem & Elementalem: Ut enim Calor Solis cõcordat cum Terra, ita Perſicaria cum morbo: abeunte Sole abit Calor, ita hîc etiam.

Tria ergo ſunt, quæ cauſantur per hoc Unguentum tàm mirabilem effectum.

1. Sympathia Naturæ.
2. Influentia corporum cœleſtium ſuas operationes per Elementa perficiens.
3. Balſamum, quod ſanandi virtute præditum cuilibet Homini naturaliter inditum eſt:

Hoc Unguento ſanantur omnia vulnera, quocunq; telo, ictu, jactu, cuicunq; etiam ſexui inflicta (ita tamen ut nec nervi, arteriæ, nec unum è tribus principalioribus membris læſum ſit) modo telum haberi poſſit, etiamſi patiens multis miliaribus à nobis abſit. Et quia eſt conglutinantis, ſuppurantis & renovantis Naturæ, non permittit, ſi debito modo applicetur, vllum noxium ſymptoma ſupervenire.

1. Vnga

Observationes.

1. Ungatur telũ, quo Homo vulneratus est, singulis diebus semel, si necessitas urgeat, & vulnus sit ingens: alioquin secũdo vel tertio die inunxisse sufficit, servetur in mũdo linteolo & loco tepido nõ nimis calido, ne damnum inferatur patienti: Cavendum etiam ne pulvis desuper telum cadat, nec ventus afflet in loco frigido, alioquin patiens ad insaniam redigeretur.

2. Antequã telũ ungas, cõsidera, an punctim vulnus factũ sit, quod si est, ungatur defensoriũ illud superius (& nõ inferius) descendẽdo, alioquin nocumentũ adferretur ægrotãti.

3 Si verò nõ possis cognoscere, quàm profunde, vel quomodo defensoriũ in carnẽ introiverit, poteris illud totũ perungere, alioquin sufficit locũ teli, quo aliqs læsus, inunxisse.

4. Non est necesse consuere vulnus, more barbitonsorũ, sed saltem linteolo mundo quotidiè circumligare, in patientis urina prius madefacto.

5. Quo die quis inungat telum, abstineat à Venere.

6. Ante inunctionem teli, vulnerato etiam sistatur citissimè sanguis.

7. In fracturis & ruptura ossium aliquid pulveris Symphyti majoris poteris addere unguẽto, vel de radicibus Hellebori nigri.

Hab to telo, quo quis læsus, & cupias scire, utrum patiens sit moriturus vel supervicturus, sic experiêre.

Si illi

Si illi telo supra carbones calefacto in tantum, quod possis manum desuper tenere, subtilissimum pulverem è Sandalo rubro & Hęmatit. asperseris, si sudat guttas sanguinis, moratur patiens, sin minus, evadet.

Si verò scire volumus, utrum patiens se rectè gubernet in potu & aliis requisitis.

Hoc cognoscitur, quando in defensorio maculæ sanguinis apparent, sin minus, tum benè se gerit.

Notandum insuper

I. Non habitis armis seu telo, nihilominus quamlibet cutis aperturam & læsionem violentam, per quam sanguis egreditur, hoc Unguento sanari posse, ita ut lignellum salicinetum in aperturâ cruenta madefiat, & postquam sanguis adhærens siccatus est (non ad Solis vel Ignis calorẽ) sed sponte & per se, demum infigatur supradicto Unguento in pixide asservato, intus relinquendo.

II. Si vulnus fortè magnum & profundum esset, singulis auroris mundificari potest & recenti linteolo ligari, sine omni alio usu extraneorum oleorum, unguentorum & similium: tunc sanatur hoc vulnus quocunque modo inflictum per se, & sufficit lignellum semel tantum in apertura seu vulnere cruento prius madefactum, unguento pixidis infixum manere, usque ad sanationem plenariam.

III. Attamen quoties vulnus aliquod novum sanandum est, requiritur semper recens lignellum.

IV. Si verò vulnus nollet sanguinem emittere, tamdiu lignello scarificandum, donec sanguis effluat: Sic etiam in do-

SERIES
PRÆPARATIONUM
CHYMICARUM, UT ORDINE
IN BASILICA CHYMICA ILLÆ *habentur.*

SANATIONES OMNIUM morborum duplices *Pag.* 111.
Universalis altera *ib.* altera Particularis, 112
VIA PARTICULARI: MORBOS expelli bifariam 113
Primò per universalia emunctoria. ibid.
I. UNIVERSALE DIGESTIVUM seu Maturativum 114
Tartarus Vitriolatus 115
II. VOMITIVUM 118
Gilla Theophrasti seu Sal Vitrioli 119
Vitriolum album Vomitivum, *ib.*
III. CATHARTICUM, RESOLUTIVUM, Mundificativum, Abluens 121
Turpetum Minerale 122
Mercurius præcipitatus 124
Flores Butyri Antimonii 130
Flores Antimonii correcti 132
Electuarium Antimonii 134
Panchymagogon 137
Scammonii vera præparatio 140
Optima Scãmonii præparatio 141
Specificum purgans Paracelsi 143
Salia Herbarum 146
IV. DIURETICUM 148
Sal Succini 149
Spiritus Salis *ibid.*
Spiritus Salis Nitri 153
V. DIAPHORETICUM 154
Antimonium Diaphoreticum 155
Spiritus Tartari 157
VI. CONFORTATIVUM 161
Sal Perlarum 162
Sal Coralforum 164
Liquores gemmarũ & silicum 166
Acetum radicatum 167
Oleum Cynamomi 168
Elixir proprietatis Paracelsi 170
Balsama confortantia beneficio ceræ inspissata 172
VII. ANODYNUM, MITIGATIVUM, Somniferum, Sedans, 173
Laudanum Paracelsi laudatissimum *ibid*
Electuarium Laudani 176
VIII. ODORIFERUM 190

Secundò, per media specifica 113

MEDICAMENTUM SPECIFICUM omnium septem membrorum principalium 184
SPECIFICUM CAPITALE 186
Vitrioli Spiritus *ibid.*
EPILEPTICUM MEDICAMENTUM 188
APOPLECTICUM 189
Aqua vitæ Apoplectica eximia *ibid.*
Oleum Succini 190
Sal Succini 191
Balsamum Apoplecticum 194
OPHTHALMICUM 195
ODONTALGICUM 198
Oleum Anodynum *ibid.*
Aqua ejusdem efficaciæ *ibid.*
PECTORALE 199
Lac Sulphuris *ibid.*
CORDIALE 201
Aurum potabile 211
STOMACHICUM 218
Oleum Vitrioli Veneris & Martis *ib.*
UTERINUM 223
Elixir Uterinum *ibid.*
Pulvis è callis equarum 224
Extractum Splenis bovis *ibid.*
Sal Jovis 225
Aqua singularis in qua offertur Sal prædictum 226
FEBRILE 226
Pulvis 227
Potio *ibid.*
PESTILENTIALE 228
Elixir Pestilentiale *ibid.*
Flores Sulphuris 229
Aqua Theriacalis 2235
Zenexton Paracelsi 237
Zenexton ꝑ ditiorib. magnatib. 240
PODAGRICUM 243
Balsamum Podagricum I 244
II 245
Unguentum Anodynum *ibid*
NEPHRITICUM 246
Sal contra calculum 247
HYDROPICUM 249
purgans specificũ Hydropicũ 250
DYSENTERICUM 251
Pulvis Dysenteric⁹ eximię virtutis *ib.*
Croci Martis essentia 252
VENEREUM 254
Essentia Satyrionis 255
VENENATUM 257
Theriaca de Mumia *ibid.*
Arcanum Theophrasti ad quævis venena præstantissimum 259
Serpentum præcipue viperarum Alcohol 260
CONCLUSIO de morbis internis & quædam de morbis Astralib. 261.262.263
EXTERNA
VULNERARIUM, ULCEROSUM, PUSTULOSUM, mundificans, mitigans, consolidans 264
Balsamũ vulnerarium efficaciss. *ibid.*
Emplastrum stipticum 266
Lapis medicamentosus efficax 270
Sal, Butyrum, Saccharum seu Mel Saturni 273 Sperniola 276
Cosmeticũ cõtra faciei maculas 277
Unguentum Sympatheticum seu Stellatum Paracelsi 278
EPILOGUS 282

Addita sunt singulis medicamentis suæ vires, usus, dosis, modus exhibendi, cautiones & observationes: ut latius in sequenti indice suis locis sigillatim exponitur.

INDEX JUXTA LITERARUM ALPHABETI ORDINEM IN Basilicam Chymicam locupletissimus.

A

Ablatione in quibus morbis opus 115
Abluens 121.&c.
acetum esurivum 220
acetum radicati, Husero aceti terebinthinati, veri menstrui omnium duriorum lapidum, præparatio 167. ejusq; usus 168.248.249
Adam 206
adamantis pulveris assumpti remedium 259
ægrotus è vulnere an morituru sit quomodo in telo explorandum 280.281. item an recte in dieta se gerat 281
ægroti, qui opio & hyoscyamo non debite defæcato utuntur, in varia & calamitosa incidunt symptomata 175
aer ad sanitatem plurimũ momenti habet 180
aeris nulla corporis pars expers 155
alchimilla virtus 263
alcohol serpentum, præcipue viperarum, descriptum 260.261. eius efficatia & dosis ibid.
alimentorum nostrorum tria excrementa 249
alkermes extracti tinctura 222
alopeciæ cura 221
alvi profluviorum quorumcunq; cura vide & fluxus
ambusta omnia sanans lapis 272. item saccharum 274
amuleta seu pentacula constellata contra pestem 239.241
angelorum sedes 207
anginæ remedium 160
Anglicus sudor v. S
anhelitus fœtorem abigens, eiusq; suavitatem inducens 168.169
anima mundi 208.210
animæ omnes ad unam animam mundi referendæ 208.ad m.
anisius v. F. (169 193
animi deliquiorum singularia remedia 163
animalium venenosorum morsus sanans 270
anodynum 173.&c.
anodynorum necessitas 173
anthracis cura 258
antimoniũ apud vulgus infame & abominabile 173 in eius exhibitione cautiones 135.156
antimonii præparatio ut saltem per inferiora operaretur sine vulgari vehementia frustra attentata & jactata 137
antimonia optima præparatio, ut tuto intra corpus exhiberi possit 132.133
antimonii diaphoretici præparatio 155. melior aliorum conatibus 157. medicamentum 156. eiusque vires & usus 156.157
dosis 157.
antimonii butyrum v.B. electuarium v.E. flores v. F. (dum 131.132
antimonio purgante assumpto quid observandum
apoplecticum specific. 189.&c.
apoplexiæ præservativum 163. 195. 200. præstantiß. 192
apoplexiæ remedia 152. 195. præstantiß. 191. 192. odoriferum 183
apostemate in ventriculo existente abstinendum ab oleo vitrioli 122
apostematũ cura 153.234.258.272. singulare remed. 274. cunctorũ maturativum 270

aqua 249
aqua absinthii & rutæ specificæ febrifugæ 178
aquæ fortis & oleum tartari se invicem non patiuntur 222
aquæ regis 211
aquæ sapientiæ Philosophorũ 204. paucis nota (123
aquæ vitæ aromatisatæ 232
aquæ vitæ per se optimè à phlegmate rectificatæ usus 150
aquæ vitæ apoplecticæ eximiæ præparati 189
usus & dosis 189.190
aquæ in florum sulphuris destillatione collectæ usus & vires 233. dosis 234
aqua singularis, in qua hysterici suffocationem patientibus sal Jovis offertur, præparatio & usus 226
aquæ mellis tinctura 164
aquæ specificæ ad dolores dentium præparatio 198. usus 199
aqua sperniolæ, eiusq; vires & usus 276.277
Aquæ theriacalis præparatio. 235. vires usus & dosis 239
aranearum lapides præsentaneum in peste amuletum 240
aranearum virus si quis assumpserit, remed. 256
arcani corallini Paracelsi præparatio 128. usus 129.226.243.245 dosis 129
arcani Theophrasti ad quæ vis veneni genera præstantißimi præparatio 259. usus & dosis ibi.
arenæ remedium 220
aridorum confortativum 201
aridorũ remedium 163
aromatum olea v. O
arsenici antidotum 259 corrigens 274
artemisiæ virtus, eiusq; decoctum ad expurgationem mætricis 223
artheticus pulvis 243 (201
arthritidis & arthritici doloris medicina 178
artium & scientiarum omnium fundamenta naturalia unde elicienda primum 211
asthmatis & asthmaticorum affectuum remed. 228.234. aliud præservativum & sanativum 200
asthmaticorum fomentum 178
astomi homines, solis odoribus viventes 180
Athanasii magna 177
aurea maligna & pestiferæ remed. 195. v. & Pestis.
Aurea Alexandrina, 177. Nicolai 178
aurum metallorum rex & caput 205. metallorum purißimum 205. in se continet omne metallum, omniumve virtutem 205. inter mineralia primas obtinet 203. ad m. aurum est omnis natura 206. perfectißimum corporum omnium 206
aurum septem sigillis munitum in se maximum cordis confortativum continet 202. aurum, septenarius perfectionis numerus impletus 206
aurum receptaculum & subjectum omnium elementarium, cœlestium & supercœlestium virium 208. aurum Sol metallicus 203 Sol philosophicus & terrestris 205
aurum ut cum Sole cœlesti singularẽ habet concordantiam, sic & cum corpore humano suâ formâ internâ 204. auri naturalis præstantia inter metalla, comparata Soli inter planetas eximio 205. aurum & Sol ob concordantiam singularem uno & eodem charactere à veteribus figurata 210
aurum, universale subjectum ad animalia, vegetabilia, & mineralia, vita rerum omnium 204. ei omnes vires cœlestes planetarum, aliorumque corporum mineralium, vegetabilium & animalium infusæ 206. &

quomodo ei planetæ, stellæ, elementa & vegetabilia suas vires sub terra communicent, expensum 206.&c.
aurum ab animalium & vegetabilium provincia immeritò excludi 204
auri sedes in centro terræ 208
aurum commune cor nõ confortat, sed aspectum saltem exhilarat 202
aurum posse generare aurum 202
auro virtutes eximiæ à natura inditæ 202. exque eo concinnari potest à vero philosopho medela admiranda 202
aurum Paracelso triplex 208.ad m.
auri calx v. C
aurum potabile vel putabile potius 203. id falsò jactant Chymici 137. quod si quis ritè adplicari novit cordi humano, is terque quaterque beatus dicendus 203. auri potabilis conficiendi rationes & viæ vulgarium alchymistarum, ineptæ, vanæ, inutilesque quicquid glorientur 203. 204. eius fere centum descriptiones ab auctore frustra examinatæ, & expertæ 203. quædam descriptio singularis, quamvis ab auctore experientiâ non comprobata 203. 211. &c.
auri Quinta essentia resistit Solis, &c. planetarum operationibus in homine 202. ad m.
auri sophisticati impuritas & pernicies 226.
auri solutiones Philosophicæ non flavæ, sed rubicundissimæ 216
auri spiritus secretiss. cœlestis, imaginem Dei gerens 208
aurum volatile 212. 215. eius usus medicus 212 mira vires, contrariusque operandi modus quam pulveris pyrii ibid. inquisitiõ in causas 212. 213. auri volatilis pulvere ad imposturas quosdam abuti 217

B.

BAldi Angeli libellus de admirabili viperarum natura 261
balsamum, sanandi virtute præditum, cuilibet homini natura insitum 279
balsami apoplectici compositio 194. vires & usus
balsamum humidi radicalis 200
balsami podagrici præparatio 244. vires & utendi modus ibid. bals. prodagrici alterius præparatio & vires, usus q3 245
balsamum priscorum 171
balsamus sulphuris, eius q3 tinctura ad affectus asthmatices 228
balsami vulnerarii efficaciss. præparatio 264 vires & usus 266
balsama confortantia beneficio ceræ inspissata 172. eorum vires 173
biliosis nõ convenit oleũ vitrioli 222. nec temere offerendum turpetum antimoniumve 136
brachii dolorum cura 227
bufonum pulvis 239
veneni remed. 259
butyrum antimoniale 131
butyrum sebile ex optimo vini alcohol 164

C.

CAchexiæ medicina 135 (sit calculus non à debili, sed à forti digestione 235
calculi varia genera 246. eorum generatio ibi. unde figurarum varietas ibid. genera plusquam quinquaginta 248
calculi generationem impediens 235. præservativum 248
calculi remedia modò verè sint præcepta, in longitudine nil situm 247
calculi remed. 117. 152. 166. 192. 220. singulare 163. 249. diaphoreticum 157
calculos renum rumpens 171
calculosis nõ acuta medicamẽta exhibẽda 247
calidi innati confortativum 166
caloris excitatio in mundo 209
caloris nativi conservativum 179
calorum & sitiũ remed. 220
calx auri subtilissima 212
calcis auri peculiariter præparati essentia colorata medica 169. 170 auri calcẽ ut quidam conantur potabilem facere 275
calcis Solis subtilissima præparatio 211. 212
cancri cura 153. 275. 277
cancri remed. excellens 270
cancri oris cura 272
mamillarum cura 272
cancrosorum ulcerum cura 274
canitiem retardans elixir 171
canum morsus cura 266
capitale specificum 186,&c.
capitis confortativum 151
capitis defluxiones frigidas consumens 192
capitis dolorum cura 127. 196
fluxus consumens & exiccans 201
capitis doloris summi medela in exhibitione turpeti vel antimonii 137
capitis inflati cura 270
capitis morborum remed. 221
catharticum 131
diaphoreticum 160
capitis morbos periculosos timentium præservativum præstantiss. 192
capitis refrigerativum 171
purgativum 236
carbon cur addatur specifico odorifero 185
carbunculi cura 268
carcinomata à quadam vetula solâ alchimillâ curata 263 v.& cancer
cardiacorum medicina 179
carnem bonam in vulneribus producens 269
malæq3 excrescentiam prohibens 270
caryophyllorum oleum v.O
Catharinæ D. Bappenheymiæ curatio 160
catharticorum exiccativum 193. purgativum & mundicativum 114
catharrhorũ pectoralium, & phlegmaticorum remed. 234. tenuium defluxiones sistens 178
catarrhosorum medicina 17
catharticum 121,&c.
catharticum præstantissimum 130. aliud tale sine molestia & nauseâ purgans 142
catharticum tartari purificati 158
cathartica v.& purgationes purgantia,&c.
cathartica qua vi operentur 121. 122
eorum vis quo excitari & augeri possit 140
cathartica chymica nulla molestia etiam à delicatulis & nauseabundis assumantur 142
catharticorum vulgarium mos 148
catharticis ut remaneat vis purgans etiam post spiritus vini evaporationem 142
centri veri rationem qui cognoscit, eum nil latet in rerum natura 210. 211
centro & circulo hieroglyphice figuratus Sol tam terrestris quam cœlestis 210
cerebrum, membrum principale 184. ad lunæ vices alteratur 188. ad marg.
cerebrũ & duo maxima hominis viscera, duobus max. luminibus cœli dicata 201. 202
cerebri animalis virtutis facultatem confortans 193
cerebri cõfortatiuũ 163. 168. 201. reficiens 192
cerebri defluxionum cura 126
cerebri purgatio lenis 120
cerebri stuporem mirè removens 194
cerebrum felis si quis hauserit, antidotum 259
characterũ constellatorum vis miraculosa 284
characteristica ulcerum cura 264
cholericis abstinendũ ab usu olei vitrioli 222
Chymici de auro potabili falsò gloriantur 137

Chymicorum quidam inimicus convitiator notatus 221
cibus & potus tria habent excrementa 249
cinamomi oleum v. O.
circumferentiæ cum puncto cur veteres exordia rerum assimularint 205
clavi inunctio in equo, qui eo clavo transfixus, curando 282
cœlestium corporum sedes 207
cœlibatu vivere volentium medicina 275
cœlum & terra, partes mundi elementares 206
cœlum aureum nullo impuro mediante reseratur 204 ad marg.
cœli cor 208.209
colicæ cura & remed. 153. 154. 178. 193. 195 233.234.275 remedium præsentaneum 152 odoriferum 183. eam impediens 201
colicis doloribus turpetum antimoniumve non assumendum 135
colicarum cura ut instituenda 115
compositiones veterum & officinarum, quas opium & hyoscyami semen ingrediuntur, notatæ 177
concharum margaritiferarum sal v. S.
concocta solum medicanda nisi turgeant, Hippocratis aphorismus ubi locum habeat 115
concoctio Hippocratis 115
concoctionum signa in quibus morbis frustra exspectentur 115
confortans vegetabile Paracelsi, cum additione 254.155.256
confortativum 161,&c.
Conradini libellus de febre Ungarica 119. 181
constellatorum remediorum vis miraculosa 264
constipationes si adsint, turpetum antimoniumve non assumendum 135
consumptione in quibus morbis opus 115
contractorum membrorum cura 266
contracturæ cura 118. 153. 160. 162. 192. in manibus & pedibus 193
convulsionis remed. 162
convulsionis nervorum præservativum 200
coquus in absentia ligni quercini, fagino seu betulino utitur 204
cor & cerebrum, duo maxima hominis viscera duobus maximis cœli luminib. dicata 201.202
cor inter animalia primas obtinet 203 ad m. centrum corporis atq; radix 184 præest corpori universo 204. ad m. scaturigo vitalis spiritus & sanguinis 208
cor bene defendere, medici præcipuum officium 201
cor Sol animalis 203
cordi Sol collatus 208
cordiale specif. 201,&c.
cordiale nobilissimum 162
confortativa 152.163.168.171
cordis confortativum maximum in auro septem sigillis munito latere 202. non in vulgari ibid.
cor exhilarans 169
cordis medicina 151
cordis palpitationis & languoris remed. 193. 163. ut & tremoris 163.236
cordis roborativum, idq; à labe veneni servans 166
cordis virtutis vitalis facultatem confortans 193
corralli ut mirabiliter crescunt, ita mirabilia eorum arcana & mysteria 165
corallorum rutilantium integrorum virtutes 165
corallorum sal v.S. tinctura v.T.
in corpus quicquid redigitur, id crudum est & indecoctum 204
corpus inconsulte non movendum 122
corporis nulla pars expers aeris 155
corporis totius confortativum summum 256
corporum perfectissimorum balsama & proprietates, duris nimium corporum carceribus contineri 216

Cosmetici contra faciei maculas præparatio 277 eius usus ibid.
creatio mundi 207
creationis machinæ in tres orbes seu mundos divisio 206
croci destillata aqua flava 164
croci essentiæ per aquam vitis extractæ virtus 169
croci Martis essentiæ præparatio 252 longe efficacior vulgari croco Martis 253 eius vires ibid. dosis 254
crustaceorum lapidum sal v.S
crystallus tartari anatomiam, signaturam & curam in se continet 248
crystallus Paracelsi ludus putatus à Montano 248
curatio morborum vel universalis vel particularis 111.112
curationes, quæ corroboratione, sedatione & mitigatione absolvuntur, præstantiores & tutiores. 61 jungendæ & miscendæ quoad fieri potest cum purgantib. diureticis, &c. ibid.
cutis sicuum extra & intra cura 270
cutim inficientium affectionum cura 221
cynosorchidum radicum testiculi cõtrariæ virtutis 255
in iis signatura membrorum externorum utriusq; sexus 256

D.

David Syderocrates medicus 160
defluxiones frigidas capitis consumens 192
defluxiones omnes omnium humorum sistens 178 omnes tollens & mundificans lapis 271
defluxionum cerebri cura 126 salsarum cura 120
delirii catharticum 135
dementiæ remed. catharticum 133
Democritum helleboro Hippocrates curare curnoluit 122
dentes confirmans lapis 271
dentium ad dolores efficaciss. remed. 199
dentium doloris miraculosa cura per inunctionem scalpelli 282
dentium doloris è defluxionibus cura 193
dentium dolentium erosorum medicina 198
desperationis è nimia tristitia medicina 166
destructione curatio in quibus morbis instituenda 115
Deus in dispositione rerum per gradus semper nobiliorem in summo collocavit 207. ad m. ethnicis etiam visibilem suam essentiam per opera sua manifestissimam fecit 207
Deum unicuiq; è tribus mundi regionibus exemplar suæ omnipotentiæ indidisse 207
διαπήδησις 162
diapensiæ virtus 263
diaphoreticum 154,&c.
diaphoreticum ex auro volatili 212
diaphoreticus pulvis aliorum examinatus 157
diaphoreticorum necessitas 149
diarrhœæ generatio 251 cura 253
digestio debilis nunquam calculum produxit, sed fortis 247
digestionem promovens 220
digestivo in quibus morbis opus 114.115
digestivum universale 114
digestivum ex tartaro vitriolato 117
divinæ dignitates Dei 207
diureticum 148
diureticorum necessitas 149
doloribus omnibus acutis, tam externis quam internis, medicina singularis laudanum 178

dorsi dolorum cura 120.270
dra unculus 262
dysenteriæ generatio cura 251 152.252.253
dysentericum *specif.* 251

E.

Electuarii de antimonio præparatio 134 *vires* 135. *dosis* ibid.
electuarii è laudano præparatio 176. *eius usus, vires & dosis* 180
electuariis ut cõservetur cathartic orum vis purgans mixta post spiritus vini evaporationem 142
elementorum sedes 206.207
elixiris pestilentialis præparatio 228. *vires, usus & dosis* 239
elixiris proprietatis Paracelsi compositio 170 *inque ea cautio, à Paracelso occultata* 170. 171. *usus & vires* 171. *dosis* 172. *eius præstantia* 171 (224
elixiris uterini præparatio 223. *usus & dosis*
emplastrum ad dysenteriam 252
emplastri stiptici vulnerum ulcerumque telo inflictorum præstantissimi compositio 266 267.268. *vires innumeræ* 269.270
ens seu lac balsami 234 *eius usus & vires* ibid. *dosis* 234
entia morborum quinq; secundum Paracelsum 262. ad m.
enulæ campanæ extractum. v. *extractum*
epicrasis Galeni 115
epilepsiæ generatio 116. *præservativum* 195 234 *aliud singulare* 192
epilepsia cura ut instituenda 115 *cura universalis* 111
epilepsia confirmata non tollatur simpliciter præparato vitrioli spiritu 186
epilepsia remed. 166.179.195 *alia præstantiss.* 163.191,192 *aliud cathartic um* 134 *aliud odoriferum* 183
epileptici *medicamenti specifici præparatio* 188 *eius q; usus & dosis.* ibid.
epileptici crescentiu lunæ damna sentiunt 188 ad m.
equi clavo transfixi cura per inunctionem eius clavi 282
erysipelatis cura 160.272.276
essentiæ satyrionis præparatio 255 *vires, usus & dosis* 256
evestrorum amuletum 165
excrementa tria in cibo & potu 249
extracti enulæ campanæ præstantia in peste 228
extracti splenis bovis præparatio 224. *vires* ibi. *dosis* 225

F.

Faciei macularum cura singularis 277 *faciei pustulæ* v. P.
famem sedant in defectu perdicum, etiam carnis bubulæ 204
fascinationum remed. cathartic um 133
febrile *specif.* 226.227
febres plurimæ non opus habent digestivo 114
febris quartana vide Q.
febrium an è mercurialibus, an sulphure, an sale proprio, an hepate, an stomacho, signa 226
in febribus secundum Theophrastum quando medicamenta exhibenda 227
febrium omnium præservativum 234. *remed.* 117. 118.120.193.177 233.236 *remed. specificum* 227. *cathartic um* 126 131 *diaphoreticum* 157 160
febrium acutarum remed. cathartic um 133
febrium ardentium remed. 187
febrium omnium, & ardentiss. marum, ubi vigilia laboriosæ, remed. 178

febrium

febrium diuturnarum remed. 152 *diuturnarum putridarum cathartic um* 135
febrium è stomacho, vel hepate cura 220. 226
febris vngarica remed. 187
fel, membrum principale 184
felis cerebrum v. C.
fermentum medicinæ 123
ferrum ex vulneribus extrahens 270
ficuum ani cura 273
ficuum cutis extra & intra cura 270
fistularum cura 275 *remed. excellens* 270 *inunctio præsens* 153
flores inter destillandum flavas guttas emittentes 164
flores antimonii albi 227 *vulgares* 131.132
florum antimonii correctorum præparatio 132 *usus & vires* 133.134 *dosis* 134
florum butyri antimonii præparatio 130 *usus, vires & dosis* 131
flores sulphuris 229 *eorum præparatio* 230 *&c. vires & usus* 234 *dosis* 235 *cautio de iis* ib.
flores sulphuris compositi 232
fluxiones intempestivas sistens 253
fluxus capitis v. C.
fluxus ventris cũ variis coloribus generatio 251
fluxuum ventris remed. 165
fluxuum muliebrium immodicorum cura 165
fœtore ægrotantes difficulter sanantur 180
fœtor oleorum omnium ut tollatur 159
fœterum signatura 159
fœtus in utero confortativum 163 *in eius expulsione cura* 193
fons acidus artificialis 220
fons luminis cœlestis Sol 209
fontem universalis menstrui v. M.
frigoris excitatio in mundo 209
frigidorum remedium efficax 256

G.

Gemmæ quædam auro quod præferantur, sit ob earum raritatem, non quod meliores sint 324
gemmarum liquores v. L.
gemmarum virtutes accusant temeritatem hominum scelestam 216
gillæ Theophrasti præparatio 119 *usus, vires & dosis* 120
gingivas à putredine conservans lapis 271 *earumque affectiones omnes sanans* 272
gravidis parcolæ aromaticæ exhibendæ 169 *non temerè offerendum oleum & flores sulphuris sublimati* 235
gonorrhœæ cura 253
gummata in digestione ingratum nanciscuntur odorem 183
gutturis ulcera sanans lapis 272

H.

Hæmicraniæ cura 117.171
hæmorrhagia naturæ spontanea salutaris 162
hæmorrhagiæ internæ desperatæ cura 276 *& vulnerum externæ ibid. internæ & externæ cura* 253.254
hæmorrhagiæ narium cura 252 *etiam desperatæ* 178
hæmorrhoidum remed. 165.253
halchymiæ veræ nomen unde 204 ad m.
hecticorum remedium 171 *confortativum* 201
helleboro etsi Hippocrates Democritum curare noluit, & cur 122
hellebori vomitivum 119
hepar v. *& iecur* (151
hepar, membrum principale 184 *eius medicinæ*
hepatis naturalis virtutis facultatem confortans 193

hepatis affectuum cura 254
obstructionum remed. 233
herbæ omnes ab intra sanguis & sanguinei coloris 216
herbæ inter destillandum flavas guttas emittentes 164
hernioſorum cura 152
homo attrahit à ſuperioribus 203
hominum temeritas in non naturalem uſum transferentium, & iniquas uſuras exercentium 217
humidum radicale ſale perlarum renovatur, augetur & confirmatur 163
humidi radicalis balſamum 200
humoris vitæ confortativum 163
humores ſuperflui, vitioſi, vel noxii quo educantur 126.139.148
humorum omnium defluxiones ſiſtens 178
humores pravos exſiccans & conſumens, è quibus podagra, arthritis febres oriuntur 163
humores diverſos ventriculi educens 171
Huſerus chymiater 127.129.186 eius acetum terebinthinatum 168
hydrargyro inunctis conveniens 221.236
hydropis generatio 249.250 cura ut inſtituenda 115 cura univerſalis 111
hydropis craſſorum & ſeroſorum humorum exurgatio 118
hydropis remed. 151.166.250.254 aliud appropriatum 126 alia cathartica 129.131.132 confortativum remedium 163 diaphoreticum 160
hydropicum ſpecif. 249
hydropicorum ſitis remed. 150.157
hyoſcyami non debitè defecati uſus perniciosus 175
hyſtericis ſi detur Laudanum, cautio ibid.
hyſterici morbi proſligatio 224.225.226

I.

Icteri vel icteritiæ cura 152.160. 193.221. 236 & medium præſtans cathartium 126
ictus cuiuſcunque dolores mitigans 270
ictuum quorumcunq; etiam in capite cura 269 etiam telo ſeu globo tormentario factorum 264.266
ictuum omnium cura miraculoſa per telum inunctum 279. &c.
idearum ſedes 207
ignis cœleſtis & invincibilis Sol 209
ignis Perſici remed. excellens 270.274
ignis ſacri cura 272
igne ambuſta membra ſanans lapis 272 & ſaccharum 274
iecur v hepar
iecori quando non venit oleum vitrioli 222
iecoris obſtructionum remed. 166 etiam deploratarum 254
iliacæ paſſionis remed. 152
imbecilles viribus non temere aſſumant turpetum antimoniumve 136
impetiginum cura 274
impoſtoris cuiuſdam fraus, cui auctor aurum volatile communicarat 217.218
incantamentorum cura magica 262.263
incarnativum medicamentum 277
infantibus etiam poteſt exhiberi electuarium laudani 180
inferiora vim attrahendi habent à ſuperioribus 263
inflammationum omniũ cura 266.274.275
inflammationum magnarum internarum cura 275
inquietudinum immodicarum medicina 178
inſaniæ cathartic um 135
intellectum acuens 171
intelligentiarum ſedes 207

intem-

intemperantia hodierna, medicorũ nutrix 122
inteſtina confortans 171
inteſtinorum in profluviis cura 178
iuventutem fortiter conſervans elixir 171

L.

Lac balſami 233 eius uſus & vires ibid. doſis 234
lactis muliebris emendativum 162
lactis ſulphuris præparatio 199.200. vires, uſus 200.201. doſis 201
latitiam afferens elixir 171
lapidis medicamentoſi efficacis compoſitio 270. 271 eiusque vires & uſus 271. 272 utendi modus 273
lapides aranearum v. A.
lapides ductibiles metalla 205
lapidum cruſta eorum ſal v. S
lapidum duriorum menſtruum verum 167
lapidum omnium naturalis & radicalis in ſua tria ſolutio ei facilis, qui menſtrui univerſalis ſcientem attigerit 217
lapidum Paracelſi contra calculum ſolutio 168. 248
laterum punctura v. P
laudani Paracelſi laudatiſſimi præparatio 173. 174. inque ea obſervationes 175. ex eo electuarium 176. laudanum medicamentum ſuo nomini reſpondens 177 eius vires & uſus 177.178.179.226 doſis 179
laxativi omnis veri tres facultates 121
lentiginis diaphoreticum 160
lepræ initia profligans 160 eius cura univerſalis 111 præſervativum 200 cathartic um 131
leproſi morbi quam curationem requirant 115
leproſorum cura 151
lubidinem Veneream reprimens 275
lien, membrum principale 185 eius affectionum cura 275
dolorum & obſtructionum remed. 157 224 etiam deploratarum 254
lienoſorum cura 252
lienteriæ generatio 251 cura 252
lignum è vulneribus extrahens 270
lignelli inunctio in miraculoſa vulnerum cura 281
lippitudinum cura 197
liquorum è gemmis, ut rubinis, granatis hyacinthis, topaziis, amethiſtis, cryſtallis & ſilicibus præparatio 167
Lucifer fæculentus & ponderoſus olim è cœlo ſpirituali dejectus 204 ad m.
luis Venereæ cura ſingularis 160 præſervativum 200 alia remed. 126. 236. cathartic um 131 expurgatio unica 126. 127 remed. diaphoreticum 157 ſudoriſicum 234
lumbricorum curatio 120.152 in puerulis 120
luna cœleſtis regina & uxor ſolis, omnium cœleſtium virtutum ultimum receptaculum 210 virtute ſolis domina generationis augmenti & decrementi 210. ad m.
luna cornea chymica 218
lunæ etymon 210 ad m.
luna operatio in inferiori mundo 210
lunæ ſphæra cur à Deo in infimo loco corporum cœleſtium & ſupremo elementarium collocata ibid.
lunæ vires in cerebro alterando, & in epilepticis 188
lupi ulceris cura 153.274
lux vita Sol 209
lympha vera philoſophica & nobiliſſima 123

M.

Maceris oleum v. O
macula faciei v. F

Macul'a-

macularum in oculis cura 197
mœstitiæ præter rationem conducens 169
magnes. hominis cura magica 263
magnetis naturæ spiritualis, sympathici vel antipathici, vires mirificæ. 237. ad m.
magnetica vis 262.263 279
mala maiori bono copulata natura consistunt 261
maleficiatorum remed. efficax 256
mamillarum cancer v. *C*
mamillarum ulcus v. *V*
maniæ remed. 179 *cathartica* 133
manuum scabies v. *S*
marcoris senilis remed. 16
margaritarum sal v. *S*
margaritas solvendi inter varias via optima & simplicissima 162
Maria semper virgo 123
massa pro efformandis amuletis seu pentaculis constellatis in peste 239
matricis agritudinum remed. præstans 195 *eius expurgatio* 223 *eius motum sedans oleum* 192.193
matricis os sursum deorsumq; vertitur, suavi odore spirante 181
matricis suffocatio v. *S*
maturativum *universale* 114
medela mirabilis & ab omnibus expetenda ex auro à vero Philosopho cõmunari potest 202
medicamentũ solutivum omne depradari quid de corpore nostro, scitum Hippocratis 122
medicamenti specifici *omnium septẽ membrorum principalium præparatio* 184 *eius usus dosis* 185
medicamenta acuta calculosis non exhibenda 289
medicamentis fortibus & violentis non temerè utendum 122
medicina adepta quid 262 ad m.
medicina particularis 112 *sæpe fungitur universalis officio ibid. quibus modis via particularis morbi expellantur* 113
medicina universalis eiusq; præstantia 111.112
medicinam plerunq; latere apud summum venenum 261
medicinam unam communem esse posse omniũ morborum 111 & ad m.
medicinas bibere, Naturæ laboriosum 122
medicus qui terque quaterque beatus dici queat 203
medicus adeptus ut cognoscit & curat morbos astrales 262
medici præcipuum officium 201
medi is unicè quærenda medicina universalis 112 *à Platone permissum officiosum mendacium* 143
medicis indoctis & inexpertis caruisse, pro conservanda vita & sanitate optimum consilium 112 ad m.
medicorum nutrix intemperantia 122
medullam in ossibus purificans 126
mel absque aculeo non reperitur 261 ad m.
mellis Saturni præparatio 273 *vires & usus* 274.275
melancholiæ cura & remed. 118.165.171 *cathartica* 135
melancholicis affectibus præter rationem mœstis conducens 179
membrum principale quodlibet destructũ, mortem adfert 184
membro principali læso, turpetum vel antimonium non assumendum 135
membra septem principalia 184 *pro iis conservandis specificum medicamentum* 184.185
membrorum septem principalium aliquod necessario in omnibus morbis afficitur 185 *eorum conservatio necessaria; si vitam vis conservare* 184.185
membrorum principalium omnium confortativum 168 *aliud purgans, restituens, & confortans medicamentum* 236
membrorum omnium confortativum 163. 169 *aliud singulare* 256
membrorum contractorum & de loco motorum inunctio 153 *aliud pro contractis membris* 275
membrorum contractorum & contusorum cura 266
membrorum dolores curans saccharum 275
memoriæ confortativum 163.171
mendacium officiosum à Platone medicis permissum 143
menses provocans 169.224 *sistens* 253
mensium retentionis & suppressionum cura 118.193. v. statim & *menstrua*
menstruum verum omnium duriorum lapidum 167
menstrui universalis fontem qui attigit, poterit tam metalla quam lapides naturaliter & radicaliter in sua tria resolvere omnes 217
menstruorum multorum mos, unde quidam falsò arbitrati se tincturam rei solvẽdæ habere, quum sit ipsius menstrui solventis 164.165
menstrua si quis hauserit, remedium 259
menstruorum nimia evacuationis cura 179
retentorum vitia corrigens 160
superfluorum remed. 166
menstruis in provocandis quodnam tempus observandum 235
mercurius balsamum naturæ, in quo virtus est incarnativa 126 & *regenerativa* 130
mercurius vitæ vulgò dictus, quo cum damno utentium quidam abusi 130
mercurius vulgaris pro famulo & servo fugitivo à Philosopis Hermeticis semper habitus 123 *cum certa præparatione, dosi & mixtura divinum evadere pharmacum* 123
mercurii impuritates quamvis profundius admixtas, tolliposse 123
mercurii præparandi viæ variæ Chymicorum 123.124
mercurii præcipitandi ratio commodiss. & tutiss 124.125 *eum prorsus figi non necesse esse* 125 *vires eiusmodi præcipitati* 126.127 *dosis & usus* 127
mercurii sublimati si quis assumpserit, antidotum 259
mercurii omnis sublimati & corrosivi corrigens 274
mercurii sublimati rubei, non corrosivi præparatio 128 *usus & dosis* 129
mercurium tractãdi pro medicina corporis duo modi secretissimi 129.130
metallum posse producere metallum 202
metalla, planetæ terrestres, suum lumen, vim & radios ab auro accipiunt 205
metalla lapides ductibiles ibid.
metallorum eximium aurum v. *A*
metallorum generatio cur non tam clara quàm vegetabilium & animalium 202 *eorum sedes* 208
metallorum omnium naturalis & radicalis solutio in sua tria ei facilis qui attigit menstrui naturalis fontem 217
metallorum virtutes dolere se frustra in mundum venisse, ob scelestam hominum temeritatem 216
metallis cur veteres Cabalistæ characteres & nomina cœlestiũ planetarũ imposuerint 205
microcosmus 206
mineralia omnia ab intra sanguis & sanguinei coloris 216

mineralium acrimoniam & vim corrosivam corrigens 274
mithridat. Andromachi 178
mitigatio Paracelsi 115
mitigativum 173 &c.
mons sulphureus in regno Neapolitano 230
morbus in homine quid 111 ad m.
morbus non potest curari sine membri principalis conservatione 185
morbus Vngaricus per sudorem vult curari & odorum in eo utilitas 154 181
morbi Gallici cura 119
morbi regii cura 117
morbi Venerei mitigativum 163
morbum consumit lac sulphuris instar ignis occulti 201
morbi astrales, spirituales, imaginarii, votales, ut curentur 262. 263 *morborum astralium praservativum* 240
morbi chronici, critici & longi non purgationes volunt; sed arcana 122. *chronicorū curatio ut instituenda* 115 *iis si purgationes adhibentur, cautio* 122
morbi materiales via particulari septem modis expelluntur per emunctoria universalia 113 *tum per remedia specifica* ib.
morbi multi sine anodynis curari nequeunt 173 *multi opus habent odoribus & odoratis* 180. 181. 183 *multi per sudorem curari volunt* 154 *& tertia pars omnium morborum ita curari possunt* 155
morbi qui digestivo opus habent, & qui non 114. 115 *qui resolutionem, non concoctionem poscunt* 115
morborum origo ex suo principio petenda, & tunc curatio instituenda 263
morborum quatuor summa genera 111 *curationi universalis subiecta* ib.
morborum naturæ & proprietates variæ 263 *sanatio duplex* 111 *universalis ibid. & particularis* 112
morborum omnium posse esse remedium universale 114
morborum fixæ radices purgationes requirunt 122
morborum ab atra bile purgatio 134 *dissolutorum, ubi consolidatione opus, remed.* 254
morborum deploratorum remedium præstantiss. mercurius 126 *deploratorū, ubi nec ægroto nec medico constat de morbi genere, remedium specificum* 185
morborum entia quinque secundum Paracelsum 262 ad m.
morborum epidemiorum remed. secretum 229
morborum evacuatione egentium omnium catharticum 140. 147
morborum omnium, qui exiccatione efficaci opus habent, remed. 234
morborum ex humorum putredine ortorum cura 126
morborum longorum & obfirmatorum catharticum 135
morborum omnium impuritates per alvum non excernuntur 149
morborum omnium prophylacticum 234
morbis in contumacibus turpeti antimoniive usus 136
morbis desperatis conducens catharticum 129
morbis plurimis succurrens catharticum 134
morbis in venenatis fœtidorum sudorum expulsivum 159
morbis variis & omnibus remed. 151
morbos tam frigidos quam calidos curam elixir 172
mors præcedere debet regenerationē 217 ad m.

morsus canum cura 266
morsus venenati v. *V*
muliebres fluxus v. F
muliebrium obstructionum deopilativum 223
muliebrium sanguinu profluviorum, quamvis magnorum & contumacium, etiam in prægnantibus, cura 252
muliebre profluvium v. P
mulieribus si exhibeatur laudanum, cautio 175
mumia rubra 256
mundus intelligentiæ 207
mundi tres, elementaris, intellectualis seu angelicus & archetypus, & eorum ordo 206. 207. 208 *præfigurati à Moyse* ibid.
mundificatia in quib. morbis requiruntur 114
mundificativum 121 &c.

N.

Napelli veneni remedium 259
Narium hæmorrhagiæ desperatæ sanatio 178
natura confortata per Ἀφεπίδνοιν sapius per hæmorrhagiam spontaneā morbidam materiam expellit 162
naturæ gratis odoribus recreatur, ingratis affligitur 180
naturæ conservativum 234
naturæ quatuor principia 203 ad m.
naturæ operationis finis & perfectio in auro 206
naturæ internæ in omnibus membris confortativum 163
nauseam tollens 254
nebularum in oculis cura 197
nephritici doloris cura 178. 246
nephriticum *specif.* 246
nephritidis cura ut instituenda 115
nervorum contusorum aut truncatorum optimum remedium 270
nervorum convulsionis præservativum 200
resolutionis cura 162
nervos aut nervosas partes spasmo infestatos aut contractos refocillans 192
nitri crudi usus in colica 153
nitri vires reconditæ semper in magno pretio Hermeticis medicis 154
noli me tangere curans lapis 272
nucis muscatæ oleum v. O

O.

OBstructiones omnes tollens 118. 166. 221 *obstructiones lienis, venarum, viscerum, vide I & V*
obstructionum remedium excellens 159 *deploratarum iecoris & lienis cura* 254
obstructionum muliebrium deopilativum 223
oculus mundi seu cœli Sol 209
oculorum affectionum omnium, inflammationum, lippitudinum, nebularum, fistularum, &c. remedium specificum & cura 197
oculorum caliginem depellens 171
oculorum cancri sal v. *S*
oculorum inflammationum & rubedinis opt. remedium 275
oculorum lacrymas, rubedinem & dolores tollens lapis, etiam caliginem 271
oculos ad desperationem læsos sanans 198
odontalgicum *specif.* ibid.
odoris elixiris vitæ, secundum Bapt. Portam, vis 180
odoriferum ibid.
odoriferi specifici compositio 181 *alius modus* 182 *in eo Paracelsi processus notatus* 181 *usus & vires* 183. 184
odorū necessitas in multis morbis 180. 181. 183
odorum bonorum virtus, & ex malis odoribus incommoda 180 181 (ib.
olei anodyni specif addentes præparatio 198 *usus*

oleum caryophillorum 169 *eius præparatio ibid. eius subtilior tinctura* 222
oleum cinamomi inter efficaciss. confortantia Spagyrica 168 *observatio in eius præparatione ibid. quo pacto maior copia olei haberi possit, quam vulgo sit ibid. vires & usus* 168. 169 *dosis* 169 *hyeme uti convenit magis ib.*
olei de macere præparatio subtilior & efficacior 169
olei de nuce muscata præparatio subtilior & efficacior ibid.
oleum sacrum 191
olei salis præparatio 214 v. *Spiritus salis*
olei succini præparatio 190.191 *eius vires præstantiss.* 191.192 *dosis* 194
olei sulphuris quo pacto maior copia haberi possit 170 *gravidis non temerè offerendū* 235
oleum tartari & aquæ fortis se invicem non patiuntur 235
oleum vitrioli dulce, ut & antimonii, auctor apud neminem se vidisse ait 222.223 *eius usus in tincturis rosarum pallidarum, violarum, &c.* 222
oleum vitrioli subdulce efficaciss. 187
olei vitrioli subviridis smaragdini efficaciss. præparatio 223 *operatio & dosis ibid.*
olei vitrioli Veneris & Martis præparatio 218. 219 *eius vires & usus* 220.221 *dosis* 221 *cautiones in eo exhibendo* 222
olea ex aromatibus qua via fiant efficacius longe & subtilius quam vulgo 169 *cautio in eorum usu* 169 *aliud præstitum iis meditantibus ibid. quo pacto inspissentur, ut facilius circumferri possint* 172
olea ut à fœtore rectificentur 159
ophthalmiæ cura 272
ophthalmicum mirum & stupendum 198 *aliud singulare* 260
ophthalmici specifici præparatio 195.196 *usus* 197 *modus applicandi* 197
opii usum à quibusdam sciolis intra corpus frustra formidari 177 *eius non debitè defecati usus pernicios us* 175
opobalsamum Europæum præstantiss. 191
oris cancer v.C
oris vitia sanans lapis 272
ossis rupti cura per teli inunctionem 181 v. *& ruptura*
ossium fractorum cura 266
ossium medulla v.M

P.

Paeonia florum tinctura 222
palpitatio cordis v.C
panaceæ nuperæ illius decantatæ examen 123
panaritii cura 276
panchymagogon catharticum præstantiss. 137 *eius præparatio* 137.138 *usus & dosis* 138. 139.277 *eius alia descriptio* 139
panis & vinū sustentationis præcipua fulcra & procreationis media singularia 255 ad m.
papaveris sylvestris tinctura 222
paralysis præservativum 171 *aliud certiss.* 163 *aliud singulare* 192 *& remedium præstantiss. ibid. eius cura* 152.159.166
partum promoventia 169.192
pectorale *specif.* 199. *&c.*
pectus mundificans 171 *purgans* 236
pedum pustulæ v.V *perlarum sal* v.S
persicaria 262 *eius cū morbo concordantia* 279
pestiferæ auræ & malignæ remed. 195 *alid odoriferum* 184
pestilentiale *specif.* 228. *&c.*
pestis ira Dei, & peculiare flagellum Dei 228 *per sudorem vult curari* 154
in peste usus antimonii 136 *odorum utilitas* 181
pestis amuleta præstantiss. 239.241

pestis

pestis fœtorum expulsivum per sudorem 159
pestis præservativum & curativum 191 *alia singularia* 234.258
pestis curatio & remed. 120.151.152.221.223 *cathartica* 127.131.133.135. *diaphoreticum* 157
pestis popularis remed. 171
phagedænicorum ulcerum inunctio efficax 153
phantasia remed. 165
phantasmata pellens 165
pharmacopolii pars quarta Paracelso oleum vitrioli 220
philtrorum remed. 133
Philonium Romanum, Persicum, Tharsense 177
phœnix incombustibilis Chymicus 203
phrenesis cura 162.179
phthisicorum cura 201 *fomentum* 178
phthoræ veneni remed. 259
picrocholis abstinendum ab usu olei vitrioli 222 *iisdem non offerendum temere turpetum antimoniumve* 136
pilulæ de cynoglosso 178
plagam quamcunq; antiquam mortificans & mundificans lapis 272
planetæ cœlestes suum lumen & splendorem à Sole: terrestres, ab auro accipiunt 205
planetæ per se mortui, à Sole incenduntur & agitantur 209
planetarum nomina & characteres cur metallis attribuerunt vet. cabalistæ 205
planetarum sedes 207 *vires & virtutes in Sole* 209
pleuritis per sudorem vult curari 154 ad m.
pleuritidis remed. 154.160.233.234.258. *aliud catharticum.* 126
pleuritici doloris medicina 178
plumbum ex vulneribus extrahens 270
podagræ præservativum 163.171
podagra ad curationem tria requiri secundum Paracelsū 243. *eius cura universalis* 111 *cura per resolventia* 243 *per mitigantia* ibid. 244.245. *per corroborantia* 243.244
podagræ incipientis & levis cura 243 *confirmata cura* ibid.
podagræ remed. 152.153 201. *catharticum* 126 *diaphoreticum* 157
podagrici morbi cura ut instituenda 115
podagricorum dolorū calidorum remed. 276 *aliud frigidorum* 245
podagricos dolores leniens 277
podagricum *specif.* 243
potionis contra febres præparatio 227
primi mobilis sedes 207
principia 4. naturæ 203. ad m.
profluvia alvi, sanguinis, &c. v. A, S. & *fluxus*
profluvii albæ muliebris cura 253
profluviis intestinorum medela 178
profluvii muliebris contumaciss. cura 277
prunellæ cura 154
pruritus cura 221
puerperis etiam laudani electuarium potest exhiberi 180
pulmo, membrum principale 184
pulmonum specificum remed. 200
pulmonum affectus curans omnes 171.234
pulmonis obstructionum remed. 166
pulvis contra calculum singularis 249
pulveris Arthetici præparatio 243
pulvis crystallinus è mercurio sublimato, eiusq; vires 130
pulveris dysenterici eximii præparatio 251 *vires, usus & dosis* 252
pulveris ad febres specifici præparatio 228 *usus & dosis* ibid.
pulvis paracelsi è lichenib. seu callis in equarum

cruribus 224 ejus usus ibid.
puluis Paracelsi purgans è hermodactylis 245
puluere tormentario fortior pulvis auri volatilis & operatione contrarius 212.213
puncti veri rationem qui cognoscit, nil hunc in rerum natura latet 210.211
puncta lineæ rectæ & circumferentiæ cur vet. cabalistæ assimilarunt exordia rerum omnium totius mundi 205
punctionum omnium cura 264.266
punctura laterum remed. efficax, 194. alia 160.236
punctura circa umbilicum cura 275
purgandi vera ratio 121 & quando remedium suo officio functum judicare debemus ibid.
purgans per quauor emunctoria 116
purgantis specifici Theophrasti præparatio 143. 144. 145. eius parandi modus facilior secunda operis reiteratione 145. vires, modus exhibendi, dosis 145.146
purgantis specifici hydropici præparatio 250. vsus & dosis ibid.
purgantia in quibus morbis locum habent, in quibus non 114.115
purgatio in febribus 227
purgationes v. & cathartica.
purgationes quæ fugiendæ 121. in quibus morbis non usurpandæ 122. quando locum habent 115. caute in morbis chronicis instituendæ 122
purgationum necessitas 122
purgatrix vis in exactione purgantium sæpe debilitatur 139
pustularum in facie rubearum cura 174
in pedibus cura 272
Venerearum cathartica 127
pustulosum specific. 264.&c.
putredinis remed. 166.236. aliud præstatiss. 247
putredines absumit in vulnerib. &c. salis spiritus 150
putrefactionem arcens oleum 169.221
putrefactionum omnium cura 234. ibid. per catharticum 148. aliud remedium eximium 159

Q.

QVartana remedia 117.171. aliud cathartica 135
quartanarum cura ut instituenda 115

R.

RAnarum sperma quando colligendum 276
regenerationem mors præcedere debet 217. ad marg.
remedium commune esse posse omnis morbi 111
renes membrum principale 184
renum deopilativum & detersivum efficacis. 117. aliud expurgativum 152
renum obstructiones tollens 166
renovat hominem spiritus salis 151
rerum abditarum fundamentum & radix 211
rerum majestas naturalis, hominum temeritate in infames & peregrinos usus conversa 217
resolutivum 121.&c.
resolutione curatio in quibus morbis instituenda 115
rhabarbarum parva elixatione amittit vim purgantem 255
rorellæ vel roris Solis aqua destillata flava 164
rosarum pallidarum tinctura 222
rubinus habet in se effectum omnium gemmarum 205
rupturæ remed. 270
rupturæ ossium cura 266

Sac-

S.

SAcharum in vegetalib. acrimoniam & amaritudinem rerum corrigit 274
sacchari Saturni præparatio 273 vires & usus 274.275
sal 249
salis simplicis virtutes 150.151
in sale & sole v. mox Sol.
sali communi prorsus natura contrariæ spiritus salis 150 idque tribus rationibus ostensum ibid.
sal Armoniacum & tartarus inter se contraria 213
salis butyri præparatio 273. vires & usus 274 275
salis contra calculum præparatio 247 usus vires & dosis 248.249. & de eo observationes 149
salis corallorum, concharum margaritiferarum, oculorum cancri, & aliorum crustaceorum lapidum præparatio 164 & quibus mensibus instituenda ibid.
salis corallorum usus & vires 165 dosis 166
ab extra facultas 166
salis fusilis vires semper in magno pretio filiis Hermetis habitæ 154
salium ex herbis præparatio 146 eorum efficacia & usus 147
salis Jovis præparatio 225. ubi vulgares descriptiones notata ibid. ejus vires, usus dosis ibid.
sal nitrum & sulphur hostes 213
salis nitri spiritus v. spiritus.
salis margaritarum orientalium vel perlarum præparatio 162. vires & vsus 162.163.164 244 dosis 164
salis rite purificati ab omni sale vulgari probatio 128
salis spiritus v. S
salis succini præparatio 191 dosis & usus 149
salis vitrioli præparatio 119. usus, vires & dosis 120.121
sal è capite mortuo vulgaris vitrioli, seu albi Goslariensis 119
sanationes morborum duplices 111. universalis altera ibid. altera particularis 112
sanitatis conservativa 162.221.234. restitutivum 162.165
sanitatem sine dolore nemo recuperat 221 ad marg.
sanguinis excretionis remed. 179
sanguinis profluentiam & rejectionem sistens 165
sanguinis profluviorum quamvis magnarum & pertinacium in mulieribus cura 252
sanguinis sputum sistens remed. 254
sanguinis vomitus cura 193
sanguinem concretum dirimens 166
mundificans & renovans 165 166
purificans 151. 152. 200. 120. 236
sanguinem efficacissime sistentia 253.254. v. & hæmorrhagia.
sapientiæ aqua paucis innotescit 123
Saturnus omnibus inflammationibus contrarius 275
Saturni in Lunam transmutatio 218
Saturnia virtus 255
satyrion exiccatione vim amittit 255. eius essentiam v. E
satyrionis testiculi virtutis contrariæ 255
scabiei cura 221. remed. cathartica 126
aliud omnem latentem expellens 160
scabiei manuum & corporis cura 272

scal-

Scalpelli inunctio in dentium miraculosâ curâ 282
Scammonii veræ præparatio, usus & dosis 140 eiusdem optima præparatio 141 dosis 142 in eius extractione nota ibid.
Sciatica remed. 201
Scientiarum omnium fundamenta naturalia unde elicienda primum 211
Scorbutum sanans lapis 272
Scoria ferri cærulea ubi optima 252
Scotomiæ cura 294
Scrofularum remed. excellens 270
Secunda motio 207
Secundinæ in expulsione cura 193
Sedans 173. &c
Semen utriusq; sexus augens & corrigens 162
Senectutem arcens elixir 171
Senectute debilitatis conducens 163
Senum iam invalidorum ad Venerem medicina efficax 256
Sensus omnes acuens 171
Septenarius perfectionis numerus completus, aurum 206
Serpentum alcohol v. A
Serpentum pinguedo ophtalmicum singulare 160
Serpiginis cura 221. 272. 277 remed. diaphoreticum 160
Signatura fœtorum 159 membrorum externorum utriusque sexus 256
Silicum liquores v. L
Singultus medicina 179
Sitis remed. 220. in febribus ardentiss. 178 in hydropicis 150
Sol humanæ sapientiæ fermentū 208 ad m.
Sol animalis 203
Sol cor cœli 208. 209 gaudium totius creaturæ, cœlo & mundi præst 204 ad m. igni collatus 209 in quem finē ordinatus à Deo 209 inter cœlestia obtinet primas 203 ad m.
Sol metallicus 203
Sol philosophicus, aurum naturale 205
Sol omnium planetarum vires & virtutes possidet 209 rex & gubernator stellarum, & fons omnis luminis 208
Sol terrestris 205 Sol terrestris & cœlestis cur uno isto signo ☉ à vett. præfiguratus 210 Solis calx v. C, 203
Solis corpus dissolvendi physice vnicus sub cœlo modus 204
Solis elogia apud antiquos 209 eius operatio in mundo 209
Solis præstantiæ inter planetas, comparata auri dignitas inter metalla 205
Solis sedes 208 eius vis ubi peculiariter micet 208. ad m.
Soli cor collatum 208
In Sole & sale contineri, omnia quo sensu veteres dixere 204. ad m.
Solidago minor 262
Solutio lapidum, metallorum v. L. M
Solutiones radicales esse non dicuntur, quæ flavescant 226
Solutionum Philosophicarum natura 216
Solutivum omne quid de corpore nostro detrahere affirmavit Hippocrates 122
Somniferum 173 &c.
Somniferi arcani præstantia 173
Somnus, arcanum in medicina 173
Somnum inducens 121 aliud in febribus ardentiss. concilians 178. aliud mirificum ibid.
Spasmi in nervis & venis remed. 192
Specificum capitale, ophtalmicum, odontalgicum, pectorale, &c. vide sub suis litteris, in

in C. nempe, O, P &c.
Specificum pro 7. membris principalibus v. medicamenti specif.
Spectrorum amuletum 165
Sperma ranarum quando colligendum 276
Sperniolæ compositio 276. usus & vires 276 277
Splenis bovis extractum v. E
Splenis medicina 151. & eius duritiei 118
Spiraculum vitæ elementorum Sol 209
Spiritus spiritu & odore recreandus & instaurandus 181
Spiritus vitæ, hominum una communis mumia 111. ad m.
Spiritus iuvantur odoribus bonis, malis debilitantur 180. 181. eorum confortativum 179. eos omnes animales & vitales recreans 195
Spiritus inflammabilis è saccharo Saturni 275
Spiritus salis præparatio 149. sapor & odor 150 usus & dosis 150. antipathia singularis cum sale communi ibid. vires & virtutes, secundum Paracelsum 150. 151. 152. dosis 152. usus eiusd. ab extra 153
Spiritus salis nitri præparatio 153. usus & dosis 153. 154
Spiritus tartari destillabilis 203
Spiritus tartari præparatio 157. 158. 159. de eius fœtore observatio 159. eius vires & usus 159. 160. dosis 161
Spiritus terebinthinæ multoties licet rectificati mos 164. 165
Spiritus vini sol vegetabilis 203
Spiritus vitrioli efficacissimi præparatio 186 alia descriptio 187. eius in febribus efficacia ibid. in podagra 244
Spiritus vitrioli volatilis 186
Spiritus urinæ præparatio. 213. 214
Stellarum sedes 207
Stomachicum specif. 218. &c.
Stomachus v. & ventriculus
Stomachi confortativum 166. aliud eius cum intestinis confortativum & præservativum à doloribus 171. alia eius medicina 151. refrigerans 171
Succini sal v. sal
Succino albo in medicina utimur, non flavo 190
Sudor, universalis evacuatio 154
Sudor Anglici cura
Sudore curari potest tertia pars omnium morborum 155
Sudorem provocantia 118. 121. 160
Sudorum fœtidorum in peste, vel alius morbis venenatis expulsivum 159
Suffituum virtus in peste, Ungarico morbo & aliis venenatis 181
Suffocationum matricis vel uteri cura 192. 193. 195. 220. etiam vehementiss. & desperatiss. 166. 224. aliud secretum, efficaciss. 225. 226. aliud remed. odoriferum 183
Sulphur 249
Sulphur & sal nitrum se invicem non patiuntur 213
Sulphur sciſsile, naturâ purificatum, quo licet loco forum uti 229
Sulphur solis longe subtilius vulgari & potentius 213
Sulphur tartari verum summè causticum, expertis philosophis in magno semper pretio 161
Sulphur vitriolatum fixum, se apud neminem vidisse genuinum auctor ait 223
Sulphuris crudi nullus in medicina debet usus esse, sed eius florum (de quibus v. in F) 229

sulphuris in agro Cracovienſi, & regno Neapolitano depurati generatio 229.230
ſulphuris flos in mineris cupreis prope Salisburgum 230
ſulphuris lac v. *L*
ſymphitum maius 262
ſynovia cura 221
ſyronum cura 221

T

Tabis medicina 163
tartarei morbi quam curationem requirant 115
tartarus & ſal Armoniacum inter ſe contraria 213
tartarus purificatus 158 *eiusq; uſus* ibid.
tartari anatomia, ſignatura & cura in cryſtallo 249
tartari in homine generatio 247. *genera pluſquam quinquaginta* 248
tartari albi vitriolati fixi præparatio 115.116. *eius vires* 117.118. *doſis* 118
tartari ſpiritus v. *S.*
tartari ſulphur v. *S*
telum è vulneribus extrahens 270
teli inunctio miraculoſe vulnus curans etiam abſentis patientis 279.280
tentiginis prava cura 221
terebinthinæ ſpiritus v. *S*
thamedes lapis ferrum repellit 261
theriacæ de mumia præparatio 257. *vires, uſus, doſis* 258
thoracis affectionibus mirè conducens 171
thoracis anguſtiis laudanum convenit 179
tineæ omnis cura 221.272
tinctura aquæ mellis 164
tinctura corallorum vera & genuina auctori nondum viſa 64. *quomodo & id alii conentur tamen* 164.165
tinctura pulcherr. colorū roſarum pallidarum, violarum, florum pœoniæ, papaveris ſylveſtris, extracti alkermes, & olei cariophyllorum 222
tincturam rei ſolvendæ quidam ſe habere arbitrantur, quum tamen ſit ipſius menſtrui ſol ventis 165
tragacanthum in digeſtione ingratum nanciſcitur odorem 183
tremoris cordis remed. 163.236
trichera 178
triſtitiâ nimiâ deſperantis medicina 169
triticum haud ſine lolio 261. ad m.
trochiſci de Alkekengi 178
tumorum omnium cura 266. *remedium ſingulare* 274.275
turpetum minerale 122.227. *cautiones in eius exhibitione* 135.136
tuſſientium medicina 171
tuſſientibus ſi exhibeatur laudanum, cautio 178.179
tuſſis tam antiquæ quam recentis cura 201 234 *frigidæ remed.* 169
tuſſium cura per purgantia & mundificantia 114
tyrus cur immiſcetur cõpoſitioni theriacæ 183

V.

VEna nec ante nec poſt turpeti antimoniive aſſumptionem incidenda 135
venarum obſtructiones ut medicandæ 118
venas ſpaſmo inflatas aut contractas refocillans 19
venenatum ſpecif. 257.&c
venenati fumi excluduntur odoribus 180.181
venenatorum morſuum remed. 270
venenum in natura ubi ſummum, ibi plerunq; & medicina adiacere 261
venena primum membra principalia invadere ſolent & ſpiritus 180
venenorum hauſtorum ſymptomatibus cathartica 135
venenorum omnium remedia 152.166.258. 260 *aliud catharticum* 126 *aliud præſervativum* 240 *aliud tam curativum quam præſervativum* 260
Venus ſine Cerere & Baccho friget 255 ad m.
Veneris confortativū 184. *aliud præſtantiſſ.* 256
Venerem reprimens ſal Saturni 275
Venereus morbus v. *M. Venerea lues* v. *L. Venereæ puſtulæ* v. *P*
Venereum ſpecif. 254.255
Venerea ulcera vetera deſiccans lapis 271
ventriculus v. *ſtomachus*
ventriculus ut à pravitatibus liberetur & confortetur per vomitum 118.119.120
ventriculi corroborativum 254
diverſos humores educens 171
exoluti & debilitati medicina 179
frigidi debilis medicina 168.220
infirmitatum omnis generis remedium 120
languentis corroborativum perfectum 220
ventoſitates impediens 201
ventriculi cum reliquis membris ſympathia 185
ventriculo in quo cholera vel apoſtema aliquod non convenit oleum vitrioli 222
ventris fluxus v. *F*
verbaſci florum aqua deſtillata flava 164
verberum quorundam mira vis ibid.
vermium remedium 236
vertiginis cura 171.194
remed. & prophylacticum 163.195
veſica expurgativum 152
veſicularum albarum in pedibus cura 272
Veſuvius Campaniæ mons 230
vigiliarum immodicarum medicina 178
vinum & panis ſuſtentationis fulcra & media generationis 255 ad m.
vinum inter vegetabilia primas obtinet 203 ad marg.
vinum abſynthites chalybeatum 250
vini conſervativum 235
vini Paracelſi medicati è caryophillata & acoro uſus in podagræ cura 244
violarum tinctura 222
vipera hieroglyphicè non ſine cauſa ſalutis ſymbolon 260 ad m.
viperarum admirabilis natura 261
viperarum alcohol v. *A*
viperina carnis eſus 261
vires reparans 179
virium naturalium confortativum 200
virilitatem amiſſam efficaciter reſtituens remed 256
viſcerum obſtructiones ut tollendæ 117
viſus confortativum 194
vitam ex nimio cibo & potu abbreviatam prolongans elixir 172
vitriolum cupri cœruleum 219
ferri viride ibid.
vitriolum Sileſiacum 186
vitrioli albi vomitivi præparatio 119
vitrioli purificatio à ſuo ſulphure 143
vitrioli ſal. ſpiritus v. *S*
ulcera multa deſperata per curam characteriſticam curata 264
ulcera vetera Venerea deſiccans lapis 271
ulceroſum ſpecif. 264.&c
ulcerum corroſivorum, quæ à ſale proveniunt, medicamentum præſtans 274
ulcerum gutturis cura 272
ulcerum exteriorum omnium cura 53 171
internorum medela 152.172

ulcerum malignorum, corrodentium, cancrosorum, &c. Saturninorum cura 274
ulcerum malignorum catharticum 131 *& fœtidorum* 127
ulcerum mamillarum cura singularis 275
ulcerum omnium cura 166.169.275 *omnium insanabilium, fœtidorum, &c. inunctio præsentanea* 153
ulcerum veterum singulare remed. 274
vmbilici punctura remed. 275
unguenti anodyni contra podagram & nephritidem præparatio 245 *vires & usus* 246
unguenti sympathetici seu stellati Paracelsi præparatio 278 *usus & vires* 279 *causæ eius effectuum mirabilium* 279 *observationes in ea cura* 280.281
vocabulorum cõstellatorum vis miraculosa 261
voluntatis divinæ descensus 207
vomentibus difficulter nõ assumendum turpetum antimoniumve 136
vomitus nimius in hypercatharsi ut compescendus 136
in vomitu usus laudani 179
vomitivum 118
vomitivum hellebori 119
vomitivum lene 120
urinæ incontinentiæ cura 253
remoratæ remedium 150 *aliud mirum* 149.193
urinalium meatuum superfluitates pellens 192
usneæ 278
uterinum *specif.* 223.*&c.*
uteri suffocationum. præcipitationum & strangulationum cura 192.193.v.*& suffocatio*
vulnerarium *specif.* 264.*&c.*
vulnerati fatum, sitne supervicturus, quomodo in telo explorari possit 280.281
vulnus quodl. subiectum putredini 266
vulneris cuiusd. mira curatio 263
vulneris cuiuscunque dolores mitigans 270
vulnera siccans & mundificans, consolidans & sanans 169.269.271 *aliud mire conglutinans* 198 *etiam interiora* 172
vulnerum cura per telum inunctum 279.280. *& eo non habito per lignellum salignum* 281
vulnerum omnium cura 264.266 *remed. singulare* 274.275
vulnerum recentium curam promovens 120
vulnerum sanandi rationem quæ habeant, quæ accidentia tollant & impediant, quæ putredinem, quæq; à mucore, scabie, contractura &c. præservent 266
vulnerum sanguinem sistens 276

Z.

Zenexton Paracelsi descriptum 237 *instrumenti forma* 238 *massa pro efformandis amuletis seu pentaculis constellatis* 239. *usus* 240
Zenexton aliud pro ditioribus magnatibus descriptum 240.241 *ad eamq; rem icon* 242 *eius vires* 241
Zibetta suo odore stercora expellit 183 *in digestione ingratum nanciscitur odorem* 183.

FINIS.

OSUALDI CROLLII TRACTATUS DE SIGNATURIS INTERNIS RERUM, SEU DE VERA ET VIVA ANATOMIA MAJORIS ET minoris mundi.

EPISTOLA NUNCUPATORIA
AD
ILLVSTRISS. PRINCIPEM AC DN. DN. PETRVM WOK URSINUM, DOMINUM A ROSENBERG, INCLYTÆ & Antiquiſſimæ Domus Roſenbergicæ Seniorem & ultimum, primariumq; Boëmorum Dynaſten, Bonorum ſtudiorum omnium Mæcenatem Excellentiſſimum.

COgitanti mihi, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, Domine Clemẽtiſſime, qui munificâ & ALEXANDRINA liberalitate me Tuæ Celſitud. perpetuó debendæ gratiæ reum effeciſti, quâ Ingenij induſtria, quoue Venerationis pignore Celſitud. Tuæ, iuxta deuotiſſimi animi mei obſeruantiam, aliquem ſaltem gratitudinis conatum in præſtitæ ſuæ erga me beneficentiæ Teſtimonium declararem: Animus erat munere aliquo pulchro & magno Celſit. Tuam (pulcherrimis maximiſque digniſſimam) adornare: Aſt Aurea Argenteaue gemmis & margaritis radiantia (quæ ex

DEI beneplacito abunde C. T. poßidet) mihi & meæ conditionis hominibus à fortuna denegata sunt. Munus igitur offero aliud, Botanologicum, Hortum videlicet pulcherrimis simplicibus instructum, conscriptum & exornatum, miram ex Innata Signatura cum corporis nostri membris Harmonicam Correspondentiam iucundißimo spectaculo exhibentem & repræsentantem. Cum enim omnia BONA, à DEO Optimo Max. egentibus mortalibus erogata, ipsius Orphei, Platonis, & omnium Antiquorum testimonio vix ullum sit Medicina præclarius, Ars omnium, quas Humana eruit solertia, saluberrima, Antiquitate, Nobilitate, & Diuinitate ceteras antecellens quo nomine etiam veteres non sine causa in conviviis suis solennibus decantare solebant.

O Sanitas, tu maximum Hominibus Bonum.

Item:

Οὐδὲν ὄφελός ἐστιν, ὅτι χρημάτων, ὅτι σώματος, ὅτι τῶν ἄλλων ἀδενὸς, ἄτερ τῆς ὑγιείης.

Propter hanc Artis Medicæ dignitatem ac vtilitatem, quam Humano generi præstat, illi de Rebus mortalium bene merentur, qui in hac augendâ & illustrandâ omnes ingenij sui nervos intendunt, nec sumptibus quoad fieri potest, nec laboribus parcendo: siquidem nil præstantius, nihilq; Homini laudabilius esse poßit, quam de hominum

minum genere quoquomodo bene mereri, eamque cognitionem, quam à Natura habemus, nostra quoque opera arctius astringere: Id ego diligenter perpendens omni conatu ab ineunte ætate illuc perspexi, ut pro mea, ad omnes liberales artes & præclara studia, ita quoque ad utilißimam stirpium cognitionem, aliarumque rerum Naturalium peculiari quadam inclinatione ac propensione ipse quoque in communem vitæ usum, studiis & laboribus iuvandæ Reipubl. propagandæq; Veritatis ergo aliquid adferrem, de eaq; bene meritus existimarer. Tanta siquidem mihi semper fuit iuvandæ in universum Reipub. Medicæ promptitudo, ut pro mea Tenuitate nec sumptibus, nec vigiliis, nec laboribus pepercerim unquam.

Herbaria hæc medicina, de qua hic tracto, Illustrißime Princeps, à CHIRONE inventa, semper in magno pretio fuit habita, & magnatum studio & industria excolta: Imo Cæsarum Romanorum & Regum Priscorum, in Plantarum inquisitione, in Re inquam Herbaria colenda atq; illustranda, mirum fuit studium: quorundam ex illorum numero famæ adhuc viret, & virebit, quandiu herbæ ab illis denominatæ virescent. Neq; ob id solum huic studio tantum laudis, admirationis & gloriæ debetur, quod eius cognitio iucunda & delectabilis sit, sed etiam quia utilis admodum, & vitæ humanæ omnino necessa-

ria existit. Si igitur à publicis negociis Celsit. T. quandoq; licebit respirare, huic studio & contemplationi incumbat, in illo se per Sapientiæ Creatoris admirabilis recordationem oblectet, & manifesta in occultis. Naturæ Vestigia Diuinitus impressa intueatur, quia

Præsentemq; refert quælibet Herba Deum.

Scio Celsit. Tuam è Naturalis Philosophiæ Lectione plurimum voluptatis capere solere, neq; in grauissimis suis & cõtinuis pro gloria Dei & Salute Patriæ curis & negociis, in quibus dies & noctes versatur, prætermittere, quin succisiuis quibusdã horis variis Scientiarum studiis vacet. Talis igitur cum ab omnibus prædicetur Celsit. Tua, audacter ad eam cum dedicatione huius libri profectus sum, eoque maxime quod Nobilissimus & Egregius vir THEOBALDUS HOCK *à Zvvaybruck, Illustriss. Celsitudinis Tuæ consiliarius intimus ac dignissimus: insuper Clarissimi & Eruditione præstantes viri* MATHIAS TIMINUS *ab Ottenfelt &* HERMANNUS BULDERUS, *qui Tuæ Celsitudini à Consiliis medicis præsto sunt, quiq; Celsit. Tuam omnes fidelissime colunt, sæpissime eiusdem Prudentiam, Humanitatẽ, Liberalitatem tanto Heroico Principe dignam passimq; notam, mirifice & iure optimo apud me commendarint. Operæ pretium igitur me facturum existimaui, si has Signaturarum Correspondentias, veluti collectas naufragij Tabulas, postposita lectoris inquirendi molestia in vnum corpus contractas, ac dilucida breuitate, concinno ordine serie iusta, in vnum comprehensas* NOMINI TVO *nulli obliuioni obnoxio hac publicatione dicarem, Laudatissime Princeps, non solũ ob prædictas Eximias & Heroicas animi dotes, insignem videlicet Pietatẽ, Eximiam Prudentiam, singularem Eruditionem, incredibilem Humanitatem: verum etiam quod Celsit. Tua de literis & literarum Professorib. optime merita, nullum de Musarum cœtu excludere, nec tristem vlla ex parte cum Augusto dimittere, sed in aurib. & oculis Traiani illius optimi Exemplo libenter ferre, & facilem, quod in Pompeio laudat Cicero, se præbere, cum perenni & nunquam interitura Nominis sui Existimatione soleat, sicuti sequens Eruditissima Epistola manu propria Celsit. Tuæ ad me exarata fidem etiam locupletissimam Innatæ suæ benignitatis, ad perpetuam Rei memoriam facit. Igitur Celsit. Tuam submisse peto, vt hasce lucubrationes meas ac conatus mei primitias (studij & submissæ obseruantiæ monumentum sẽpiternum) sub Honoratissimo Celsit. Tuæ Nominis splendore & patrocinio tectas in publicũ prodire patiatur, easq; benigno vultu, & liberali manu suscipiat, & me suæ benignitatis fauore, sicuti hucusq; clementissime fecit, in posterum quoq; cõplecti, sibiq; commendatũ habere non dedignetur.*

Is qui corda Principum moderatur, qui gubernationes felices solus efficere potest, qui Sapientiam, per quam Principes regunt, largitur Deus Optimus Max. Celsitudinem Tuam salvam & incolumem in omni felicissima prosperitate quam diutissime sospitet: Peculiari namque Numinis favore, dum Celsitudo Tua, in hac sua Veneranda Canitie omnes Europæ Principes longævitate antecedit, nihilominus eiusmodi senectus ita adhuc conspicitur viridis, ut cum alioquin secundum Naturæ cursum ingravescente ætate vires animi & corporis labefactari ac diminui soleant, apud Eandem indies miraculi instar reiuvenescere Ingenij acumen, & augeri deprehendatur: Quemadmodum autem Antiquissimus ille Inclytæ Domus Rosenbergicæ Ramus, à primo originis suæ Trunco Vetustissima videlicet ac Laudatissima Anhaltinorum & Ascaniorum Prosapia exortus & prognatus, suis Heroicis virtutibus & factis in Comitatu Imperatorum & Regum emergere & florere per tot sæcula perseveravit: Ita etiam à Deo Omnipotente summis precibus contendo, cum in Celsitudine Tua nunc postremus dicti Rami surculus (siquidem in hoc sublunari globo, ubi omnia mutabilitati obnoxia, nulla constans perennitas) fato desinere & finire incipiat inevitabili, ut nihilominus illa Abavita & Heroica implantata virtus in Cels. Tuæ Filiis,

Rosenbergica Vrsinorum familia genus suum refert ad Principes Vrsinos Romanos qui ipsi à Dominis Ascaniæ & Ballenstedt ad Harcyniam (qui Beer & Beringer cognominabantur) originem ducunt.

Filiis, seris Nepotibus & Abnepotibus, DEI benedictione, novâ semper sobolis germinatione in Trunco duraturis (Inclytæ videlicet ejusdem stirpis Prosapiæ ANHALTINÆ Proceribus virtuosissimis) cum perenni & nullo unquàm ævo intermoriturâ Nominis ac unius & congeneris FAMILIÆ gloriâ, & honore vireat, floreat, & frondescat.

Vale Optime Princeps, & Nestoreos annos ad DEI gloriam, Reipubl. Christianæ & Patriæ commodum, sub indesinenti Divinæ protectionis patrocinio vive felicissime. Pragæ è Musæo, Anno 1608. 10. Sept.

Cels. T. Illustrissimæ

Addictissimus

OSUALDUS CROLLIUS.

***

PETRVS WOKURSINUS DOMINUS DE ROSENBERG SENIOR ET ULTIMUS DOMINUS

Domus Rosenbergiacæ, &c.

TErnas Epistolas tuas, amice perdilecte Crolli eruditas sane & iucundas, unà cum egregio ac Pirncipe digno Pharmacopolio Chymico à te oblato recepimus: dici vix potest, quanta voluptate nos eo affeceris, nimirum è quo maximum non modo officii, verum etiam voluntatis erga nos tuæ fructum perceperimus, Promptitudine idcirco ac diligentia incredibili, tibi gratiam habemus, gratosque nos nos & memores persentisces. Fatemur enim nos in omnes eos, te in primis propensissimos, qui vera Pietate purioris Religionis studio, certaq; artium suarum Scientia ornati sunt. Porro quomodo rationis statera moderanda, æquilibriumque explorandum sit, perpaucos modo videas, qui noverint, quique minimam hac in re temperaturam assequantur, & ad scopum colliment. Doctissime Crolli, Dn. agnatus filiusque noster Christianus Princeps Anhaltinus, & nos, merito gaudemus, quod nostram erga te benevolam affectionem potius, quam reliquorum splendorem pluris facis,

admiraris, & commune quasi perfugium existimas, nostraq; boni consulis. Desiderio videndi tui semper tenemur, fatemurque literis, præsentia, sermonibus, suauitate denique morum tuorum nos valde delectari, tædiumq; senectutis quasi lenirl ac succollari. Verus etenim amor in cognitione & conformitate veri amoris consistit & acquiescit. Cum ergo virtus, sanguis, internaque cognitio, qua infimi summis & summi infimis æquantur, recta coincidunt, quo quid præclarius arctiusve reperias. Horto tuo Botanologico non opus est suspensa hedera, matura quæsumus editionem, & effice, ut

ut quam accuratissime, elegantissime & emendatissime typis prodeat nobisque Exemplaria sufficientia in Bibliotheca nostra seponenda & asservanda transmittas. Opus hoc adeo præclarum ac perpolitum est, ut nos beatos judicemus, quod nostra in te benigna inclinatio, cum tua summa ac singulari dexteritate (qualē in professionis tuæ hominibus vix alibi æque ac in te reapse invenimus) in omnibus fere congruat. Perge saltem Spartam quam suscepisti præclarasque animi dotes exornare, nec rebus mortalium diutius desis. Consiliarium nostrum intimum Theobaldū Hock à Zuuaybruck brevi ad te amandabimus: is reliqua effe-

ctum dabit, de toto enim negotio haud difficulter conuenietis. Quæ nos præstare possumus, non sermone aut beuevolentia sed Re atque beneficio repræsentare malumus, modo obseruantia erga nos tua non tepescat, remorisque omnibus abruptis ad nos acceleres, quo conspectu tuo, prudentia, doctrinaque eximia nos oblectare & alter ab altero (nulla siquidem ætas ad discendum sera) discere, juniorque seniorem, senexque juuenem moderamine suo dirigere ac manuducere possit. Hoc serio exoptamus, teque amore, iudicio & bona nostra Gratia, prosequimur: de quo nostro animo ipse

Hock

Hock noster prętenti suo sermone, sed nostris verbis plura & fusius tecum cõmunicatu us est. Vale. Datæ VVitingaviæ Bohemorum ult. Augusti Anno 1608.

Manu propria.

NICOLAI MAJI S. CÆS. MAJESTATIS CONSILIARII IN APPELLATIONIBUS Epigrammata in Osualdi Crollii opuscula Chymica.

Est aliquid rerum vires & mystica scire,
Est aliquid medica consuluisse manu.
Tu maius CROLLI *præstas, dum Chymica præbes*
Pharmaca quæ Ratio certa sat esse docet.
Et quæ longa tibi dedit Experientia Rerum
Cognita, communi das manifesta Bono.
Perge, decus Veræ medicinæ, perge mereri
Velle, tibi é cœlo præmia digna vides.

Aliud Eiusdem.

Artis opus magnæ est, si quis penetralia rerum
Norit, & hinc medicas applicuisse manus.
Sed majoris opus medicamina posse docere,
Quæ Ratio atq; Fides ipsa oculat i probent.
Hæc cum præstiteris CROLLI, *tua Gloria justa est.*
Invideant alii, non imitentur idem.

DE SIGNA-

DE SIGNATURIS, SEU VERA ET VIVA ANATOMIA MAJORIS & minoris Mundi,

OSUALDI CROLLII MEDICI ET PHILOSOPHI HERMETICI AD LECTOREM PRÆFATIO.

VTINAM *nostri temporis Botanici, qui formæ internæ ignari, materiam, substantiam, & corpus Herbarum saltem norunt, tàm diligentem in dignoscendis Plantarum Signaturis adhiberent curam, quàm accuratam in earundem variis & sæpè frivolis denominationum concertationibus, longè uberior. & fructuosior inde in Rempubl. Medicam redundaret utilitas. Cùm autem plerique (quod ferè in omnibus artibus fieri consuevit) relicto dulci & emedullato Scientiarum nucleo, instar plebeiorum oculis internis destitutorum, externamq; saltem Rerum faciem considerantium, circa exteriorem demum occupentur amarum corticem, fit inde ut multi Herbarum reperiantur Nomenclatores, Diversoria saltem, Habitationes & externa Plantarum Vestimenta (in quibus vires tanquam in domiciliis hospitantur) magnificè describentes: Incolam autem, Dei invisibilis in Creaturis Vestigium, Umbram, Imaginem Creatoris Creaturis impressam, seu internam vim illam & arcanam operandi virtutem quasi Naturæ dotem Plantæ ceu Animæ à summo Deo inditam ac infusam, primò per Signaturam, mutuamq; membrorum corporis & Plantarum Analogicam sympathiam & conspirationem à sagaci medico investigandam: deinde Vulcani seu Anatomici Cultelli opera industriosa*

Locus in quo Deus stetisse dicitur, & è signo Deus ipse seu essentia ejus cognoscitur: nã omnes creaturæ suis proprietatib. Deumq; præsentē demonstrant.

eruendam, somnolenter & noxio prætereant silentio. Quas verò ex aliorum monumentis (nullo planè facto periculo) sine signato Fundamento & separatione veri à falso, descriptas vires Heteroclitas complurimas, Herbis singulis appingunt, ipsa sola Rerum & unica magistra Experientia comprobat, ne decimam partem avidæ medicorum, ægrotorumq; exspectationi satisfacere. Magna Rationum deductione nõ egemus, si Experientia Veritatis mater Fidem meretur. Perspicacioribus ergò oculis, altiori ingenio, subtilioribus inquisitoribus opus est, si plenariam & intimam Plantarum cognitionem (qualem studiosis Rerum Naturalium amatoribus & admiratoribus Natura explorandam, & subtiliter excutiendam reliquit) deprehendere velimus, quàm aliquot centum primo intuitu sine Scientia Virtutis internæ vulgari modo Nominibus discernere posse (Herbarum enim nomina non habent virtutes ideò corpora examinanda sunt, ut sciamus quid purget, quid odorem det, quid febres, quid vulnera sanet) aut iniusta & fallaci quatuor qualitatum censura, Caliditate videlicet, frigiditate, humiditate, siccitate, illarum vires velle explorare, cum tamen illæ sint saltem umbræ rerum, sicut colores nec radices habent, nec potestates. Hoc illi non inficiàs ibunt, qui Virtutem ex radice Centri non ex superficie cognoscentes, relicta Nominum inanium subtilitate à Rebus ipsis Veritatem intima & profunda speculatione, exquisitius rimantur, manifesta in occultis Naturæ vestigia divinitus impressa intuentur, ac Herbarum abditas dotes ex suæ extimæ faciei inspectione venantur, & sapiunt, quanta sit inter corticem & nucleum, inter domum & inquilinum differentia, nisi stolidè velint ligna & lapides, statuarum nomine insignire, seu relictis colonis, messes cum tugurio instituere. In omnibus rebus externis domus est saltem domicilium internarum habitantium virtutum à Deo instar Animæ corpori humano infusarum. Rectius ille Philosophus ingenia hominum & sensus non è Nomine, sed è Sermone (animi seu interioris Hominis charactere & indicio vero) petebat, dum puerum astantem tacitum sic compellat: Loquere, ut te videam, ô adolescens, siquidem voce interpretentis arcani motus aperiuntur: Ita Herbæ magicè per Signaturam penitus introspicientem alloquuntur Medicum, suaq; interiora in occulto Naturæ silentio abdita, ipsi per similitudinem manifestant: Est enim (ut clarissimi viri Baptistæ Portæ verbis utar) per similitudinem demonstrandi modus, quo sapissimè summus Rerum Opifex divinas & occultas res solet patefacere, ut supremam Idearum

Diversæ & multiplices formæ sunt signa unumquodque mysterium indagandi.

Simplicium qualitates nõ cõsiderandæ, sed eorum arcana.

rum similitudinem referrent: nec præstantiori aut concinniori poterat modo: nam si plantam loqui fingamus, & secreta suæ Naturæ commoda, quibus præstat, promere velle quocũque sermone, quibusve modis locutura, non ab omnibus perciperetur, quum & sermones & scribendi characteres singulis gentibus proprii sint & peculiares: unde aut uni nationi aut infinitis loqui linguis oportuisset: sic argutâ Naturæ solertiâ suis rerum similitudinibus & breviter & perspicuè satis simul omnibus fit. Omnes herbæ, flores, arbores, aliaque è Terra provenientia sunt libri & signa magica ab immensâ DEI misericordia communicata, non quod illa signa sint nostra medicina, sed quod per illorum cognitionem ad veram medicinam, id est, signatum venire possimus. Qui ergo cupit esse medicus expertus, & habet cognitionem eorum quæ ad se spectant, per artem illam quam Naturæ externè per signa proponit, cognoscat quid internè illa significet: Omne enim quod Intrinsecum est, fert illius occulti externam Figuram tàm in sensibilibus quam in insensibilibus Creaturis. Tacentibus nobis loquitur veluti notis quibusdam Natura, ac ingenium cujusque & mores revelat, quemadmodum scitè ab Adamantio Polemonis metaphraste dictum est. σιγώντων μὲν ἔστιν ἀπόκρισις. λαλεῖ ὃ οἷον τοῖς σημείοις ἡ Φύσις τὰς τρόπους ἑκάστου αἱ ἀκαλύπτουσι: Et ut nostri Intimi mores, ex corporis Extimis notis investigari possunt sic ex Plantarum Exterioribus signis, Interiorum virium Homo potest admoneri: Planta enim velut occultis verbis ægris mortalibus vires refert, & abstrusarum rerum Thesauros, ut discat omnium miserrimus Homo, quomodo suis morbis opem ferre possit. Quemadmodum externa inducunt in cognitionem Interni Hominis & suorum morborum: sic etiam medicinæ Homini necessariæ & conducentes deprehenduntur ex simili Anatomia: sunt enim ejusdem Astronomiæ & Philosophiæ. Cognitionem autem Virtutis Arcanæ dat Magia quæ in Lumine Naturæ doctrix est, & totius Philosophiæ Naturalis perfectissima & consummata Scientia. Et sanè nil magis Pietatem auget, nil inquam ad cultum DEI ejusque amorem nos ardentius promovet, quam Vera ejus Cognitio, quam indesinens immensorum DEI operum & mirabilium Contemplatio, quam Naturalis illa Magia (semper Internum nobis nucleum seu signatum per Externum corticem seu signum declarans & innuens) Cœli proles ac filia, artium & arcanorum Inventrix, quâ compellimur canere, Pleni sunt cœli, Plena est omnis Terra Majestatis gloriæ Tuæ Creator Omnipotens. Sed cum videa-

Chiromantia ex arte Cabalistica dicta est Inventrix medicinæ.

Medicus instar Virginis debet videre ea quæ sunt ante pedes, non ultra marina ambitiosè inquirere: Sufficit suæ Regionis productum.

videamus ita à Natura inter homines comparatum esse, ut peregrina quidem & adventitia admirentur ingenia, sua domesticaque ob familiarem usum despiciant: sic etiam his peregrinarum Plantarum admiratoribus plerumq; concatui, ipsis tamen exoticis longè meliora, recentiora, selectoria, & salubriora, tingit, ut Novitatis studio sua domestica quæ noster gignit orbis, habeant despiquta sub nostri cœli influentia nata sunt, nostræ cujusque naturæ conveniunt magis, domi nostræ debito tempore collecta, minori difficultate & sumptu haberi possunt, & nostris usibus exigente necessitate à Patre misericordiarum destinata: Quæ igitur necessitas est iis uti peregrinis, si eadem similisque consilii & efficaciæ nostra Terra producit? Sic usus medicus edocuit Terram medicatam, quam DEUS nobis in multis Germaniæ locis dedit, efficaciâ, bonitate & virtute non cedere Turcicæ De Strigensi Silesiacâ loquor, quam Iohannes Montanus reconditæ experientiæ senex primus omnium detexit, post ipsum in plurimis Germaniæ locis Iohannes Bertoldus Oschatiensis Silesius, curiosius ac sedulus subterraneorum scrutator, in agro Solmensi & nonnullis Hassiæ locis. Non longo à lacu Acromio in ditione Illustris Maximiliani Marschalci Bappenheimii propè Arcem quæ à longo lapide Nomen habet in quadam dis ecta rupe, maxima copia olim effossa fuit, à Natura involucro seu matrici instar nuclei summè purificati inclusa, testantibus adhuc ibidem vestigiis, quâ in praxi medica cum fructu usus sum. Augustissimus noster Imperator RUDOLPHUS Secundus Brundusii in suo horto curavit effodi præter bolum duas SOLIS & LUNÆ ut Paracelsus vocat axungias, quarum partem à Sua Majestate dono acceptam in usu medico, comprobata illarum bonitate, Veræ Lemniæ congenerem, ac efficacissimam, nec Terræ Turcicæ cedentem animadverti. Ita DEUS nobis largitus est variis in locis, cum Unicornu verum propter raritatem in magno pretio sit, alterum οἱ περαλλόμενον, quod Minerale vocant & interdum è stagnis effoditur, aut è montibus, sicuti aliquando in Moravia tribus milliaribus Brunnâ (ubi tunc temporis cum clarissimo viro D. Iohanne Bergero Pannonio medicinâ faciebam) non longè à Territorio Abbatis Obrovicensis, sub altissima rupe duorum inusitatæ magnitudinis animalium incognitorum ossa, una cum duobus juniorib. effossa sunt, quæ absq; dubio tempore Diluvii aquarum impetu perierunt in illa solitudine, quorũ ossium & mirabilium dẽtium nonnullas reliquias, aliquot menses post ex improviso illuc locorum veniens, & admonitus

Multorum potestatem ignoramus ex sola negligentia experimentandi.

ejus rei, effodi curavi: & in usu medico eandem ferè in ipsis deprehendi efficaciam, quæ monecerotis Cornu attribui potest. In eodem tractu non longè est stupendum antrum, excavato monti in Italia in Villa Cosiozza, intra Patavium & Vicentiam, haud dissimile, in quo mira & varia reperiuntur Naturæ ludentis opificia, dum stillantes guttæ è superiori fornice in illo cavo & multis labyrinthis intricato monte confestim in lapidem (mediante Salis spiritu) spontè cõcrescunt, & suo casu alto, varias lapideas statuas & formas effingunt: Porrò lapis ille in pollinem redactus drachmæ põdere, sudorem efficaciter cicere solet, & fractis tusisq; ossibus ab extra Emplastris convenientibus mixtus, maximo applicanti juvamento. Si resolvatur aceti destillati beneficio in salem, in Calculo & Podagricis illis nodosis affectibus propter signaturam operatur efficaciter: His enim duobus morbis cum Contractura propter cæmentosa vina in Moraviâ valde familiaribus Natura etiam idoneis connatis & domesticis prospexit Remediis: Ubi malum aliquod vel morbus, ibi proximè è Natura Remedium exhibetur opportunum, ne longius à nobis sit mendicandum. Ideò Ruellius non immeritò dicit: Nullam medicinæ partem incertiorem esse quàm illam, quæ alio orbe quàm à nostro petitur: Et Paracelsus diligentissimus Luminis Naturæ scrutator, exoticam multorum medicorum curiositatem Plantas (neglectis internis viribus à Signaturâ petendis) saltem de Nomine nosse cupientem, meritò ridens affirmat, rusticum quemlibet Verum Pharmacopolium ante suas ædes habere. Qui simplicissimis herbis & radicibus curant, omnium felicissimè curant, teste Carrichtero: Essentia enim medica seu Aurum magicum æque bene continetur in illis, ut pretiosioribus aliis. Sicuti autem Terra cuiq; Regioni victum & amictum exhibet, si nõ ad superfluam, voluptatem, tamen ad necessitatem sufficientem: sic etiam Rerum ipsa mater, eademq; parens Natura, quæ omnibus providit abundanter, medicamentorũ sufficientiam distribuit necessariam: Unaquæq; Patria sui Elementi in se continet matrices, sibiq; ipsi, quod est necessarium exhibet: Suis quibusq; Terris & regionibus, suæ genti, suo climati, suo cælo, suo sæculo, Natura herbas producit atque temperat: In quibus, ut & in stirpibus, cum masculum & fœmellum genus reperiatur (quemadmodum in reb. Creatis Providentia Divina distinxit Anatomiam in Marem & Fœminam non frustrà) in applicationis usu non temerè sexus confundendus est: ut enim vir & mulier Naturâ sunt distincta, ita etiam eorum Remedia, ut nunc taceam

Terra est Dei pharmacopolion & nil non herbarum vi effici posset si plurimarum vires nõ ignorarentur. Quando cum simplicib. medicinis possumus iuvare, cũ cõpositis non operandũ est.

Secundum Climatum Regionumq; diversitatē Homines, mores, plēntarum vires variantur.

simplicia seu medicamina Hermaphroditica: Imò quædam iuventuti, quædam senio prosunt, ut in Helleboris videre est: Ita etiam Paracelsus jubet medicos esse memores distinctionis Herbarum ætatis, medicinarum, morborum & Lunæ: Verè igitur Agrippa dicit, stultum esse ex India petere, quod domi habemus, existimantes propriam neque terram neq; mare sufficere, patriisque rebus peregrina, frugalibus sumptuosa, facilè acquisibilibus difficilia, & ab ipsis usque Terræ finibus importata præferentes Et ut videmus Turcarum, Indorum, Aethiopum, & Christianorum mores & Naturam diversam ita etiam Crescentia secundum quatuor mundi Plagas diversa climata provenientia sine dubio differunt, ac sæpius, quæ apud alios sunt alimenta, apud nos medicamenta sunt, sicuti gravissimi etiam testantur Viri, cujus Rei quantumvis infinitis Testimoniis fidem facere possimus, hac vice unum duntaxat subiiciam illorum Exemplum de Radice Aronis, ad confimationem Veritatis adductum: quæ radix in locis nostris frigidioribus adeò fervens & mordax est, ut mandentium os & fauces exurat: at quæ in Lydia propè Cyrenem urbem provenit, exteriori forma nostræ planè respondens, dulcis & grata esse dicitur gustu, ut raparum instar Homines in cibo sine nocumento uti possint: Et quamvis Exotica majores haberent vires, sicuti desidiosi nostra non inquirentes, ac ex peregrinâ arrogantiâ peregrina semper sectantes asserunt, qui non communem salutem sed suæ negotiationis compendium quærunt, persuadentes nobis, non nisi pretiose quæq; plurimum prodesse: tamen illa non nisi in sui climatis hominibus quibus creata & producta sunt putabimus salubria: Si enim peregrina nostris corporibus tantoperè convenirent medicamina, procul dubio Natura factum esset quæ omnibus cumulate prospexit, ut hæc apud nos quoque nascerentur. Transmarina ergò & domi nostræ non nascentia medicamenta, corporibus nostris propter climatum & influentiæ diversitatem non possunt adeò amica & familiaria esse, ut taceam nunc, quod vel non debito tempore & loco (unde sæpè plurimum imminet periculi) collecta sint, vel illorum Sceleta & Cadavera saltem ad nos ut plurimum à Barbaris mercatoribus mittantur, Viribus invisibilibus internis maxima ex parte, senio, carie, teredine, vtarum longitudine, & sophisticationum fraudibus, deperditis, exesis, absumptis, corruptis, & adulteratis. Domestica quæ DEUS *nobis sufficienter suppeditat contra infirmitates corporis, vilescere ceperunt, tùm quia Medicorum Sericeorum*

Gal. lib. 2. de alimentorum facultatibus.

Et quamvis merces sint laudatę, tamē hoc opus hic labor ægrotū restituere.

ceorum (carbonum nigredinem, fumi & argillæ fastidia detrectantium) fidem & diligentiam debitam in præparando requirebant, tum etiam quod Pharmacopæorum vulgarium pars potissima gloriæ & avaritiæ stimulis incitata, officiis suis sæpè abutitur, & frequentius ad ægroti cruentæ evacuationem, quàm corporis refectionem intenta est. Hinc magno totius Reipubl. detrimento, & multorum Vitæ naufragio fit (testantur illi, qui mortem suam magna emerunt pecunia (ut nil ferè in magno habeatur pretio, quod non à Mare Rubro, ut ita dicam, vel ab Extremis Gadibus aut Indis advectum credatur, vel mundo detipi cupienti & volenti ita saltem persuadeatur. Deus nil frustrà creavit, sed unamquamque Creaturam licet abiectam peculiaribus virtutibus, secundum Divinæ Voluntatis suæ beneplacitum dotavit. Eam ob causam longè aliter sentiunt illi, qui Naturam etiam in minimis & abiectissimis observant cum stupore maximam esse, & ubi defecit in corpore, abundasse in viribus. Vermis (unde Orientalium grana Kermes.) & Muricis Ostrum dant Purpuram Regum colorem sumptuosissimum. Apes industriæ inimitabilis Mel dulcissimum Culmus fragilis Frumentum, Vitæ nostræ Baculum desideratissimum, Vitis lignorum abiectissima, Vinum Cor Hominis moderatè sumptum mirè latificans. Anima intellectualis Dei soboles in Hominis Corpore ceu Vase fictili ac Testa fragili hospitatur, quæ omnia non sine maxima ratione ab æterna Sapientia ita ordinata sunt. Paracelsus secretorum pater pro suo inter alia præclara in Rempublicam medicam promerita, verum Medicum & scientia & usu medicinæ innotescere cupientem, ad dignoscendas Signaturas & Hieroglyphica grammata sedulò hortatur in suis scriptis, & dicit esse tria, per quæ Natura nil insignatum prætermittens, Hominem, & omnia Creata manifestet, primò per CHIROMANTIAM, *quæ est Astrum Rerum Naturalium, & externas Hominis partes complectitur, manus, pedes, lineas, venas. Secundò per* PHYSIOGNOMONIAM, *quæ Faciem & Caput comprehendit. Tertiò per habitum & proportionem totius corporis, mores, usus, animi sensa, & cordis cogitationes denotantem Post hunc Ioannes Baptista Porta Neapolitanus insignis Phytopta, & Naturæ sagacissimus æmulator, in sua Φυτογνωμονία insignem operam utilitati publicæ impendit: Interea autem ut in hac re perfe-*

Nil à Natura creatum reperitur, quod nō in medicū usum venire possit. Syr. c. 6. sc. 2. 3. Sæpe sub sordido pallio magna latet sapientia. Levit. 26. Ps. 104. sect. 15. Ezech. c. 15. Syr. c. 31. s. 32. 33 Ps. 104. sc. 15. Jud. c. 9 sc. 13.

Anima fidelis est sanctuarium Dei. 2. Cor. 4.

Signatū cœleste nō exforma, sed ex corde, id est, operibus & fructib. manifestat homines: sic Herodi vulpinū animum exprobrat Salvator noster, & Pharisæorū viperinā prosapiā Ioannes Baptist. taxat.

perfectioribus altiora & accuratiora scribendi occasionem suggeram, dum alius annuentibus superis in hoc studio progrediatur exercitatior, qui autumnum ingressus calamo elimatiori fructus edat: naturiores (cui hac vice lampadem trado) consignatas has meas observationes nonnullas (Insuetas enim tentare vias arduum) cum Signaturarum studiosis, ulterius mecum discere non erubescentibus, libenter volui etiam habere communes, quas tàm è Lectione Paracelsi & Portæ, quàm experientia propria adsecutus deprehendi convenienter & analogicè Harmonicas: Sufficit enim quodam prodire tenus, si non datur ultra. Utinam Carrichteri Rei Plantariæ consultissimi viri tantoperè desideratus liber de *Signatura Rerum aliquando in publicum prodiret, in quo Plantarũ Stellas terrenas, Stellis Firmamenti miro ac Harmonico modo accommodat, Respub. Botanica meritò sibi gratulari posset. Stellæ secundum Paracelsum sunt formæ & matrices omnium Herbarum, & quælibet Stella in Cœlo nihil aliud est, quàm spirituali & Chaotico modo præfigurata Herba, qualemcunque etiam in Terra repræsentans. Ita quælibet Herba est Stella terrena vergens Cœlum versus, & unaquæque Stella est cœlestis Herba in forma spirituali in nulla re ab Herbis in terra crescentibus discrepans, sola materia excepta: Ideò Stellæ omnes morbos futuros prænuntiant per sua Excrementa & Nostoch: Ita Herbæ cœlestes deorsum tendunt Terram versus, ac respiciunt suas Herbas à se procreatas: Hoc fundamento cognito notæ etiam erunt Herbarum cœlestium & terrestrium constellationes & compositiones, videlicet Hæc est Stella Rorismarini, Absynthii, &c. & habet illarum Herbarum virtutes: Observabit etiam in Herbis terrenis, quot Colores Florum, tot virtutes Herbarum esse. Nil temerè & frustrà in Plantarum familia confictum est, sed rato modo, ordinatis causis, accurato numero, tempore & loco opportunis: Et ut muti, quibus pro sermone gestus sunt, & alia animalia sermone carentia, motibus corporis suos indicant affectus: ita etiam Deus cuique Plantæ indidit proditorem suum, ut genuinæ vires Herbarum latenter absconditæ per Signaturas externas, id est similitudinem Formæ atque Figuræ, (utpote per Indices officii, Essentiæ ac virtutis latentis) ex illarum aspectu cognosci, divinari ac manifestari possint: imò ut modo dictum illæ magicè nobiscũ per Signaturas loquuntur. Qui enim Thesaurum obruendo defodiunt, notare locum aliquo signaculo consueverunt: ita Deus etiam complurima in Natura, quæ non posuit in propatulo, signavit tantum, ut diligenti inquisitione possimus illa*

Multi potuissent in viros literatissimos evadere, nisi falsa ambitione sibi persuasissent se solidè doctos esse.

Syr. c. 39. sc. 26. Omnia ordine, tempore, mensura & põdere à Deo creata subsistunt.

Sap. 11. sect. 12. Quodlibet opus manifestat & notat suũ opificem & fabricatorem, qui est Medicina, arcanum & mysterium.

Anatomia Formarum Naturas Rerum indicat.

Scivit Deus labore acquisita gratiora hominibus esse, quam sine labore obvia quæ plerunque fastidire solent

illa explorare. Sic videmus Mosen non meminisse Gemmarum & Metallorum in abscondito Terræ creatorum, cum tamen in illis maxima Naturæ Arcana contineantur: Eorum saltem meminit, quæ in aperto creata sunt: Ideò autem Deus absconditè creavit Metalla exterius, ut sciremus in ipsis absconditas esse virtutes Naturæ Arcanas interius: Quo nomine etiam occultum Sacrosanctæ Scripturæ sensum, Spiritus DEI *semper per Metalla & Gemmas in occulto vel abscondito Terræ creatas præfigurat: Et si fortè alicui mirum videatur, cur Deus aliquas Creaturas in aperto, alias verò in abscondito crearit, Hermeticæ Medicinæ scrutatori diligenter considerandum propono. Quas in Centro Terræ creavit Deus Creaturas, Mineralia puta ac Metalla (occultum Sapientiæ videlicet Creaturæ seu naturæ) illas potissimum pro solis Hominibus seu pro Spiritu Vitæ in Centro Cordis humani sedẽ habente conservando ac Balsamando creasse: sicuti Herbas in superficie Terræ existentes (manifestum Sapientiæ hoc est Naturæ seu Creaturæ) pro conservanda ac juvanda massa corporis humani externâ, idq; pro omnibus animantibus simul:* Semper enim DEUS in abscondito posuit Maximum, in aperto autem minimum: *In Centro etiam collectas creavit omnes virtutes simul, quas in superficie dispersas creavit semel: Et quod mirandum est omnia Astra Cœlestia, quæ in Cœlo corporibus suis manifestè patent creata etiam in Terra Spiritibus suis occultè clausa latent. Et sicuti Cœlestis Sol suo Calore spirituali generat omnia Terrestri modo: ita Sol Terrestris suo Calore spirituali creat & regenerat omnia Spiritualiter: Per Solem Cœlestem operatur Spiritus Domini in Natura omnia Naturaliter: sed per Terrestrem Solem operatur idem ille Spiritus omnia, sed Spiritualiter: Nam Spiritus per nullum aliud medium quam per Solem operatur, quia in Sole saltem & non alibi usquam* TABERNACULUM *suæ habitationis posuit corporaliter. Quemadmodum autem Sol supernus bifariam, modo extra Res omnes corporaliter & manifestè, modò in omnibus Rebus occultè operatur: ita etiam alter Sol bipartitus, nunc extra Res omnes manifestus corporalis, nunc in Rebus omnibus occultus & spiritualis est: Et ut Sol supernus intrinsecè spiritualis est in omnibus Rebus & Calor Naturalis Rerum omnium: sic Sol* TERRENUS *internè spiritualis est in omnibus rebus Calor nativus, omnium Rerum Balsamum, Lychnus, & Oleum: Ille Spiritus Vitæ in omnibus*

Moises in descriptione Cœli & Terræ ineffabilia mysteriorum Arcana verbis operuit simplicibus.

Ps. 19. sect. 6.

Per Solem, id est, Cor macrocosmi vivit Cor microcosmi.

rebus latens vocatur: Hic Sulphur Naturæ suo proprio & genuino nomine in omnibus rebus appellatur. Si Antiquissimis Philosophis & Cabalistis (quorum studium fuit à signis ad signatum, à Creaturis ad Creatorem, & per Angelos ad Deum ascendere, & cum illo jungi, & sic secundum Pythagoram Deificari) Veritatem nobis enarrantibus fidem non derogamus: Superiora sunt in Inferioribus, & Infertora omnia sunt in Superioribus, nõ tamen ut in se, sed secundum Naturam & modum Superiorum. Sicuti enim Arbor tota in Nucleo suo complicita est Arbor Astralicè, sic Mundus sensibilis explicitus, est in DEO Dealiter complicitus. Cuius etiam rei, Ter maximus ille Triplici Diademate insignitus Rex HERMES, vel suo quodam Vetustatis jure, omnium Philosophorum Pater, ab initio Famosissimæ suæ Smaragdinæ Tabulæ, omnibus totius mundi gemmis meritò anteferendæ, fidem nobis locupletissimam & indubitatam facit: Quæcumque, inquiens, sunt infra, sunt etiam Supra, meliori tamen, perfectiori & nobiliori modo: In mundo Angelico seu Intellectuali eadem sunt Entia, quæ in ista visibili machina, sed spiritualiter & invisibiliter: In supremo mundo Deali ὑπερτάτῳ, increato, infinito, incomprehensibili, Archetypo, tàm Angeli quam mundus unum sunt & simul modo Divino perfectissimo: Infima ergò monstrant Superna, corporalia declarant intellectualia, per Inferiorum & Terrestrium Naturas & Proprietates ascendimus in Naturas & Proprietates Superiorum & Cœlestium: siquidem hæc Inferiora, Externa, ac Visibilia exemplaria Superiorum notæ, ac Invisibilium Internorum symbola sunt, quibus nos è Temporalibus seductoriis manuducimur ad Aeviæterna & spiritualia. Tota Creatura & hæc ampla mundi machina, in qua Creator Invisibilis se nobis videndum, audiendum, gustandum, odorandum & tangendum exhibet, nil aliud est quam membra DEI, ac figura Interni Paradisi, ille videlicet Intuitus, quo clarè videntur & intelliguntur Creaturæ quæ sunt Creatoris posteriora, & effectus per quarum cognitionem cognoscitur Creator opifex, & Prima causa agens omnia: Creatura enim omnis à Deo creata est, ut sit in Testimonium Verbo Creatoris, per quod facta est: Et qui Rerum creatarum cognitionem separat à suo Opifice, is Rerum universarum umbram solummodo habet. Quod autem Archetypis omnia contineantur Invisibili modo

A Trina Virtute Ter magnus dictus, quia Rex, Philosophus & Propheta fuit Trinæ Philosophiæ monarcha.

Mundus Deitatis seu Pauli Cœlum Tertium: Supra vel extra Deum nullus alius mundus seu Cœlum reperiri datur.

Creaturę sunt plenæ DEI. Ps. 34. sect. 4.

Imo est speculum in quo æternus Opifex se cõtemplandum exhibet.

Primus Intuitus DEI est de facie ad faciẽ

Alter quo videntur posteriora eius.

Deus cognoscitur in suis operibus: ideo nulla re admodum seu pernitiem abuti convenit.

li modo & spirituali, quæ in hoc visibili corporaliter apparent: & quod omnia ab intra fluant in compositum, & nihil ab Extra sumatur probat & demonstrat ipsum Naturæ Lumen ascendendo & descendendo, intrando & exeundo. Tres numerantur mundi, & hi tres unum sunt universum, cum unus mundus sit in alio, DEUS scilicet, ANGELI, Machina Visibilis. Quisque inferior à Superiori regitur, & suarum virium suscipit influxum, ita ut ipse Archetypus & summus Opifex per Angelos, Cœlos, Stellas, Elementa, Animalia, Plantas, Metalla, Lapides suæ Omnipotentiæ virtutes exinde in nos transfundat, in quorum ministerium hæc omnia condidit & creavit. Introitus vel ascensus sit, quando per scalam Iacob ex infimo elevor ad supremum, ex sensibilibus ad intellectualia, ex Creaturis ad ipsum Creatorem ascendendo: Hebræorum Cabalistæ vocant quinquaginta Portas Intelligentiarum: gradus sunt seu limites omnium Rerum ex primo Geneseos capite collecti, quibus ceu symbolis ac notis ad omnium Rerum tàm Visibilium, quàm Invisibilium cognitionem deducimur. Egressus verò seu descensus fit, ubi ex DEO ad Creaturas, ex Intellectualibus ad Externas formas, à Centro ad Circumferentiam devolvimur: Ut intueor oculo sensuali, exempli gratia hunc nucleum pomi, relicta autem corporeitate, recipio me ab Externa forma, ad Interius semen invisibile, & oculo mentali contemplor totam Arborem, cum radice, trunco, ramis, surculis, foliis, floribus, fructibus suo Tempore per separationem manifestandis complicari: istud semen illa corporalia non ab extra sumit aliundè, sed ex se, ex suis penetralibus emittit singula. Cum ergo eiusmodi Astrum seu semen sit Imago seu umbra Angelicæ substantiæ, & totam molem corpoream Arboris intra sua penetralia complicet absque quantitate & qualitate, &c. certè unicus Angelus complicabit semina omnium Rerum spiritualiter intra se multo facilius ut præstantior, superior, & excellentior Natura: Nam quò quid simplicius, eò quoq; perfectius, absolutius & potentius: Et quicquid potest Potentia inferior, idem potest Potentia superior multò excellentius & efficacius. Angelus ergò dans homini vinum, panem, fructus, & alia etiam ex agro crescentia, non extra se sumit aliundè, sed ab intra è suis penetralibus (quia perfecta Dei imago

Quicquid in omnibus simul est mundis, id & in singulis cõtinetur, neque est aliquis unus ex eis, in quo nõ omnia sint quæ sunt in singulis, teste Anaxag. Pythag. Platone. Gen. 28. sect. 12. 13.

Quemadmodū ignis de se emittit mille alios & semper manet uniformis.

producit & largitur, quando vult & quoties vult citra sui diminutionem aut decrementum. Nam Angelus omnia secum gerit & habet Angelico & spirituali modo: imò totam Mundi machinam in se complicat, & est ista omnia inferiora: Et quicquid Natura & Ars per Naturam potis est, illud etiam Spiritus vel Angelus supra Naturam & Artem constitutus & elevatus multo melius & celerius potest. Qui hanc Philosophiam Centralem seu Circularem suo intellectu mentis q; oculo depurato diligenter consideravit, illi non erit difficile credere Angelum vel Magum cœlestem totum Firmamentum in Gamaeam posse includere, vel totum mundum in suum pugnum. Cum autem Angelus sit perfecta & absoluta DEI *imago, & omnia in suo Abysso complicet, habeat atq; possideat, negandum non erit primam & supremam causam, à se ipsa existentem, independentem, omnia secum invisibiliter & spiritualiter in Abysso suo complicare: imò omnia esse in Fontali unitate simplicissimè. Nam omnia creata, producta sunt ab illo, qui est omnia in omnibus, Prima scilicet & ultima rerum omnium causa: Non ex materia præjacente, nec ab alio quicquam sumpsit, nec extra se accepit alundè. Quicquid enim potest & habet, ut supra dictum est, Potentia inferior, hoc idem potest & habet Potentia superior, sed multò excellentius efficacius, imò superexcellenter. Nulla enim collatio Infiniti ad Finitum, Creatoris ad Creaturam. Deus Centrum & Circulus sui ipsius in se ipso habitans, hoc est in Abysso Infinitudinis Heb. vocant Ensuph, incomprehensibilem Infinitatem) ubi in æternum nullus locus, nullum principium, nec finis pervestigari aut excogitari potest: Nec ab alio nec à se ipso factus est: ab alio enim non potuit fieri, quia neminem habuit ante se priorem, aliàs non esset causa prima: se ipsum quoque non fecit, nam ex nihilo fit nihil: semper igitur* יהוה *(& hoc est Nomen Essentiale* τετραγράμματον *Ineffabile, ob tremendam maiestatem, ac ob eius incomprehensibilitatem Schembamphoras vocatum, Nomen Dei magnum & mirabile, quod est super omne Nomen) id est sine Causa priore, sine Tempore, sine Loco, sine Termino, nihil abundè accipere, sed sibi ad omnia sufficere, nullius rei indigere, & omnes suos amatores efficere sibi conformes, ut etiam nihilo ab extra egeant, sed omnia intra se ipsos possideant in patria sua, & Hoc est* REGNUM DEI *intra credentes, siquidem habitabunt in Deo, & Deus in ipsis in omnem æternitatem. Ideò* JESUS CHRISTUS, *Verbum & Filius*

Nihil divinū. Aleph tenebrosum. Lux tenebrosa.

Deus Ineffabilis & innominabilis trigrammus notatur in natura, Tetragrāmus in Lege, Pentagrammus in gratia. Status futuræ beatitudinis.

lius DEI *Patris, ac Sapientia Deificans, Verus Magister, factus Homo sicut sumus nos, ut nos perficeret filios* DEI, *sicuti est ipse, qui est benedictus in omnia sæcula.*

Deus ergo Ingenitus Universitatis Dominus, Universorum principium, medium & finis, *non ex ulla egenti naturæ necessitate, sed sola Voluntate sua liberrima, & ex mera Bonitate, propter infinitam gloriam suam, omnia ex suo gremio seu profundissimo Divinitatis conceptu & Recessu (Hermes dicit è visceribus Tenebrarum) emittens per* VERBUM, *suum primò produxit Lucem, id est, Angelicas substantias, dicendo,* Fiat Lux: *Ex Luce illa Angelica emanarunt Astra, ex Astris corpora seu mundi machina visibilis ex quatuor Elementis compacta, & sic omnia sunt in omnibus suo modo, & unum manet in altero, sicut semen in Arbore, & Arbor in semine, hæc duo licet distincta, sunt tamen unum: Omnia corpora seu Elementa visibilia sunt in Astris invisibilibus seu spiritualibus Elementis, & Astra sunt in corporibus: Astra sunt in Angelis, & Angeli sunt in Astris: Angeli sunt in* DEO, & DEUS *est in Angelis: Ita ut semper suum Superius possit esse absque Inferiori, sed non è contra. Nam mundus visibilis seu nulla corporalia consisterent, nisi adessent Astra: sic, nulla adessent Astra, nisi Essentiæ Angelorum adessent Angeli non extarent, nisi esset increatus* DEUS, *à quo dependerent. Cognito* DEO *cognoscuntur Angeli, sunt enim perfecta & absoluta* DEI *imago: cognitis Angelis, nota erunt Astra: cognitis Astris, nota erunt omnia creata, seu mundus visibilis: cognito mundo visibili tandem notus erit Homo microcosmus Filius mundi: nam talis est Filius, qualis est Pater per omnia, sic ex Visibilibus deprehendimus Invisibilia. Omnia ab intra manant ad inferiora & externa Nam à* DEO *dependent Angelicæ substantiæ, ab Angelis dependent Astra, id est, Invisibiles Virtutes Rerum, & ab Astris dependent visibiles Formæ, hoc est, corpora Sicuti igitur in* DEO *omnia sunt divinè, & in Angelis angelicè: ita in mundo sunt omnia corporaliter seu mundaliter: Nam ut Lux lucet in Tenebris, ita Superius est in Inferiori: vice versâ, Quicquid est in mundo visibili sensibiliter, hoc est in Elementis & Astris astraliter, id est, spiritualiter: & quicquid est in Astris astraliter, hoc est in Angelis angelicè: & quod in Angelis angelicè, hoc est in* DEO *divinè: Per Catenam seu restim auream cœlitus fra-*

Erat Deus ante rerū productionem ab extra nudus & solus, donec placuit divinę Bonitati suæ exire ad rerū productionē & se quodammodo vestire: Quare autem Deus mundū nō citius creavit, propter humillimā obedientiam, reverentiam & timorem creatori debitam, creaturæ ad evitandum peccatum nō permissum est inquirere.

VERBUM DEI est prima rerū omniū Idæa: sic mūdus hic extrinsecus ad exēplar mūdi intrinseci videlicet intelligibilis fabricatus est & effigiatus à Cōditore optim. maximo.

DEUS est Ens omniū Entiū, hoc est, locus, origo & cōplicatio Creaturarū omnium, à quo omnes, & ad quem omnes remeare

nituntur. Angeli sunt speculā certissima nulli obnoxia corruptioni, quæ divinitas assidua sui contemplatione expolivit. Quæ sunt in Superioribus, in Inferioribus etiam visuntur, sed de genere conditione & adulterata. Omnia in Deo sunt sicuti Numeri in Unitate, & in Centro omnes Lineæ circuli.

gilitati nostræ demissam in Terram Mens seu Anima nostra intellectualis, ope divina per Creaturarum ordinem, ab imis ad media, & per hæc extra mundum ad ipsum Rerum Opificem ascendit & assurgit, ad Unum primum & summum, ad quod tanquam ad desideratum Terminum omnes Creaturæ connatu suo atque gemitu, voluntario tendunt impetu. Tota mundi machina in DEO *nil est nisi* DEUS, *& in Angelis est Angelus, & in Astris est Astra: In semine Arboris latet tota Arbor cum radice, trunco, ramis, foliis, fructibus: Ex grano hordei procedit radix, culmus, spica, grana, alia & paleæ. Hæc omnia ideo procedunt ex semine, quod latebant in eodem: Simili modo tota mundi machina in Angelo latet angelicè, in* DEO *autem divinè. Semen est arbor complicita, Arbor est semen evolutum & explicatum: Unitas est numerus complicatus, Numerus est unitas evoluta: Angelus est Astra complicata, Astra sunt Angelus evolutus.* DEUS *est, in quo ceu Archetypo mundus complicatus est divino modo: Mundus est* DEUS *(ut ita dicam) evolutus. Exuperantissimus enim* DEUS *Lux omnem Lucem in se continens per Radium suæ maiestatis hoc est, per genitum Filium creat Lucem Angelicam, & impertit eis omnia, per Angelos fluit in quatuor Elementa invisibilia seu Astra: ex Elementis seu Astris fluit in corpora, è quibus tandem fructus proveniunt in conspectum nostrum. In microcosmo etiam similiter patet inferiora scilicet esse in suis superioribus, ultima in penultimis, & rursus priora his similiter in prioribus, aliudq; semper in alio, quousque perveniatur ad summum. Nam sensus quinque sunt in Imaginatione, Imaginatio est in Ratione, Ratio est in Mente,* MENS *est in* DEO, DEUS *in nullo nisi in seipso: Est enim sui ipsius sedes, & habitaculum, quia est omnia, & est à se, & per se, à quo ceu à largissimo & perenni fonte Unitatis omnia fluunt: Ideò etiam singula è summo bono manantia ad* DEUM *tanquam ad suam originem sunt reducenda. Verùm cum hæc non sint huius loci, & pauci tantas divitias & tam inexhaustos Thesauros suis Tuguriis & angustis limitibus comprehendere possint, nec ulterius etiam in vulgus spargi debeant, genium nunc quieto Harpocratis silentio placabo: Difficulter etiam ab illis comprehenderentur, qui Cabalisticos fontes sine fundo non degustaverunt, nec nisi umbratilem illam Animalem & mundanam cognoverunt sapientiam, quæ apud Cœlestem nil nisi mera stultitia est: Sed ut eò revertar, unde digressus eram, summoperè è Republica medica est, ut divinum hoc Signa-*

Rom.8. sect. 21.22.

Supremus naturæ Creator, creavit in uno momẽto sine tẽporis occupatione, antequam placeret facere, mirabilem ipsorũ separationem seu divisionem.

Habitaculũ Dei non est distinctum ab Essentia divina, ne fiat defectus in Deo.

Iac.3. sect.15.

Signaturarum studium (quod aliqui Botanici quidem innuunt, sed aliis relinquerunt docendum & probandum) magis ac magis pateſiat: Ideò non sine gravi causa Medici Titulo indignum judicat illum Paracelsus, qui ex signo signato, id est, ex Chiromantia & Physiognomonia Medicinam non faciat, cum propter admirandam majoris & minoris mundi Anatomiam Essatam ac Harmonicam, sine ægrotantium vitæ discrimine, Antiquæ medicinæ cultores, illo carere, neutiquam possint nec debeant. Quilibet enim morbus (sicut supra in Præfatione prioris libri retulimus) & medicina ejus, unius sunt Physiognomoniæ, Chiromantiæ & Anatomiæ. Et qui hujus Fundamenti intellectu caret, hujusq; Philosophici & medici Alphabeti cognitione destituitur, non potest esse probatus medicus. Naturæ enim characterismi, & hæ signaturæ Naturales, quæ ex Creatione non atramento, sed ipso DEI *Digito in omnibus sunt exaratæ Creaturis (siquidem quælibet Creatura est Liber* DEI*) melior est pars Veræ Literaturæ per quam omnes res occultæ leguntur & investigantur, posthabitis quatuor qualitatibus, velut externis virium corticibus. Invisibilia enim & Interna semper sunt nobiliora, præstantiora, & valentiora quam Visibilia Externa, quæ minus perfecta & suis Internis viliora sunt: Sic Domus res externa ædificatur ob Inhabitatorem: sed Incola nobilior est omnibus lignis, lapidibus & toto ædificio, cum sit viva & Rationalis Creatura: Sine Physiognomia & Chiromantia (quarum ministerio non solum totus Homo, cujus Interiora semper aliquo externo indicio deteguntur, sed specificæ & occultæ Rerum omnium Virtutes, imò omnia Naturæ secreta manifestantur) vix ullum Medicinæ habetur arcanum, quod Experientiæ sustineat Examen: Creaturæ enim sunt præceptores medici à* DEO *creati.*

Primus noster Protoplastes Adam, in statu Innocentiæ ex Arte prædestinata, id est, signata rerum Naturalium absolutam habuit cognitionem, ac cuilibet Rei nomen indidit proprium Internam Naturam simul exprimentem: Deus enim omnium rerum vires ac Naturam Hominem ipsum uno tantum spiritus Divini afflatu docuit. Sunt qui erunt qui hæc nostra imperfecta esse judicabunt, eos propter publicam Rei Medicæ studiosorum utilitatem peramanter rogatos volo, ut his meliora, commodioriq; ordine posteritati communicent. Quantum ingenio, studio, & industriâ, quantum labore & curâ, quantum denique judicio con-*

Ut enim Homo è fructib. dignoscitur: ita Herbæ etiam è fructib. suę signaturæ. Nõ sine causa ab Homero vocatur medicus πεϱὶ πάντων ἰητῆϱος & ἄλλων.

Anatomia & Forma Herbarum cõcordãda Anatomiis & Formis Morborũm: nisi a. Physiognomonia ac Chiromãtia tã morborũ quã Remediorũ Anatomia Essata ac Essentialis sit à medico cognita, nil fructuosi in medẽdo præstabit.

Signatura in Philosophia & Medicina summũ Fundamentum. Rom.1. sect.19. Sap.23 sect.1. Sap.15. Psal.19. Mat.17. Iac.12. Ideo Hermes dicit Deũ per singula creata ubiq; splẽdere, & eam ob causam fabricasse omnia ut eum per singula cerneremus

Nil enim reperitur in mundo quod Divinæ Virtutis scintilla careat.

Chiromantia & Physiognomonia dant signa omnium futurorum morborum.

Hoc fundamentũ signatum è Lumine Naturæ depromptũ per scientiam magicã addiscitur.

* Gen.2 Sect.19.20.

Ars hæc ex Lumine Naturæ per Divinam gratiam communicata fuit.

consequi potui, præstare conatus sum. Benignus ideò ac candidus Lector, quia Bonæ voluntati nõ adfuit optata complendi possibilitas, hoc meum saltem incœptum (siquidem in magnis voluisse sat est, nec semper licet quod libet) de signaturis studium boni consulet, & hoc nostro Tyrocinio fruetur, donec DEUS, *aliquem excitet, qui infinita Bonitate juvante huic laudatissimæ & planè necessario studio extremam imponat manum* AMEN.

DE SI-

DE SIGNATURIS PLANTARUM HUMANA MEMBRA SIMILITUDINE REPRÆSENTANTIUM.

CAPITIS.

1. PAPAVER cum corona repræsentat Caput & Cerebrum: ideò decoctum ejus in multis Capitis affectibus utiliter exhibetur.

2. JUGLANDES habent integram Capitis signaturam:

Cortex exterior seu herbaceum involucrum, Pericranii, qua de causa Sal corticũ ad vulnera Pericranii singulare est.

Cortex interior durior, seu ligneum putamen, Cranii.

Pellicula circumdans nucleum, Meningum & membranarum cerebri.

Nucleus ipsius Cerebri figuram habet: ideò etiam ad cerebrum conducit, & venena hebetat: nam nucleus tritus si cum Quinta Essentia vini humectatus vertici capitis imponatur, confortat cerebrum & caput potenter.

3. Folliculus Floris PÆONIÆ concluſus adhuc, habet signaturam & analogiam quandam Capitis cum Suturis, item Venulis cerebrum circumdantibus: Flores mox excludendi aperiunt externam pelliculam Cranium repræsentantem, & hac viâ sicuti etiam semen postea exiliendo fulminis instar Epilepsiam seu Syderatum morbum expellunt.

4. AGARICUM excrescentia est Laricis arboris veluti fungus, & caput purgat.

5. SCYLLA, quæ ad Epilepsiam commendatur.

CAPILLORUM.

1. Lanugo malorum CYDONIORUM refert aliquo modo Capillos: ideò decoctum ejus in restituendis capillis à lue Venerea defluxis efficacissimum est.

2. Muscus oblongus arboribus adhærescens Pilorum instar: Ejus decoctum similiter commendatur in casu capillorum.

3. Herba quædam in palustribus crescit, Pilos oblongos formâ penitus referens, aquis innatat, & flosculo albo conspicitur: Cujus decoctum etiam conducit (ut & pricrum ab extra adhibitorum) in pilorum profluvio.

4. ADIANTVM, TRICHOMANES & POLYTRICHON Apuleji; sunt etiam Capillares plantæ, quæ rigidiusculis cincinnis, exilibusq; fibrillis Capillorum faciem exprimunt, & crines densos, crispos & pulchriores reddunt.

5. THAPSIA folio fœniculaceo seu capillaceo: Avicenna dicit illam parem non habere in operiendo capillis capite in Alopecia.

AURIUM.

1. Folia ASARI habent signaturam: ideò ex floribus ejus Conserva paratur, quę cometta auditum & memoriam plurimùm confortat.

2. Notandum hîc COCHLEAS auriculis prolongis signatas coqui in aqua & sale & despumari, post exiccationem macerantur in oleo succini, & deinde destillatio instituitur:

tuitur: promanans inde oleum mirificum est ad recuperandum auditum: Reptile est acutissimi sensus.

OCULORUM.

1. Grana nigra Herbæ PARIS seu Aconiti salutiferi, habent Pupillæ signaturam: Oleum inde Chymicè prolectum vel expressum ad oculorum affectus efficacissimum est medicamentum, à nonnullis Anima oculorum vocatum.

2. FLOS EUPHRASIÆ habet Anatomiam omnium vitiorum oculi: ideò oculis mirè conducit.

3. ANTHEMIS, CALTHA, HIERACIUM (qua herba accipiter oculis hebetudinem discutit) ARGEMONE, ANEMONE, SCABIOSA, Flos ASTERIS ATTICI: Hæc omnia propter signaturam oculis conducunt.

4. POTENTILLÆ flos Pupillam in oculo repræsentat: Aqua ejus destillata est singularis.

5. Lapis vulgò BELOCULUS, quia in albo orbiculo, circinata nigra pupilla conspicitur, unde nomen adeptus, manibus gestatus claritatem visus conciliat.

NASI.

MENTASTRI aquatici folium Nasi formam refert: herba illa est, quæ folia angusta hirsuta habet, flore è puniceo albicante. Extractum ejus specificum in amissione odoratus.

GINGIVARUM.

SEDUM Minus muris adhærens habet Gingivarum signaturam: ideò succus ejus expressus in Scorbuto seu Stomacace plurimum commendatur.

DENTIUM.

1. In Hyoscyamo receptaculum seu siliquæ seminis habẽt Dentis maxillaris figuram; ideò oleum ejus seu liquor per se expressus, vel decoctum radicis cum herba Persicaria in aceto, elotione calida, dentium dolores efficacissimè sistit.

2. Acini Mali Punici Dentes repræsentant: ad gingivarum vitia & dentium firmitatem valet decoctum.

3. Pinei Nuclei Incisorios optimè dentes mentiuntur: ideò pini folia cum aceto decocta, dolores dentium mulcent.

4. Dentaria Herba, cujus radix miro Naturæ artificio compactili squammarum serie conspicitur.

GUTTURIS.

1. Pyrola, ideò in gargarismis utimur.
2. Uvularia.
3. Cervicaria.

JECORIS.

1. Hepatica, Lichen.

2. Fungus Betulinus & Quercinus, habent etiam peculiarem Jecinoris sanguinis officinæ signaturam: quo nomine pulvis utriusque ad miraculum usque sanguinem è naribus ac vulneribus erumpentem insperſione sistit.

3. Jecoraria parietibus fontium adhærens, quæ contra Hepatis affectus & scirrhos peculiariter valet.

4. Pira habent quodammodo signaturam Jecoris: ideò ad Jecur etiam conducunt.

COR-

CORDIS.

1. Citrium sui fructus effigie Cor repræsentat.
2. Anthoræ radices duæ quasi cordula ostendunt.
3. Alleluya in cauliculorum summo profert folia Cordis figurâ.
4. Melyssophyllon Cordis specie fert folium.
5. Cardiaca seu Molucca folia melissæ profert.
6. Nardus, Myrobalanum, Mala Cydonia.

Omnium eximiæ sunt dotes ad Cor.

PULMONIS.

1. Pulmonaria tàm saxis quàm arboribus adhærens.

2. Pulmonariæ quædam species Pulmonis maculas subalbicantes referunt: ideò omnium decoctum in variis Pulmonum affectibus conducit.

MAMILLARUM.

Specula Pennarum Pavonis: habent enim Mammillarum & uberum formam: ideò hausta sanant ubera mulierum malè affecta.

FELLIS.

Herbaceum Viride involucrum Juglandis, si succus ejus exprimitur viridis, assimilatur succo Fellis colore & sapore, & conducit ad Fellis expurgationem.

LIENIS.

1. Scolopendrium verum, Asplenum, Ceterach.
2. Lingva Cervina & Vulgaris Phyllitis.

 3. Lupi-

3. LUPINUS sua effigie Lienem demonstrat: ideò ejus decoctum Lienosis prodest.

VENTRICULI.

1. Folia CYCLAMINIS saltem: radicem enim membra paralytica reddere tradunt.

2. ZINGIBER.

GALANGA, est externus Ventriculus, per quam internus servatur.

UMBILICI.

UMBILICUS VENERIS seu COTYLEDON concavum adfert folium rotundum, læve, fœmineum, umbilicum imitatum, crassum, carnosum & succulentum Ad amatoria valere affirmat Dioscorides, quia medici Umbilicum Luxuriæ sedem dicunt.

INTESTINORUM.

1. CALAMUS AROMATICUS.

2. CASSIA FISTULA.

VESICÆ.

1. ALKEKENGI, HALICACABUM, VESICARIA vesiculas ferens humanis similes, intus acinum inclusum gerit, cujus celeberrimus usus ad calculos lotiumq; ciendum.

2. VESICARIA Repens, Staphylodendros.

3. COLUTEA.

4. SOLANUM.

PUDENDI.

1. ARON præter pistillum execti ferè genitalis effigie, integrum generationis instrumentum demonstrat.

Sunt qui putent Satyrion Erythroneum seu Verum Paracelsi Satyrion esse Aron seu omnes Dracontii species, quę habent signaturam totius Pudendi & post maturationem in gramine supra terram instar serpentis incurvatæ jacent.

2. FABÆ habent etiam integram Pudendorum & Colis glandis Anatomiam: ideò à Pythagora damnatæ: Farina illarum ad inflationem pudendorum commodè à proprietate similitudinis adhiberi solet.

3. CICHORII pistillum erectum, Veretrum ostentat, cujus decoctum intra & extra adhibitum singulare pro maleficiatis ex incantatione.

4. HIERACII caulis concavus: decocti ejus cum aqua communi quotidianus haustus calidus, specificum est in inflammatione purulenta penis.

5. In CICERE & maximè in LUPINO Mentulæ forma apparet.

6. Ut & eandem PINI FRUCTUS repræsentant: ideo nuclei ejus & Pistachiorum esus Venereis exercitiis conducunt.

7. GLANS summam Colis partem ostendit, quam præputium tegit.

TESTIUM seu GENITALIUM.

1. E Bulbaceo genere omnes ORCHIDUM species à similitudine testiculorum Veneris sunt incentivæ, si cui desit facultas: alter alterius potu resolvitur, superior, maior & plenior ad stimulandos coitus, Inferior, mollior ac rugosior ad inhi-

inhibendos valet: Natura hominum generationi satagens hâc testiculorum imagine ad vires Venereas, conceptum & prolem eos valere significavit, siquidem etiam seminis odorem habent. Ideò Satyrii essentia in restituenda amissa virilitate viris frigidis efficacissima est: siquidem hominum & animalium luxuriosorum testes ita affabrè mentiuntur, ut nemo sit qui videat, qui se eos cognoscere non fateatur.

2. TRAGORCHIS hircinus Testiculus hircum olet, & spirillis aruncis caprillam barbam ementiens ad Venerem inflammat, omnium bulborum valentissimus, ut hircus animalium luxuriosissimus.

Pseudo Hermodactylus Matthioli & Italorum.

3. SATYRIUM ERYTHRONIUM, id est rubrum, cortice radicis gracili ruffo, intus albo: non secus atq; Scincus libidinem excitat, etiamsi manu teneatur, & magis si bibatur è vino, teste post Dioscoridem Lobelio.

4. DRACUNCULUS major radice bulbosa donatus rotunda, instar Testiculi, in vino sumptus Venerem proritat.

5. PORRUM adeò scroto simile ut in proverbium abierit: etiam Venerem excitat.

6. FLORES CYNOSORCHI homines ad fœcunditatem & lasciviam invitant, Venerem conciliantes, irritantes, augentes, & sopitam vellicantes.

7. BOLETUS CERVINUS Pudendorum habet signaturam: ideò non solum ab intra confortando conducit, verùm etiam ab extra, Inflaturis Testiculorum utiliter imponitur.

8. PHALLUS ab Adriano Junio peculiari scripto in hunc eundem usum commendatus.

9. Utriusque sexus genitalium signaturam habent UVARUM ACINI: Ideò Veteres non sine causa dixerunt sine Bacho frigere Venerem, Zachar. 9. sect. 17.

MATRICIS & UTERI.

1. ARISTOLOCHIA rotunda fœminei uteri formam imitatur, & optimè puerperis opitulatur.

2. PISA.

3. Interior Cortex BETULÆ viridis habet signaturam Matricis cum venulis sanguineis: ideò decoctum ejus purgat matricem.

4. SABINA habet signaturam Venarum matricis: ideò dissolvit Tartarum in venis muliebribus.

5. MALUM GRANATUM seu PUNICUM glabrum est, & membrana tegitur, Malicorium dicta, Sole hiat cortex, aperiturq; leviss ima vel aëris iniuria: sic etiam infans maturato nis tempore exitum è matrice parat.

6. CYCLAMINUS suo circinnato radicis bulbo, muliebre uterum affabre demonstrat effigiatum: Theophrastus ejus bulbum ad amatoria valere dixit.

7. LEONTOPETALON cujus radix fœminæ pubem lanuginoso molliq; flocco pubescentem suo intuitu & similitudine affabrè demonstrat. Tradit Dioscorides appensam ad amatoria valere.

8. MACIS Matricis signaturam etiam refert: Includit enim nucem myristicam (fœtus in utero signaturam) Macis ut Matrix embryonem.

RENUM.

Portulaca habet suam signaturam ad Renes.

SECUNDINÆ.

Nymphæa hujus signaturam habet: Ideò etiam Secundinam expellit.

SPINÆ DORSI.

1. Equisetum.
2. Filix Fœmina: ideò ejus decoctum (in Ischiade & doloribus Spinæ) & fomentario è vino & aqua per multos dies præstantissimum est ex arte signata Remedium: Spinæ dorsi enim effigiem non obscurè repræsentat.

TIBIARUM & OSSIUM.

1. Gratia Dei seu Geranium habet signaturam Ossis Tibiæ: ideò pulvis ejus singularis in ossibus fractis.
2. Ossisana seu Lapis fabulosus prope Spirã & Darmstadium repertus, miraculosus in conglutinandis ossibus ruptis, idq; propter signaturam ejus Magicam.

NERVORUM & VENARUM.

1. Plantago habet signaturam integram, imò & manuum & pedum Chiromanticam figuram, siquidem manus herbarum sunt folia.
2. Savina habet etiam venarum signaturam.

PORORUM CUTIS.

Hypericonis folia perforata signaturam habent: Tollunt obstructionem pororum & sudorem pellunt.

MA-

MANUS.

1. Palma Christi.
2. Folia Ficus: ideò articulorum doloribus conferunt.

MORBORUM SIGNATURÆ.

APOPLEXIÆ.

1. Lilii Convallii Flos habet Guttæ signaturam, quia flos quasi gutta pendet: ideò in hoc morbo magnus ejus usus est.
2. Carpionis Lapis semilunari formâ supra oculos existens, commendatur in illâ Apoplexiâ, quę cum commotione & contractione musculorum supra oculos invadit.

CALCULI.

Omnia quæ calculum pellunt sunt Magicè signata à similitudine, & morbum significant suis imaginibus.

1. Crystallus, Silex, Lapis Citrinus, Judaicus, Lyncis: Lyncis urina coit in lapidem: ideo ejus urina ad Vesicæ stillicidia peroptima est.
2. Calculus Microcosmi.
3. Saxifragiæ Radices.
4. Lithospermon seu Milium Solis calculos candore & rotũditate margaritarum ferens, duritiâ lapideâ cum aliis seminibus saxeis ad comminuendos calculos valet.

5. Fructus & siliquæ ONONIDIS.

6. LACHRYMA JOBBEA ad deturbandos calculos nunquam satis laudata.

8. Fructus ALKEKENGI.

8. Nuclei CERASORUM, PERSICORUM, MESPILORUM.

9. Fructus ROSETI Rubei: Item plurimi alii in senticetis rubro colore in autumno ad maturitatem provenientes.

10. CÆPÆ etiam habent signaturam Calculi.

CANCRI.

1. DACTYLETUS; ideò secundum Paracelsum haustus Cancrum curat: alii putant esse Hermodactylum exoticum officinarum cum radice rotunda sese in centrum contrahente, non aliter ut cancer facere consuevit.

2. LUNARIA quæ signaturam habet cancri, cum qua Carrichter affirmat se omnes mammillarum Cancros curasse.

3. Ros Solis seu ROREL LA.

COLICÆ.

CONVOLVULUS in segetibus proveniens Intestina repræsentat: ideò decoctum ejus est in Colica singulare.

ANGUILLA in Colica pestis.

CICATRICUM.

1. OLEA.

2. ULMUS.

3. RESINIFERÆ omnes, quæ caudicis scissuras sustinent, ad cicatrices & vulnera certissimo experimento utilissimæ.

DY-

DYSENTERIÆ.

1. ACORI AQUATICI Lutei radix in Majo effossa, & collecta, singulare Amuletum contra Dysenteriam appensum ad ventriculi regionem: habet enim colorem & signaturam Excrementorum.

2. Ita BACCÆ SAMBUCI conferunt.

ERYSIPELATIS.

1. Semen OXYLAPATHI, quod semper carneum colorem, non planè rubrum habet: decoctum ejus haustum efficacissimum est.

2. COLCHOTAR VITRIOLI calcinatum fortiter: ideò exterius in aquâ plantaginis solutum ùtiliter imponitur.

3. ACORUS PALUSTRIS: quo nomine de collo gestatur.

EPILEPSIÆ.

1. VISCVS QUERCINUS cum suo glutine maturat morbum.

2. GRANA PÆONIÆ circularia ac nigricantia, præsertim quæ à primâ emergût fœturâ (quia matura è capitibus sponte exiliunt) expellunt.

3. In Epilepsia CRUX seu OSSICULUM illud est præstantissimum medicamentum, quod alii volunt in Craniis Epilepticorum, alii verò strangulatorum, ubi junctura committuntur: quia quilibet ferè strangulandus Epilepsiâ in Agone corripitur, dum spiritus vitæ intercluſus exitum quærens, suffocatur: tunc commissuras capitis hâc vehementiâ separari necesse est: In principio paroxysmi sub Exaltatione Lunæ datur.

4. Passer in Caduco pestis à Paracelso commendatur.

EXCRESCENTIÆ.

Agaricum & reliquæ Arborum Excrescentiæ, quæ supra ramos & frondes contra Naturæ ordinem excrescunt, humanorum artuum excrescentibus partibus medentur.

EXANTHEMATA.

1. Semen Raparum.
2. Lentes: ideò decoctum illorum expellit.

FICVS ANI.

Scrofularia major & minor, habent integram signatu am: ideò decoctum in exterendis ficubus mariscisve non solum utiliter bibitur, verùm etiam pro Amuleto de collo ad orificium stomachi virtuosè appenditur.

FISTULÆ.

Junci Aquatici habent signaturam: ideò sal artificiosè extractum, intra & extra corpus cum juvamento offertur.

Rapunculus Herba Carrichteri flore cœruleo eandem habet signaturam & efficaciam.

FOETUS in UTERO.

Ætites Lapis veluti prægnans, cum quatitur alio in utero sonante, gravidis continet partus, cum uterus parum tenax sinistro brachio mulierum alligatur, donec partus hora instet, tunc sinistræ coxæ imponitur, ut feliciter sine labore & periculo enitatur, post fœtum excluſum tollitur confestim, ne uterus subsequatur.

FOE-

FOETUS UTERO ADNATI.

Conferunt à similitudine Grana Florum Tiliæ, supra pedunculum dimidia ex parte folio adunatorum. Dantur infantibus adnatis illorum granorum quinque vel sex una vice, vel etiam mulieri gravidæ, cui fœtus adnatus: Colliguntur in festo decapitationis Johannis, & cortex exterior abiicitur.

FASCINI.

Conferunt Herbæ quævis quæ per scissuram aut foramen saxi, aut lapidis alicujus enascuntur.

HERNIÆ & RUPTURÆ.

1. Radix Aronis.
2. Perfoliata.
3. Herniaria.
4. Telephii radix.
5. Folia Fraxini etiam habent signaturam: ideò oleum è ligno destillatum illitum, efficacissimè medetur.
6. In foliis Ulmi folliculi quidam seu vesiculæ erumpunt & innascuntur mense Majo humore plenæ admodum vulnerario, ad Enterocela valent.
7. Poma foliis Quercinis adnascentia in Majo colligantur, & in vitris suspensa per se in Sole in liquorem redigantur: Hic liquor inunctione plurimum conducit.
8. A signatura Magica observentur Animalia, quæ se extendunt & contrahunt: Ita Elephas proboscidem extendit & retrahit: ideò Spodium calcinatum hîc prodest.

9. Simi-

9. Similiter Testudo se contrahit, cujus calcinatæ pulvis etiam conducit.

10. Hirudo Spinosa itidem se contrahit, cujus aqua destillata vel cinis combustus, miras habet in hoc affectu vires: Sola olei ejusdem inunctione Hernioſi curati sunt.

HÆMORRHAGIÆ.

1. Santalum Rubrum, cujus decoctum in vino rubro styptico, mirè compescit Hæmorrhagiam.

2. Tormentillæ Radix.

3. Hæmatites, Coroneolus Lapis maximè, Sarda, Corallium, quæ omnia sanguinẽ sistunt, ex Anatomia, manibus si includantur.

4. Sextum Geranii genus dictum Sangvinarium, radice rubra, tantoperè in sistendo sanguinis profluvio prædicatum.

3. Chalcanthum combustum, sanguinei coloris evadit, erumpentem sanguinem è cerebri vena, & è pectore mirabiliter cohibet.

6. Anagallis Mas, sanguineo flore, manibus detenta, ubi incaluit, impedire ferũt sanguinis effluxũ ex incisa vena.

HÆMORRHOIDUM.

Omnes Villosæ plantæ, & mollia herbarum folia lanuginosa, quæ lanosiore flocco, quasi canescunt, conducunt etiam ex sympathia Hæmorrhoidibus, asperum tactum horrescentibus.

1. Folia Verbasci, quæ cana densaq; lanugine, bombaceo

baceoque tomento vestiuntur, hujus decoctum conducit.

2. Oculi Populi Arboris, oleo olivarum macerati & insolati, mirè utiles: semen colorẽs sanguinei planè repræsentat nates.

3. Pes Leporis herba, etiã lagnuinosa est, & decoctũ utile.

4. Scrophularia, quæ tuberculis & papillosis capitulis scatet.

5. Aron Minus, Tonsillas & Hæmorrhoides mulcet.

6. Inter Verbasci nomenclaturas est Lupina Cauda, à pilorum molli lanugine, quam imitatur: Ejus decoctum etiam prodest.

HYDROPIS.

1. Radix Bryoniæ habet signaturam pedum Hydropicorum: ideò Extractum aquas educit.

2. Radix Mechoacæ.

3. Dentaria seu Aneblatum Cordi habet etiam signaturam inflationis Hydropicæ.

4. Medulla Ligni Sambuci, pressurâ etiam relinquit cavum vestigium, quale videmus in pedib. Hydropicorum: ideò succus arboris conducit, sicuti etiam Fungorum Sambucinorum destillata aqua.

5. Mala Persica habent etiam signaturam: ideò flores Persici & folia cum Nucleo siccata & pulverisata omnia debita quantitate leniter purgant in tumoribus & Hydrope.

ICTERITIÆ.

1. Chelidonia, Crocus, quæ duo à similitudine flavi

e colo-

coloris juvant. Item Radix CURCUMÆ.

2. CENTAUREA.

3. PEDICULI, SCARABÆI flavi.

4. Cutis interior flava OXYACANTHÆ: Item medianus flavus Cortex SAMBUCI.

5. LAPIS in FELLE BOVIS repertus flavus.

6. ANCHUSÆ arvensis radix colore rubro & sapore amaro. Horum decocta juvant.

7. TENCA viva supra umbilicum ponitur, donec moriatur, præsertim in Ictero pestis.

8. ANTHOS Rosarum peculiariter confert. Dosis drachma semis.

LENTIGINVM.

1. BETULÆ Cortex albis interlitus maculis, ut videatur sturnum imitari, lentigines & faciei maculas abstergit.

2. FLORES SAMBUCI etiam maculati sunt: ideò fotus ex decocto florum in aqua commendatur.

LEPRÆ.

FRAGA habent signaturam: ideò illorum destillata aqua palliat rubicundam Leprosorum faciem, si bibatur & liniantur maculæ: Quo nomine etiam Raymundus Lullius Fragorum in spiritu vini maceratorum usum in palliandâ Leprâ plurimùm commendat, in libro de Quinta Essentia.

VIPERÆ: ideò caro illarum præparata. Leprosis cum commodo offertur.

LVM-

LUMBRICORUM.

1. VICIÆ habent signaturam Lumbricorum: ideò decoctum illarum conducit in expellendis Lumbricis.

2. In cavitate Rosæ Caninæ interiore Tineæ quædam candidæ interdum occluduntur, quibus pulverisatis ad expellendos vermes intestinorum, multi feliciter utuntur.

MENSTRUORUM RUBORUM.

ARTEMISIA RUBRA: ideò efficacissimis virtutibus prædita herba, in sistendis & corrigendis mensibus superfluis.

MEMBRORUM TABIDORUM.

SALIX non fert semen, sed virgula abscissa etiam ferè emarcida sola infixione in terram crescit: ideò Balneum è decocto salicis præstantissimum ad membra tabida.

MACULARUM.

1. ALLIUM.
2. ARUM, ARISARUM.
3. DRACONTIUM.
4. PERSICARIA.
5. HIRUNDINARIA minor. Omnes item Maculosæ plantæ maculas corporis nostri abstergunt.

NODORUM in CARNE.

MERCURIALIS cum nodis: ideò decoctum ejus cum Mechoaca, nodos cutis tollit.

PRUNELLÆ.

1. SAL ARMONIACUM: ideò liquor ejus destillatus cum

succo Aizoi est Euporiston medicamentum: Extrahit enim Tartaricum sublimatum Realgar, gutturi seu collo adhærens, & linguam nigredine afficiens.

2. Flores BRUNELLÆ sua forma guttur repræsentantes, commendantur etiam ut plurimum in hoc morbo.

PUNCTURÆ LATERIS.

CARDUUS BENEDICTUS suis punctionibus curam Pleuresis indicat, ut &

2. CARDUUS MARIÆ: Utriusque stillatitius liquor vel decoctum plurimum confert.

3. HIPPOGLOSSUM alterum folium gerit maximè acutum, non sine maximo aspicientium miraculo, & Naturæ raritate: ad Laterum puncturas valere Neotericorum constat experimento.

4. Puncturis in corpore MAXILLA seu Crux Lucii Piscis contrita & potui data, subvenit.

5. CONSOLIDA REGALIS, cujus tres vel novem flores comedantur.

PHANTASMATUM.

1. Fibræ super folia HYPERICONIS habent signaturam, quod perforata certo tempore & debito modo collecta omnia Phantasmata, & spiritus Phantasticos sine superstitione ab homine & extra hominem pellit, qui spiritus etiã Verminum spiritum in aliam Phantasiam adigit, ut illorum spiritus animalis ab hoc spiritu fugiat. Nomen Græcum denotat, quod κατὰ εἰκόνας super Imagines & Spectra dominium habeat

habeat, Fuga dæmonum vocatur: ideò fumigatio seminis ejus, ut dicit expertissimus Philosophus Lullius, fugat omnẽ dæmonem à proprietate corporis, vel à domo: Portus Neapolitanus affirmat obsessor nec odorari, nec supra se ferre valere: Ut enim Sol subditis sua Luce fugat omnes malignos spiritus in Tenebris gaudentes: sic Hypericon (inter Herbas Solares numeratur præcipua) à Paracelso Solis Terrestris nomine insignitum, ejusdem dignitatis deprehenditur.

2. RUTA, propter Crucis signum semini impressum.

3. Crux BACCIS JUNIPERINIS innata, præsertim magnis granis, nucis avellanæ quantitatem æquantibus, qualia inter peregrinandum in copia provenire vidi in agro Neapolitano ad litus maris Tyrrheni: ideò experientia demonstrat, quòd prosint maximoperè à spiritibus malignis obsessis.

4. ANTIRRHINUM contra Phantasmata & Incantationes: semen enim quasi Sceleton repræsentat, defunctique Hominis Calvariam ostendit.

PANARICII.

ARCHANGELICA seu URTICA ALBA habet signaturam, contusa & imposita confestim necat.

PESTIS.

1. BUFO, COCHLEÆ, RANA; ideo utiliter ab extra imponuntur, siquidem Venenum attrahunt: Futuræ ac instantis Pestis signa in linguis Ranarum maculatis apparent, ac ubi catervatim sese mutuo conscendunt, tot funera simul sepelienda prædicere solent.

2. Anthracis & Carbunculi ſignatura eſt in SAPPHIRO, in quo eſt peculiaris virtus Anthracem ſine corroſivo tollendi & in Eſcharam promovendi. Similis eſt etiam in LACERTA vis, ideò extrahit Eſcharam.

3. GAMANDRÆA cum rotundo pomo etiam Peſtis ſignaturam habet: ideò infecti herbam hanc ſed ſub ſuo climate productam magno juvamine macerant in quotidiano potu: Ita Tubera rotunda Quercubus adnaſcentia ſive recentia ſive pulueriſata feliciter imponuntur Peſti: Sic & pulvis Nuciſtarum maceratarum applicatus extrahit venenum.

SEMINIS PROFLUVII, ſeu GONORRHOEÆ.

URTICA MORTUA, GALEOPSIS: ideò Carrichter decoctum ejus in vino plurimum commendat.

SCROFVLÆ.

1. SCROFULARIA mas & fœmina.

2. SCROFULARIA minor ſeu CHELIDONIUM minus, cujus ſtrumoſa radix è multis granis frumenti videtur coaluiſſe.

SQVINANTIÆ.

FRUCTUS MORI habent Squinantiæ ſignaturam: ideò ſuccus ejus & folia gargariſando conducunt.

SCABIEI Corporis & Pedum.

1 ARBUTA ſeu Piceæ Coni ſquammulis loricati: decoctum illorum cum Capite mortuo Vitrioli præſtantiſſimum medicamentum externum eſt.

2. SCA-

2. SCABIOSA in ſummis caulium capitulis florum calices promit compactili ſquammarũ ordine ſtructos: ideò Scabiei medetur.

3. POLYPODIVM in dorſo ſcabritiem habet: ideò à proprietate ſua decoctum ejus pellit Scabiem.

SQUAMMARUM CUTIS.

1. VITIS & RESINIFERÆ quæ corticem abiiciunt, ad cutem deglubendam & Squammarum vitia conducunt.

2. Sic ad Squammas capitis Herba FILICIS vel FILICULÆ conducit.

SQUAMMOSORUM PEDUM.

SCORIA FERRI habet ſignaturam oſtracoſorum labiorum ulceris: Ut enim Scoria hæc interfundendum à ferro ad ſuperficiem eiicitur: ita etiam ab interno Hominis Archæo ſeu Arte Naturæ fit ſeparatio Mineralium & Excrementorum in corpore microcoſmo: ideò Crocus Martis & oleum ejus in tali caſu plurimùm proſunt.

SPASMI.

1. LIMACES vix commoti contrahunt ſe: oſſiculum exiguum in Limacibus albis per medium ſciſſis, in papyro recõditur, & in ſpaſmo efficaciſſimè exhibetur.

2. POPLES LEPORIS animalis velociſſimi in curſu, itidem prodeſt.

STRUMARUM.

1. GLADIOLUS radice geniculata conſtat, parvorum Bulborum

borum modo ſuper alium inſidente, inferior gracilis, ſuperior, Strumis certò medetur.

2. Scrophularia radicem habet tuberculis aſperam & papilloſis capitulis donatam, ſtrumoſo ſubtus porrecto ceſpite: Ulceribus ſtrumoſis & tuberculis ab humore frigido glaciatis emolliendo opitulatur.

3. Ficus Strumæ modo tument, valent ad eaſdem.

4. Sic Spongiæ Marinæ.

5. Iridis radix ſtrumoſa delet ſtrumas.

6. Eſt & Scrophularia minor dicta herbula foliis hederæ, habet radices quôdam callo pendentes parvas, complures, ut grana tritici in acervi modum collectas, quarum tres vel quatuor in longius protenduntur. Hâc recentiores in eximendis ſtrumis, ficubus & mariſcis magna vi & experimento utuntur.

7. Sal Ungaricum ſeu Transylvanicum nativum multas grumas Strumæ inſtar habet, cujus frequentem uſum ut & Salis Gemmæ Paracelſus in depellendis ſtrumis ſtudioſè commendat.

SUGILLATIONUM.

1. Persicariæ folium liturâ maculæ modo conſcriptũ, quæ Cornicularis Lunæ imaginem refert, ſugillata delet.

2. Chelidonium minus etiam propter foliorum magicam ſignaturam in hoc caſu ſpecificum eſt: nec ſolum ab extra unguentis admixtis illinitione delet maculas externas, ſed etiam in vino macerata & quotidiè ter vel quater hauſta ab intra ſanguinem concretum è corpore ad miraculum expellit.

TAR-

TARTARI VENTRICULI

Cassutha ſeu Cuscuta ſignaturam habet: Ejus decoctum maximoperè commendatur.

URINÆ RETENTÆ.

1. Medulla in Calami Anſerini concavitate contenta: ſiccata & tuſa mirè in vino remoratam urinam pellit.

2. Anima Halecis (ut vulgus vocat) coloris argentei repræſentat etiam cavum penis ductum: pulveriſata & exhibita efficaciſſimè urinam ciere ſolet.

VENENI.

1. Syderica, Dracontium Majus, in quolibet folio habere figuram ſerpentis: Inde magico indicio cõfirmamur, quod decoctum contra ictus ſerpentum ſit efficaciſſimum.

Dracunculus Minor ludentis Naturæ miraculum ad primas ſerpentum Vernationes exerit ſe terra, & cum iis in terram conditur, nec omnino occultato eo apparet ſerpens: officioſo Naturæ munere remedium demonſtrantis & formidinis tempus præmonentis.

3. Bistorta, Serpentaria, Colubrina, ad viperarum & ſerpentum morſus.

4. Ophioglossum, ut & præcedens Herba figuram habet ſerpentinæ linguæ cupientis lædere.

5. Inter Allii genera Ophioscorodon ſignatum eſt.

Omnes autem plantæ, quæ ſerpentis exuvium maculoſum exprimunt, & verſicolores viperarum maculas oſtendunt, imò ſerpentum effigiem ex omni ſua parte cõſpicuam reddunt, contra eorum morſus valent.

VERRUCARUM.

Culmorum Nodi habent Verrucarum signaturam: ideò etiam magnetica cura per illos tolluntur.

VULNERUM.

1. Sapena Riparum seu Hydropiper, in aquis pigro lapsu repentibus nascens, propter maculas sanguineas in foliis, medetur Vulnerum recentium supervenientibus symptomatibus: siquidem fluxus sanguinis in sanguineo Persicariæ pedunculo, Soli objecto apparet. Hæc Persicaria à Paracelso vocatur Mercurius Terrestris, & dicit in illa esse Influentiam Carnalem seu Attractivum Influentiale non aliter, ut Sol & omnia sydera ab inferioribus attrahunt, & inferiora vicissim à suis superioribus: Guttæ in foliis habent signaturam.

2. Hypericonis Folia innumeris foraminulis quasi acu trajectis perforata videntur: ideò ad omnes externas & internas cutis læsiones prosunt: Et quia flores etiam post putrefactionem in formam sanguinis abeunt, signant usum peculiarem ad Vulnera.

3. Millefolium, & Betonica, lancinatis & incisis foliis.

4. Gentianella seu Cruciata cujus radix in modum Crucis transfossa est.

5. Ascyrum.

6. Ulmus etiam perforata folia habet: & sic omnes Plantæ perforatis foliis ad Vulnera corporis valent.

ME-

MEDICAMENTA, AC SIMILITUDINE JUVANTIA.

NOtandum etiam est, quod quædam medicamenta, à similitudine prodesse, & miro modo à morbis liberare deprehendimus, quia unum alterius Anatomiam habet; cui enim potius comparandum simile, quam suo simili?

Arsenicus ulceribus Arsenicalibus subvenit: Inter omnes fructus Aquæ, non est majus Venenum, quam in materia Resinorum, & omnis Venenositas Resinorum, confirmante Paracelso, confluxit in Arsenico, tanquam in unum corpus.

Aconitum ex vino tepido datum percussis à Vipera aut Scorpione salutiferum esse expertum est à nonnullis medicis peritissimis, adeò Venena plerunq; Venenatis sunt Venena.

Boletus Cervinus Fungus est, quem ad res Venereas adhibent, è semine ejus Animalis genitali oritur.

Cancer, quia corpus ipsis tumet, ideò Carcinomata & Perniunculos cum decocto melle lenit: fluviatilium Cancrorum cinis utiliter etiam inspergitur.

Cancer item vivus, ligatis chelis Cancro imponitur, donec moriatur: Ita Cancer Cancrum interficit, qui si sit exulceratus, postea quovis opodeltoch curatur.

Cardiacam tollit pulvis Cordis Perdicis.

Capilli Hominum si destillentur, egreditur succus, qui Capillis prolongandis inunctione prodest.

CEREBRUM SUILLUM, PHRENETICIS prodest? ideò etiam ii, qui memoriam amiserunt, cum juvamento vescuntur Cerebro Porcino, cum myristica & cinamomo aromatisato.

COR MOTACILLÆ cum successu appenditur in CONGELATIONE, ubi COR riget.

COR Hominis in CARDIACA & Syncope corroborat Essentia præparata de CORDIS CERVI Ossibus.

COLI cruciatus demulcet particula de UMBILICO infantis recenter nati, in argentea capsulâ vel annulo inclusa, & ita gestata ut carnem attingat, certissimo experimento multorum accepi.

CRANIUM Hominis EPILEPSIÆ subvenit, sumatur autem pars anterior, non posterior, & fœminæ fœmineum, mari masculum accommodetur.

CUCUMERIS sylvestris fructus maturi, leviter contrectantem maculant, dum de se solo tactu succum ejaculantur: sic hujus coagulati succi seu Elaterii usus, hoc magico indicio, serosos Humores corporis Humani vehementer expurgat.

In DYSENTERIA maximo juvamine adhibetur rubra illa medulla, quæ in Lapicidinarum juncturis reperitur & eruitur, vulgus Jecur LAPIDUM vocat.

EPILEPSIA, ALCIS & HIRUNDINES corripiuntur: ita etjam contra eundem morbum specificè instar Amuleti conducunt Alcis posterioris pedis dextra ungula, quam auriculæ sinistræ ingruente paroxysmo immittunt, seq; hoc pacto à paroxysmo liberant: ex Hirundinibus Aqua Antiepileptica singularis paratur.

Foe-

FOETUM excludit Exuvii SERPENTIS Cingulum, quo si instante partu nudum gravidæ corpus cingatur, feliciter enititur.

FLAVAM BILEM erpurgat RHABARBARUM ejusdem coloris.

FUNGI in agro Neapolitano propè urbem Somam, quotannis è LAPIDIBUS Terrâ saltem obrutis enascuntur, qui siccati & pulverisati pondere drachmæ semis in Aqua appropriatâ manè & vesperi exhibiti, ad miraculum omnem CALCULUM comminuunt, & instar farinæ expellunt.

GLADIOLUS tusus & impositus, SPICULA & SPINAS extrahit à similitudine.

GLOBUS seu Pila à Scarebæo conglomerata supposita, extrahit GLOBOS PLUMBEOS è corpore.

HÆMORRHOIDES in locis obscœnis se manifestant, sanantur à Scarabæis in Equorum excrementis latitantibus, in cinerem prius redactis & insperſis.

HYDROPHOBIAM tollit inopinatus, subitusq; impulsus in Aquas? Ita metus metu discutitur.

JECUR LUPINUM confert JECINORIS infirmitatibus.

LINGUR Hircinæ semen, ECHIUM, Viperinis capitulis simile: ideò VIPERARUM, ceterorumq; serpentum morsibus medetur, & prophylacticum est medicamentum.

LUMBRICI Majoris & Minoris Mundi LUMBRICIS Hominis medentur: Ejusmodi autem vermes exiccati, & in pulverem redacti, propinati ac in lacte caprillo exhibiti Lumbricos in ventriculo & intestinis morantes interficiunt, & corpore eiiciunt ac expellunt.

LUMBRICUS VIVUS per viginti qua uor horas PANARICIO circumligatus, donec moriatur, interficit ipsum.

LUPUS corporis Humani, curatur beneficio unguentorum & cataplasmatum è Carne & Pinguedine LUPINA præparatorum.

MATRICIS Gallinæ pulvis in collum MATRICIS injectus, ejusdem fluorum exiccat, & sterilitatem fœminis inde causatam tollit, & conceptionem juvat.

MAMMARUM Muliebrium fissuris medetur inunctio Glutinis ex UBERIBUS Vaccinis præparati.

Nascuntur in Podice veluti fructus MORI cruenti, molles, & in Scroto, qui ex fructuum MORI, frondiumq; pulvere sanantur.

OCULI BOVIS Humor Crystallinus destillatus, omnibus OCVLORUM vitiis succurrit.

PEDUM Anserinorum abstracta cutis, PEDIBUS REFRIGERATIS (ut & Panaricio) medetur, cum Artemisia fiat decoctum, quod utiliter imponitur.

PRIAPUS TAURI aut CERVI, PENIS ἀτονίαν aufert, & Venerē suscitat. Horum enim Animalium Natura luxuriosa.

PROFLUVIUM menstrui immodicum, dum purus sanguis simul effluere incipit, sistunt tres vel quatuor guttæ purissimi illius SANGUINIS ultimò effluentis, fœminę patienti inscię in vinæ vel cerevisiæ potu exhibiti.

PULMO VULPIS, afflicto PULMONI prodest.

RENOVANT nostra corpora & juventutem restituunt, quæcunq; ANIMALIA habent in se Virtutem RENOVATIVAM,

VAM, ut de Vipera & Serpentibus traditur.

SANGVIS è Naribus & Venis profluens, torrendo friabilis factus, Narium & Venarum HÆMORRHAGIAM insufflatus & inspersus sistit. Datur etiam intra corpus.

Similiter SANGVIS è VULNERIBUS effluxus calidè VULNERI iterum immittitur, ut nimiam Hæmorrhagiam ejus sistat.

SAGITTAS extrahit Herba SAGITTALIS in pratis ad ripas crescens, & sagittam repræsentans.

SCORZONERÆ radix ad serpentis cujusdam SCORZONE dicti formam effigiata, contra ejusdem morsum unicum Antidotum.

SERPENS si filo lineo suspendatur & suffocetur, funiculus ille in Angina & Apostematibus faucium valet plurimum.

Contra SYNOVIAM offertur ipsi patienti aliquid supra particulam panis præsentaneo successu.

SECUNDINAM, Secundina lota ac in fictili torrefacta, & drachmæ semis pondere in jusculo gallinarum exhibita, mirificè educit.

STOMACHI Lupi Corium gestatum STOMACHI juvat digestionem: Ita etiam Vulturis & Oloris pelles ab alutario præparatæ.

Spiritus Tartari fœtor, fœtorem humorum putridorum in Peste è corpore humano expellit.

TARTARUS seu Sal Urinæ Hominis, contra Tartarum & CALCULUM singularis est.

TORMENTILLÆ Radix Nodosa, tusa & imposita Nodos in cute tollit.

Tor-

TORSIONIBUS intestinorum in Colica conducit Intestini Lupi exiccatum Cingulũ, ut & excrementa ejus gestata.

TUMORI seu Gummi, quod nostris membris innascitur, dissolvendo medetur Gummi illud è Ceraso desudans, aceto dissolutum & appositum.

VARIOLIS infantum, seminis Raparum & Lentium decoctum medetur à similitudine.

VERTIGINE non corripiuntur Damæ & Serpentes loca invia accedentes: ideò illarum pinguedo, si tantillum de illa Temporibus illinatur, contra Vertiginem maximoperè confert: ut & Ciconiarum Essentia Quinta, siquidem Ciconiæ longo tempore in aëre in gyrum circumvolitare consueverunt.

Paracelsus vocat das Ferch Idiomate Germanico.

VITALIS spiritus seu Vita in musculis forma refert Animam Halecis, ut loquuntur, seu argentum argento vivo superinductum: ubi in sanguine refrixit, evanescit, punctum vel cæsim vulnerato, ubi in sanguine profluente apparet sine mora patienti in potu exhibetur, non sine manifesto juvamento.

VESICÆ BOVIS, omnibus Vesicæ morbis medentur.

Vesicam Suis, quæ terram non attigit, pubi impositam, urinam ciere dicit Plinius.

VESICA OVILLA vel CAPRINA cremata, & ex posca bibita, iis, qui urinam invitireddunt, benefacit.

VESICA CARPIONIS siccata & pulverisata, singulariter prodest parturientibus in ipso enixu adeò læsis, ut aquam continere possint, & urinam invitæ reddant.

Cum

Cum VESICIS nigris in pedibus subortis, Uvæ versæ, seu Aconiti salutiferi folia nigra cum baccis signaturam habẽt. Cum hac herba Phædro magneticè, ut & Par. celsus cum Persicaria, admiranda in deploratis ulceribus curandis se præstitisse affirmat.

VENTRICULUS Gallinæ interior scilicet membrana VENTRICULO malè affecto subvenit.

Zibetta Colicæ stercora expellit.

VENENOSI MORBI plerunque propriis Antidotis sanantur.

ACONITUM ut dictum est, medetur morsui Viperarum & Scorpionum.

ARANEUS mus qui morsum intulit dissectus si apponatur, ictus sui maleficia luit.

APUM ACULEOS fixos, Mel sanat.

BUFONIO Lapide in capite Bufonis reperto ejus morbi curantur.

BUFONIUS pulvis morsui venenato impositus Venenum attrahit.

A BUFONE permicti, Bufone sicco cum juvamento se demulcent.

CANIS RABIDI morsui ejusdem Canis primo pili imponuntur ab extra vulneri, siquidem venenum attrahunt, similiter exusti propinantur, deinde jecur Rabiosi tostũ, demorsum si comedit, liberat, & tuetur ne tẽtetur Aquæ metu, quo nomine etiam ejusdem Canis dentem exemptũ, & pelli cu-

læ inditum pro Amuleto, brachio annectunt.

Crocodili adeps ſuos morſus ſanat.

Murium morſus, Murium combuſtus pulvis ſanat.

A Muribus permicti, eorundem cinerem inſpergunt, antequam carnem exedat.

Os Cordis Cervi venenatæ Caudæ Cervinæ deguſtatæ ſuccurrit.

Serpentum Axungia etiam commendatur adverſus ſuos morſus.

Contra ictus Serpentum, Capita Serpentum trita, vel Exta illorum, præcipuè Fel impoſitum.

Scorpius ipſe, qui ictum vibravit, tritus, & percuſſo loco impoſitus, ſuæ plagæ Remedium eſt, ob cœcam quandam Naturarum Diſcordiam: Unde profectum malum, inde emanat Remedium.

Sic etiam Oleum Scorpionis adverſus ſuos ictus.

Sic aliquando geminata, commixtaq; contrariæ facultatis Venena, remedio ſunt non exitio: Fuerunt qui bubonem peſtiferum exciſum & exiccatum pulveriſarunt, & infectis exhibuerunt, non abſimili modo, ut Scorpionis oleum contra venenum Scorpionis adminiſtratur, atq; ſic Venenum ſibi congeneris Veneni exterminium molitur.

Quemadmodum ab Ovo frigore congelato per impoſitionem in aquam frigidiſſimam ad tempus, frigus inſtar glaciei extrahitur, & in integrum reſtituitur: ita etiam membra frigore vitiata ſanantur, per impoſitionem frigidæ aquæ Nivalis: ita frigus extrahit frigus.

Simili

Simili modo, membra ſupra modum incaleſcētia reſtaurantur, per appoſitionem Spiritus Vini rectificatiſſimi, (qui merus eſt Ignis vel Sulphuris Quinta Eſſentia) Sic calor vi magneticâ extrahit calorem.

Chiromantiæ cognitio quantoperè medico neceſſaria ſit, dictum eſt ſuperius: Nam ex Chiromanticis Lineis Remedia illi homini convenientia ſciri poſſunt.

Qui Lineam, Architectam in manu habet, ille obnoxius eſt Colicæ, & ex illa moritur: ideò Linea Architecta in Herbarum foliis, medicina in Colica eſt.

Ita etiam Linea Anchora eſt Linea Apoplexiæ: ideò Linea Anchora in Acoro eſt medicina Apoplectica.

SIGNATVRARVM CORRESPONDENTIÆ MAJORIS ET MINORIS MUNDI.

IN MUNDO.

Minori seu Microcosmo.	Maiori seu Macrocosmo.
Physiognomonia seu faciei forma.	Cœli Facies.
Chiromantia.	Mineralia.
Pulsus.	Motus Firmamenti.
Anhelitus.	Eurus, Zephyrus.
Febrium Horror.	Terræ motus.
Lienteria. Dysenteria. Diarrhœa.	Pluviæ.
Torsiones Colicæ.	Ventorum Tonitru.

quot enim Naturæ Ventorum in Mundo, tot species Colicæ in Homine.

Difficultas mejendi in Dolore Nephritico.	Corruscatio.
Apoplexia.	Ecclipsis, Conjunctio seu Fulmen.
Tabes, Phthisis seu Aridura microcosmi.	Siccitas.
Hydrops.	Inundatio, Diluvium.
Epilesia,	Tempestas.

Eadem Apoplexia qua Fulminis generatio, utrinsq; etiam operatione admiranda.

Quæ enim Generatio Tempestatis & Tonitru in mundo majo-

Tonitru demonstrat causam, materiam, originem Caduci.

majori: eadem etiam Epilepsiæ in minori: Et sicut Tempestas mutat & labefactat Animalem sensum & Intellectum, ut apparet in crocitatione Gallorum gallinaceorũ inusitatâ, insueto item cantu & clamore aliarũ avium & bestiarum, mordenti insuper muscarũ furore: ita etiam in Epilepticis.

In MACROCOSMO	In MICROCOSMO
1. Fit Mutatio aëris Tempestate instante.	1. Mutatio Rationis ingruente Epilepsiâ.
2. Nubila succedunt.	2. Oculi Tenebrosi, Somnus.
3. Ventus.	3. Colli & Ventris Inflatio.
4. Fractio & Tonitru.	4. Fractio Vesicæ & Concussio corporis.
5. Fulgetra & Corruscationes.	5. Ignei & lucentes oculi.
	6. Spuma.
6. Pluvia.	7. Spiritus coacti lacerantes artus in cute clausa.
7. Fulminis ictus.	
8. Serenum Tempus.	8. Reditus ad mentem & sermonem.
Postquam viæ lutosæ pluviâ madidæ sunt à Sole iterum exiccatæ.	Ubi scilicet Homo ad se redit & Sol Microcosmi, Rationem, Mentem & reliquas corporis functiones post requisitam quietem iterum in pristinum statum restituit.

Quot genera lignorum in mundo tot genera ossium in Homine.

Lapicidinæ, quæ sunt ossa magnæ matris. Ossa in Carne: Ut enim Terra lapidibus: ita corpus Ossibus munitum est, quæ auro assimilantur, utpote ejusdem Naturæ.

Omnium membrorum Hominis Forma reperitur in Vegetabilibus, Lapidibus, Animalibus & Mineralibus.

TERRA.	Caro.
Flumina magna.	Venæ magnæ.
MARE.	Vesica.
Septem Metalla in montibus vel septem Planetæ cœlestes.	Septem Membra principalia in Homine.

Et sicuti in Terra Flores stellarum colores: Ita Sydera in Cælo Terræ pratum ostendunt.

Homo cognoscitur ex Natura Animalis, cuius primum esse in se dominatur.

Nihil est in Mundo, cujus proprietas non etiam in Homine Microcosmo reperiatur. Deus enim Glorioſus nõ creavit aliquam Creaturam sapientiorem ac nobiliorem HOMINE, quia omnium Animalium mos ac Primum Esse in ipso reperitur, ac cum sit omnium Creaturarum Fasciculus, se ipsum ipse in omnis Carnis Faciem, in omnis Creaturæ Ingenium, instar Poetici alicujus PROTEI, effingit, fabricat, & transformat: Nam ut reconditioris Literaturæ scientissimus PICUS MIRANDULANUS asserit, Nascenti Homini, omnifaria semina, & omnigenæ vitæ germina indidit Pater Cœlestis, quæ quisq; excoluerit, illa adolescent, & fructus suos ferent in illo: si Vegetabilia, Planta fiet: si Sensualia, obbrutescet: si Rationalia, Celeste evadet Animal: si intellectualia, Angelus erit & DEI Filus: Et si nulla Creaturarum sorte contentus, in UNITATIS suæ Centrum se receperit, Unus cum DEO spiritus factus in solitaria Patris CALIGINE, qui est super omnia constitutus, omnibus antestabit: Et hanc conditionem, quam in Universi serie sortitus est Homo, meritò idem Picus, non brutis modo, sed Astris & Ultramundanis Mentibus invidiosam dicit. Homines autem Animales & Astrales de Arbore propriæ superbiæ comedẽtes, qui neglecto Patrimonio æterno, Astrorum mancipia in hoc mundo vivunt, & se à spiritu Astrorum (quibus Sapiens spiraculum vitæ agens, seu Deus potius in Sapiente dominatur) regi patiuntur, poterunt in se post excitationem (ut paulo post dicetur) observare parentũ suorum delitescentes mores. Nullus Homo tam pius & justus est, in quo non lateant occulta illa malignorum Astrorum semina, Sapientũ precibus quotidianis suffocanda & supprimenda, ne crescendo se manifestent, siquidem in Impiis, præservante Gratia Dei destitutis, facilè erumpunt: Ideò Propheta David conqueritur de publicata malitia Hominũ Belial, & Deo agit gratias, suã messem in Herba suffocari. CHRISTUS & Apostoli Astronomis fuerunt incogniti: Credentes enim seu Renati Astris non sunt subjecti, sed sunt Domini Firmamenti, & septem spirituum in Firmamento: Quo nomine FILIUS DEI suos Discipulos supernè REGENERATOS, post abjectionem & valedictionem omnium Astralium vocat LUMINA MUNDI, & SALES TERRÆ. Paracelsus dicit, quamprimum Homo in Ratione obbrutescit, æquum est, si secundũ illum spiritum Brutalem vivit, ut illius Bruti nomine nuncupetur: Qui verò se-

Vir sapiens dominatur Astris, præcipit, cogit, mandat.

Hos. 2. sect. 18. Hiob. 5. sect. 23.

Hinc illud vulgare, Aut sumus aut fuimus aut possumus esse quod hic est. Eccles. cap. 7. sect. 21. 2. Sam. cap. 23. sect. 6. & 7.

Homo hal et Patrem æternum, huic debet vivere, non Spiritui Animali: Deus erogauit ipsi Animale corpus nõ ut in illo viuat, sed saltem ad Tempus habitet.

ro secundum spiritum Humanum instar Hominis rationalis vivit, Hominis Nomine nominari debet, sic Salvator noster Herodem Vulpem vocat. *Luc. 13. sect. 32.*

SIGNATURAS suas sumpserunt Homines.

Animosi, audaces, fortes, & magnanimi: à Leonibus & Aquilis.

Amici Fidi: Delphinis, quorum Fidelis Amicitia erga Homines in historiis nota: Ita Constantis Amicitiæ signum in Porcis apparet, læso & grunniente uno, grunniunt accurrendo & suppetias ferendo, reliqui catervatim omnes: Diversum in Canibus videre est, si saxo impetitur unus, & dolorem ejulanti latratu significat, aufugiunt alii omnes. *Amicitia suâ.*

Amici Veri & Constantes: Hidera, quæ post mortem etiam arboribus adhæret suis radiculis, & germinibus inter folia emissis, illasq; etiam emortuas amplectitur.

Amici Fraudulenter Misericordiam Mentientes: Crocodilis, qui Lachrymis sub specie misericordiæ decipiunt.

Amici Corticarii ad Fortunæ motum se moventes: Avibus Æstivalibus, quæ æstate fortunante nobis adsunt, inclementia frigoris pulsæ recedunt.

Ambulantes Peripatetici: Cornice, quæ frequenter sola

Tici: sola secum sicca spatiatur arena.

Adulatores: à Felibus & Canibus caudâ abblandientibus: Hæc enim Animalia habent facilem consuetudinem cum Hominibus.

Adulateri: Sargo mirè salaci pisce qui è mari egressus alienas uxores leperit, fœdo caprarum amore mirè tenetur, sicut ab Oppiano describitur:

Invadit Sargos Caprarum mira cupido,
Qui madidissimas cupiunt tractare Capellas
Montanis gregibus, quamvis tot agamina Ponti. *Hiobab. 39. sect. 19.*

Ἄγριοι: Struthiocamelo.

Avari & Austeri: Corvis.

Casti & Coelibes. Monocerote. Ideò non sine mysteriosa significatione in Sanctissimæ Virginis Mariæ sinum caput inclinare à veneranda ac sapiente Antiquitate depingitur. *Vide Paracel. sum in suo Aroth.*

Crudeles & Impii: Leæna.

Damnum Sibiipsis Inferentes: Turdis cacâtibus sibi proprium malum, videlicet. viſci gluten, quo capiuntur postea.

Devoti: 1. Pullis Corvorum. *Psal. 147. sect. 9. Hiob. cap. 39. sect. 3.*

2. Alauda, quæ ante & post cibum volando versus cœli convexum Deum suis Hymnis suo etiam modo laudat. Sic etiam Elephantibus quadam Naturæ recondita Ratione

Religio & Veneratio syderum est.

Desperati:	ab Elephante.
Discipuli Dociles discendi facilitatem didicerunt:	Simia, Psittaco, Elephante.
Disciputi Indociles:	Ariete & Asinis.
Dissoluti & Vagabundi:	Apris.
Fatui:	Pecude.
Feroces & Sevi:	Tigridibus.
Fœcundæ Mulieres & Fertiles:	Lepore & Cuniculo, qui fœcundissimi duodecies in anno generant pariuntq;.
Fures:	Corvis & Sturnis.
Gementes:	Turture & Palumbis.
Horridi:	Struthiocamelo.
Immundi & Spurci:	Porcis.
Impudentes & Importuni:	Muscis, quę licet sæpius abactæ, continuò nihilominus redeunt.
Invida Maledicentia Mordaces:	Canibus.
Inobedientes & Rebelles:	Regulo.
Ingrati:	Cuculo.
Indomiti & Fastuosi:	Tauro.
Inimici Maledicentes:	Angue: nam hoc Animal nullo alio membro pollet quam ore.

Infensi omnibus:	ab Angvillis. Hæ ēnim seorsim ab aliis piscibus degunt, nec junctæ cum aliis inveniūntur. Ita etiam Noctuæ omnibus Avibus.
Iracundi:	Gallis Indicis, præ ira nimia intumescentibus.
Latrones:	Ursis.
Lachrymantes:	Vitibus depitatis.
Libidinosi:	Passeribs.
Liberales:	Gallis Gallinaceis, quos præcipuè excitandis in opera mortalibus rumpendoque somno Natura genuit.
Loqvaces:	Psittacis, Sturnis, Monedulis, Graculis & Picis, quæ in vocis imitatione singularem Naturam sortita est: Inde, Pica loquax, varios modulatur gutture voces, Scurrili strepitu, quicquid & audit, ait.
Luxuriosi & fortis amoris:	Cuniculis & Scaro, qui Mites inter pisces clamore tremendo Intonat, & solus pallentes ruminat herbas.
Lucifugi:	Noctuis & Vespertilionibus, quæ sunt nocturnæ aves.
Magnates Consortis Impatientes de Dominatu concertantes:	Tauris.
Matrimonii Laudabilis Mutuus Amor:	Palumbis, qui ex avibus castissimi sunt. Mas & Fœmina tanquam nuptiis alligati mutua consensio-

ne adeò ſtabili, certo connubio per ſummam caſtimoniam adhæreſcunt, ut neuter alienum cubile attingat: ſi impudico amore capti, ad alienam uxorem oculos adjecerint, eos reliqui circumſedentes diſcerpunt, & fœminæ fœminas, teſte Ælian o. Simili modo idē Autor narrat Columbas cum aliis uxores coire non pati, neq; conjugium jam inde à primo ortu initum deſerere, niſi cœlibes aut viduas: ab adulterio illæ caſtiſſimæ ſunt: nunquam enim ex ſocietate inter ſe inſtituta, neque mas niſi morte ipſa deſtituitur, neq; fœmina diſſociatur niſi vidua fuerit: in partu mas adeſt, & cultu omniq; officio fungitur: fœminam pigrius ad nidum euntem alis percutit mas, cogitq; intrare, quum peperit ova cogit ut incubet, incubantque ambo viciſſim, mas diu, noctu fœmina: ſi maritus obierit, fœmina cibo potuq; omni abſtinens longo tempore luget, & ſe diſperdit: Tantus eſt mutuus amor Columbarum, ut fœmina marem etiam non admittat, niſi antè oſculatus fuerit.

Mansveti: ab Agnis.
Malitiosi: Bubonibus.
Meticulosi & Timidi: Leporibus.
Melancholici & Sordidi: Upupa, quæ nigris maculis colorata, & ob id melancholicæ complexionis, deſertas quærit nemorum & invias plagas, ſpurciſſima avis, in ſepulchris commorans, & oleto nidum circumliniens.

Mundi: à Catis.
Muti: Piscibus. Ideò Pythagoræi, teſte Athenæo, à Piſcibus abſtinebant ἐχεμυθίας ἕνεκα.
Musici: Carduele & Philomela, quæ vocis modulatione mirificè delectant, & quibus inter Aves, nullæ ſuaviori cantu dulcius aures demulcent, & exhilareſcunt: Ex omnibus Avibus ſola Luscinia ſomni expers eſt, & dum ova gremio fovet inſomnem noctis laborem cantilenæ ſuavitate ſolatur.
Mulierrs Obstrepera, Lingvaces, & Loqvaces: Anseribus, & Anatibus, gregatim vociferantibus: Imò etiam à Cicadis aſſiduè adeò vocalibus, ut clamando diſrumpantur.
Nocui: Muribus.
Otiosi: Cicadis.
Obstinati & Lascivi: Vitulo.
Parasiti & Scurræ: Simiis, ad omnia imitanda habilibus.
Parricidæ: Hippopotamo, qui parricida ingratitudinem meritorum & injuſtitiam nuntiat.
Petulantes & Salaces: Hircis.
Philostorgi: Hirundine & Cygno.

Sunt enim pullorum maximè amantes: Hirundo non niſi quinq; pullos parit, in quibus educandis & paſcendis tàm Mas quàm Fœmina ſumma laborant æquitate, incipientes ab eo, qui maximus eſt natu, & ita in cæteris ortus rationem habentes.

PII erga PARENTES: à CICONIA & CUCUPHA, quæ aves ſunt piiſſimæ, & gratitudinis ſignacula: Solæ enim hæ parentibus ſenio confectis gratiam referunt.

PRUDENTES & Circumſpecti: SERPENTIBUS

PRÆDONES: LUCIO piſce, & ACCIPITRE. Inde Naſo:

Odimus Accipitrem, quia ſemper vivit in Armis.

RECALCITRANTES: MULIS.

RIDENTES: MÆO ave, riſum & cachinnum humanum ad miraculum imitante: Ejuſmodi aves duæ è Turcia Imperatori noſtro RUDOLPHO allatæ fuerunt, una per insciam curiam Hortulani avolavit, altera adhuc Pragæ in Horto ſuæ Majeſtatis cum aliis Exoticis volucribus aſſervatur.

Proverb. 2. ſect. 8. Item 30. ſect. 25.

SAPIENTES & PROVIDI: FORMICIS, & APIBUS, quæ norunt ſibi providere pro hyemis neceſſitate & tutas parare latebras. Mirum Formicam ſentire vices ſyderis, Interlunii tempore ceſſare, & in Plenilùnio noctibus operari dicitur.

SCIENTIA pleni & humiles: SPICIS, granis onuſtis, ſemper

les: per ſe demittentibus & inclinantibus.

SCIENTIA Inopes, & tamen videri volentes: à SPICIS, vacuis, ſponte ſe erigentibus. Item à Fœce & Spumâ in olla bullientis carnis ſemper ſuperficiem occupante. Eodem ſenſu Dolia vacua ſunt ſonora, Dolia plena nullum edunt ſonum.

SIMPLICES: COLUMBIS.

SOLERTES: PASTINACA Marina, quæ ex occulto in tranſeuntes radium figit.

SOMNOLENTI: HERINACEO & GLIRIBUS, qui totam hyemem ſic obdormiunt, ſic ſomno expirant, ut vix igne revocari queant: Diſſectus immobilis tanquam mortuus manet, donec coquatur, tùm primum in bullienti aquâ, diſſecta membra vitam oſtendunt. Hi fortè (ut nunc Ciconiarum & Hirundinum hyeme ſubmerſarum & verno tempore reviviſcentium ex Piſcatorum relatu Hiſtorias taceam) ſuas ſignaturas Hominibus in Ruſcia dederunt, qui hyemis frigore aſperrimo in ſylvis perire, & adventante æſtate reſurgere dicuntur: Porro Animantia illa, quę ſine cibo hyeme vivunt in cavernis, ex eorum ſubſtantia vivunt, ſicuti videmus in Arborib. perpetuâ coma virentibus, ubi ſuccus in cauſa eſt, qui ſuo lentore facit ut ſibi ipſi ſufficiat.

Fides penes Hiſtorico.

STOLIDI, PIGRI, PATIENTES: ASINIS.

Sup-

SUPPLICABUNDI:	à	CANIBUS.
SUPERBI:		CAPRIS, EQUIS, PAVONIBUS.
TRISTES & MELANCHOLICI:		NOCTVIS, quæ aves sunt Saturnales & solitariæ.
TRIUMPHANTES de Hostibus:		GALLIS GALLINACEIS, qui victi silent, canunt autem si vicerint, & superbo ingressu, spectatissimum illud Naturæ acceptum insigne, Cristam videlicet erigunt.
VERSUTI:		CHAMÆLEONTI, qui præ nimio metu colore mutato multiformis efficitur.
VERSIPELLES, DOLOSI & FRAUDULENTI HYPOCRITÆ:		VULPIBUS, POLIPO, & SEPIA, quæ suo astu non vacat: ubi enim piscantem sensêre seu præsentiam voraciorum piscium, effuso atramento, quod pro sanguine ipsis est, aquâ absconduntur.
VELOCES & AGILES:		CAPREOLO.
VORACES, INSATIABILES & RAPACES:		LUPIS pilos & ossa devorantibus.
VINDICTAM de se ipsis ob perpetrata scelera sumentes:		CAMELO, qui dum ignorans matrem suam init, postea id deprehẽdens, ipse sibi propriis dentibus genitalia abscindit tanquam vindicans in se incœstum.
UXORII, & ZELOTYPI:		GALLIS GALLINACEIS, qui

qui matre gallina extincta incubant, pullosqq; ex ovis excludunt, ac tunc silentio utuntur, quod sanè sib conscii sint, muliebre munus obire: Cẽrtant insuper quemadmodum & CERVI pro fœminis, seq; mutuis vulneribus, ut & mortis periculo conficiunt.

Et sic consequenter ex his reliqua suo marte quilibet coniiciat.

Ita plurimi MECHANICI suorum Artificiorum MODUM & SCIENTIAM didicerunt mirum;

ÆDIFICANDI artem:	à	COCHLEIS, HIRUNDINIBUS, & industriosissimis Apibus.
AUCUPICTORIAM Phrygiã Aulæorum parandorũ, versicolori textura spectabilium:	à	PRATIS VIRIDANTIBUS, variis colorum floribus pictis, eorundemq; inenarrabilẽ varietatem repræsentantibus.
COLONIAM docuerunt educere.		APES suis Examinibus. Item GRUES qui sui cõlum modi causa loca longinqua petunt, è Scythia ad Nilum se conferunt hybernatum.
EXCUBIARUM modum:	à	DAMIIS & GRUIBUS. GRUES clamosi sunt, quicquid sentiunt voce significant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes, qui laxatus somno decidens indiligentiam coarguat: Ducem eligunt, qui clamet, dum catervæ domiunt: dum volant in extremo agmine disi posito

positos vicissim habent, qui acclament, & gregem voce contineant, quum in terram descendunt, Dux multum clamat, ut omnes conveniant, & simul pascantur, quod si nimio clamore rauceſcet, alius substituetur. Quum peragrant, ob sensuum acrimoniam Trianguli formam efficiunt, ut aëra facilius adversum secent, deinde sensim ab utroque latere tanquam remis ita pennis cursum alarum levant: si sævit cœlum & ventus exoritur, non frontatim (at lunato globi situ volant, quum est tranquillum) sed in cuneum momento se traducunt: si ab Aquila se impeti prospiciant, in orbem cõsistunt, & falcatæ tanquam in aciem structæ pugnæ speciem ostendunt, quare Aquila regreditur: involatur ad tergum prævolantium colla admittentes (id quod etiam Cervi in tranandis fluminibus faciunt) laborem facilem efficiunt, & prima deficiens incipit esse postrema: quum consistunt, cæteræ dormiunt, Dux, quæ senserit, voce vigilans significat. Simili modo Anser nocturnas Excubias celebrat, & vigilias suas cantu assiduè testatur.

Fabricandorum Armorum scientiam: à Cancris, Crocodilis, & Testudinibus.

Glomerandi: Scarabæis, qui medicos etiam docuerunt pilulas volvere: Scarabæus totidem digitis vel pedibus nititur quot mensis diebus constat, in quibus Sol exoriens suos persequitur cursus: is Solis & Lunæ coitum apertè demonstrat, quandoquidem

dem ex bubulo stercore pilulam ab ortu ad occasum rotando versans, in orbis imaginem effingit: quam viginti octo diebus facto humi scrobiculo adobruens tantisper celat, dum Signiferum abiens Luna ad Intermenstruum revertens sileat apertoq; tum orbiculo coitus syderum denuncians novam prolem edit, nec aliam nascendi novit originem.

Lusum Pilæ Palmariæ: à Catis.

Monomachiam milites docuerunt: Galli Gallinacei, qui inter se dimicantes, pugnacissimi sunt, elati & in certaminibus pertinaces: Eis prærogatiuam quandam Natura largita est, quod soli inter aves tanquam galea cristam gerant, & in pedibus calcaria, pennas per colla cervicesq; diffusas, quasi jubas pugnaturi explicant: Cum limen intrant, tametsi supremum altissimum existat, tamen se inclinant, quod superbia efficit, ne crista uspiam offendatur: Quum in certamine Victores, tùm oculorum eminentiâ, tum superbâ & arduâ ceruice elatâ, tùm in sublime quoq; caudâ falcatâ erectâ, cantus contentione insolenter efferuntur, & Triumphanti Victor similis efficitur: Victus autẽ occultatur silens, ægreq; servitium patitur.

Natandi artem: ab Anseribus & Amphibiis Animalibus.

Nauticam: Scuris.

Nendi: Vermibus Serivomis.

URSI, quibus ad Oculorum hebetantium medelam aculei APUM loco scalpelli sanguinem elicere solent, & sic gravedinem illam levare.

Eodem modo caliginem Oculorum dum CAPRINUM pecus patitur, eam optimè curare scit: quum enim Conturbatum OCULUM & non probè affectum sentit, eum ad Rubi spinam & admovet, & reserandum permittit oculum: vt pupugit, Pituita statim evocatur, & nulla pupillæ læsione facta, videndi usum, testante Æliano, recuperat.

EQVI UNGARICI propriis DENTIBUS sibi naturali instinctu venas incidunt, & sanguinem gravantem emittunt.

ENEMATUM usum habemus ab IBICE quæ prima Clysteris usum commonstravit, quod consuetudinem habeat se purgandi, rostri aduncitate eam proluens partem, qua ciborum onera reddantur. Item ab ARDEA sibi suo rostro salsam Aquam Marinam loco Clysteris infundente.

VOMITIVORUM & CATHARTICORUM usum habemus.

1. A CANIBUS, qui esu graminis se malè affectos per superiora & inferiora purgant.

2. Laso Hiante (ave aquatica) qui adminiculo duarum angustarum arborum, prœli instar se cibo nimis repletum exonerat.

Item ab illo Animali voraci & nunquam non insatiabili quod quidam Latinè CROCUTAM, alii verò GULONEM BOOPHAGON, à suâ voracitate vocitant: illud cum pastu cadaveris

veris præter modum satiatum, ex cibo ingesto facultatis cõcoctricis calore potenti partem Nutrimenti nobilissimam exsuxit, inter angustias arborum sive rupium se se comprimens, fæces virtute omni & essentia utiliore spoliatas, tàm per anteriora, quàm per posteriora excludit, humore solummodo alimentario intra stomachum retento, unde postea absque omni cibo alio, longo tempore vitam miraculosè sustentat, viresq; corporis integras servat.

3. PALUMBI, GRACULI, PERDICES, MERULÆ Lauri foliis, ac sibi cognitis remediis annuum fastidium purgant: Lauri folio Corvi etiam Chamæleontis venenum expurgant.

4. Ita CERVÆ paulo ante partum purgant se quadam Herba SESELI.

DIGNOTIONEM PULSUS, SIMIÆ, hominem in arte Sphygmica longè superãtes, manifestarunt: ubi enim per tactum mortem deprehendit, vel morbum putridum, inusitato narium strepitu confestim eundem propalat.

JURISPERITI, Judiciorum consessum in CICONIIS viderunt, Adulteria Leonum instar morte vindicãtibus. Præter Guilhelmi Parisiensis relationem Historicam intellexi è Viri fide digni ὠπτείᾳ Ciconiam adulterio convictam per olfactum masculi, congregata à masculo multitudine Ciconiarum ac detegente ipso crimen fœmellæ, ipsam à tota illa multitudine, tanquam omnium judicio ream judicatam, deplumatam, ac prope urbem Spiram, in sylva discerptam fuisse: Miranda hæc, & opinioni fortè inimica videri possent,

sent, nisi fidem etiam facerent creditæ Antiquitatum Historiæ.

Philosophi Hermetici Adepti, modum Renovandi Juventutem didicerunt ab Halcyone, Aquila, Cancro, Serpentibus, &c. quotannis ferè depositis antiquis exuviis ætatem sum renovantibus ac juvenescentibus: Si enim hoc Brutis animalibus concessum esse videmus, quid ni Homini ad Imaginem Dei creato, & Intelligenti, possibile foret?

Sic quoque Elementa veteri abjecta palla & sorde sua exuta revirecunt lata quadam Iuventa: suis etiam Natura positis nitat latior exuviis.

Aquila abiectione pennarum Senectam deponit, & Juventutem recuperat.

Angues membranam Vernationis relinquunt, & alia renascitur, dumq; renovantur, Cervis etiam præstant, ut reneventur, & ad nostri corporis renovationem valent, ac senectutem retardant. Ostendit enim provida Natura, ut jam dictum, quamplurima esse Animantia (ut Serpentes & Lacerti, inter marina Locustæ, Gambari & Cancri) quæ vere & autumno senectam exuunt, annuamq; crustam deponunt, hominem admonendo, ut quam ipsa possident qualitatem eidem profuturam scilicet ad cutis decorticationem vel innovationem valere. Cervus siquidem sentiens se gravatum senectute, spiritu suo per nares, munifico Naturæ beneficio è cavernis Serpentes etiam renitentes & pedibus conculcando enectos vorat, ac superata Veneni pernitie illorum pabulo reparatur ac juvenescit.

Cancri ranarũ esu se renovant.

Gallinæ aranearum usu.

Aquilæ mediante testudine.

Serpentes pastu bufonum.

Cervi devoratis serpentibus. Naribus suis in serpentis cavernam incumbẽs vehementissimè respirando quasi amatorio quodam etiam invitum extrahit: sic Rubeta mustelã, & hæc mures attrahit.

Horum brutorum animalium Exemplis & Prudẽtia moti Homines & excitati, etiam propter utilitatem suam dictis animantibus multis modis festinationi moriendi obviantibus, suamq; vitam per industriam Naturalem prolongantibus insidiati sunt, ut scirent Vires Herbarum & Lapidum & Metallorum, ac aliarum rerum, quibus postea sua corpora rectificarent multis modis tanquam miraculosis.

Refert Rogerius Bacchon, olim quendam Sapientẽ serpentem quæsivisse, inventum in parva frusta secuisse, remanente nihilominus pelle vẽtris, supra quam reperet integra: ille serpens prout poterat repebat ad herbam quandam, cujus tactu sanabatur statim: & experimentator inde collegit, herbam admirandę virtutis, quia humana Ratio excitata per ejusmodi Exempla brutorum excogitare potest vias meliores, & omnem bestialem Prudentiam superare.

Serpentes linguam amissam & à vivis adusus magicos in Plenilunio erutam recuperãt, si dimissi urticam offendere possint.

Futuræ Resurrectionis & Transformationis nostræ, præter indubitatam Sacrarum literarum assertionem, habemus inter tot naturalia quotannis post hyemis sepulturam, verno Resurrectionis tempore se renovantia, etiam à Creatore certificatam adumbrationem, in duobus Exemplis manifestissimis, Formica scilicet & Bombyce, ut nunc taceam Halcyona è primis Entibus nutrientẽ se, & quotannis suam cutem & plumas post mortem renovantem: Muscas item, Hirundines, Vespertiliones post hyemis sepulturam in loco calido ac verno calore vitam recuperantes.

Halcyon & Ibis inter oẽs aves plurimũ in se habent rerum arcanarũ, quarum etiã essentia non recedit à suo domicilio. Rom. 8. sect. 81. 22.

Formica laboriosissimum animalculum illam toti etiam Naturę inditam habet promissionem, ut absoluto suo curriculo possit ad meliorem statum venire, & requiem habere

plenariam, ad quam omni conatu tendit: ideo inceſſantibus laboribus ad ſenium anhelat, ſiquidem in ſenectute mira & cõſideratione digniſſima metamorphoſi Natura ei in præteritorum laborũ ſolatium ac recompenſationem, Alas creat, & ex animalculo repente muſcam volantem facit.

Sic etiam videmus Bombycem (è ſemine perexiguo beneficio verni Solis excluſum) Vermem abjectum & deformem abſoluto functionis penſo emori, & poſt putredinem ſepoſitis prioribus Vermiculi repentis exuviis in vivacem & volantem transformari & reſurgere Papilionem.

Hæc animalium regeneratio, verius eſt Tranſplantatio, remanente radice, novo ſurculo inſerendus.

Nos brevitati hic ſtudentes Signaturæ ſtudioſis Rerum abdita, & in Naturæ receſſibus latitantia eruere Myſteria laborantibus, ſimilia inveſtiganda commendamus & proponimus, ſituti hoc noſtro tentare Exemplo, de cetero feliciori poterunt ſucceſſu, per totam Naturæ Latitudinem, & conſenſum concordantiamq; omnium magna cum jucunditate deprehenſam admirabuntur: Hîc digito tantum Arcanarum rerum curioſis Exploratoribus iter indicare, cui inſiſtere debeant nõ amicè ſolum, ſed & fideliſſimè voluimus.

Hezra lib. 4. cap. 5. ſect. 23.

Porro quæ Signatura ſit in Tritico primi noſtri Parentis, quæ myſteria Deiparæ Virginis, in Vitis inciſione artificiali: Aquilæ bicipitis & aliorum myſteriorum è Felice, ſi artificio ingenioſo excindãtur: & quæ ſint Gladioli, Tonitru Cunei, utriuſq; Victorialis Radicis multis loricis perplexæ & conſtellato Tempore collectæ, ut & Herbæ Cruciatæ, contra Armorum incidentium vim, ſigna magica Naturalia, ſolis ve-

lis veræ Magiæ alumnis & initiatis revelanda, innuiſſe hac vice ſatis ſit, ne fortè litigioſis Sophiſtis contemnendi materiam præbeamus, aut impiis Hominibus anſam demus malefica excogitandi, alioquin percupida mirabilium rerum diſcendi Ingenia pleniore demereremur obſequio. Ubi prius animadvertero, qua fronte hæc excipientur, poterunt me incitare ad ulteriorem evulgationem.

Primò, Curationum Magneticarum, Magicarum & Characteriſticarum:

Secundò, Quo debito Conſtellationis Tempore Medicinalium maxima pars colligi debeat.

Tertiò, de Incantamẽtis & Veneficiis maleficiatis dignoſcendis & curandis.

Quartò, δοκιμασίας multorum morborum Convaleſcentię aut Mortis prænuncias veriſſimas.

Sed ne nimium Crolli.

Nam jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoresq; cadunt altis de montibus umbræ.

Ergò laborioſa (Dei opt. Max. favore & auxilio) navigatione abſoluta, qui lembum hũc Philoſophicum ad portum direxiſti felicem, Hymnum meruiſti Noctis Quiete gaudentem. Tibi igitur Silentium Sacrum (in cujus ſolius indeficienti Lumine Veritatem videmus indubitatam) Tibi, inquam ſedenti ſuper Thronum, cujus magnitudo Effluentis Miſericordiæ eſt incomprehenſibilis, unà cum Agno Immaculato ſit Laus, Gratiarum actio & Benedictio per in-

finita sæculorum sæcula. Tua ineffabili CHARITATIS Clementia efficias obsecro, ut omnium, te in Novitate vitæ per quotidianam mortificationem ac plenariam sui abnegationem, cordialiter summoq; studio Timere, tuaq; mandata, mediante Gratia Tua, juxta amorem Proximi in hac Carnis infirmitate Religiosè observare Laborantium (siquidem in hoc maligno mundo hic Verissimus DEI Cultus est) Oratio & Actio semper in Divinæ Voluntatis tuæ beneplacito consistat, donec tandem mortalibus rebus superatis & dimissis unâ cum Beatorum cœtu ad summum BONUM Principium & Fontem omnium scandere possimus, eiusq; cognitione & fruitione æterna gaudere Beatitudine, AMEN.

Eccl.12.sect.13. Act.10.sect.34. Ezech. 18.à. sect.5.ad 10. Mich.6 sect.8. Hiob.1.sect.1. Zach.8.sect.16. 17. Syrac.1.sect.1°. cap.10.sect.25.

CO-

COROLLARIUM.

ANtiquissimi sapientes, quos Græco sermone Philosophos appellamus, si quæ vel Naturæ vel Artis reperissent Arcana, ne in pravorum notitiam devenirent, variis modis atq; figuris occultabant: Eodem modo Philosophi Hermetici certis notis Hieroglyphicis solebant insignire Planetas Terrestres, quibus eorum latentes virtutes intuendas, quasi ob oculos intelligentibus & inspicientibus filiis artis exponerent: Ut *autem ejusmodi signa ab interitu vel sepultura vindicarentur, operæ pretium me facturum arbitratus sum, si cum aliorum Mineralium Characteribus ad Profanum ac indignum Vulgus ab hoc studio arcendum à Providenti Antiquitate excogitatis, in gratiam discipulorum Hermeticorum, nunc Reipub. Chymicæ una opera à me communicentur.*

Vide Monadem Hieroglyphicam Ioānis Dee Londinensis.

NOTÆ METALLORUM.

Saturnus	Plumbum	♄
Jupiter	Stannum	♃
Mars	Ferrum	♂
Sol	Aurum	☉
Venus	Æs, Cuprum,	♀

Mercurius Argentum vivum

Luna Argentum

NOTÆ MINERALIUM ET ALIARUM RERUM CHYMICARUM.

Antimonium

Arsenicum

Auripigmentum

Alumen

Aurichalcum

Atramentum

Acetum

Acetum destillatum

Amalgama

Aqua vitæ

Aqua Fortis seu Aqua separatoria

Aqua Regis seu aqua Stygia

Alembicus

Borax

Crocus Martis

Cinnabaris, usitur

Cera

Crocus Veneris, seu æs ustum

Cineres

Cineres clavellati

Calx

Caput mortuum

Gummi

Lateres cribrati seu Tegularum farina.

Lutum Sapientiæ.

Marcasita

Mercurius subliatus

Mercurius Saturni

Mariæ Balneum

Magnes

Oleum

Purificare

Realgar

Salpetræ

Sal commune

Sal gemmæ

Sal Armoniacum

Sal Alcali

Sulphur 

Sulphur Philoſophorum

Sulphur nigrum

Sapo

Spiritus

Spiritus Vini

Sublimare 

Stratum ſuper ſtratum

Tartarus 

Tutia

Talcum

Tigillum

Vitriolum

Vitrum

Urina.

QVATUOR ELEMENTORUM NOTÆ.

Ignis

Aer

Aqua 

Terra

Dies

Nox.

FINIS.

INDEX

INDEX GEMINUS
IN LIB. DE SIGNATURIS.

PRIOR
BREVI SYNOPSI TOTIUS OPUSCULI SERIEM ORDINE *exhibens.*

SIgnaturæ Plantarum, hamana membra ſimilitudine repræſentantium pag. 17
Capitis ibid.
Capillorum 18
Aurium ibid.
Oculorum 19
Naſi ibid.
Gingivarum ibid.
Dentium 20
Gutturis ibid.
Jecoris 21
Cordis ibid.
Pulmonis ibid.
Mamillarum ibid.
Fellis ibid.
Lienis ibid.
Ventriculi 22
Umbilici ibid.
Inteſtinorum ibid.
Veſicæ ibid.
Pudendi ibid.
Teſtium ſeu Genitalium 23
Matricis & Uteri 25
Renum 26
Secundinæ ibid.
Spinæ Dorſi ibid.
Tibiarum & Oſſium ibid.
Nervorum & Venarum ibid.
Pororum cutis ibid.
Manus 27
SIgnaturæ Morborum.
Apoplexiæ ibid.
Calculi ibid.
Cancri 28
Colicæ ibid.
Cicatricum ibid.
Dyſenteriæ 29
Eryſipelatis ibid.
Epilepſiæ ibid.
Excreſcentiæ 30
Exanthematum ibid.
Fiſtula ibid.
Fœtus in Utero ibid.
Fœtus Utero adnati 31

Fascini 31
Herniæ & Rupturæ ibid.
Hæmorrhagia 32
Hæmorrhoidum ibid.
Hydropis 33
Ictericiæ ibid.
Lentiginum 34
Lepræ ibid.
Lumbricorum 35
Menstruorum rubeorum ibid.
Membrorum tabidorum ibid.
Macularum ibid.
Nodorum in carne ibid.
Prunellæ ibid.
Punctura lateris 36
Phantasmatum ibid.
Panaricii 37
Pestis ibid.
Seminis profluvii, seu Gonorrhœæ 38
Scrofulæ ibid.
Squinanthiæ ibid.
Scabiei corporis & pedum ibid.
Squamarum cutis 39
Squamosorum pedum ibid.
Spasmi ibid.
Strumarum ibid.
Sugillationum 40
Tartari ventriculi 41
Urinæ retentæ ibid.
Veneni ibid.
Verrucarum 42
Vulnerum ibid.
MEDICAMENTA à similitudine juvantia 43
VENENOSOS morbos plerunq; propriis antidotis sanari 49
CHIROMANTIA medico maximè necessaria 51
SIGNATURARUM correspondentiæ majoris & minoris Mundi 52
SIGNATURAS suas à quibus animalibus sumpserint homines 56
MECHANICOS plurimos suorum artificiorum modum & scientiam didicisse 65
MEDICOS & CHIRURGOS multa morborum remedia, & rerum virtutes à brutis edoctos esse 68
iidem Vomitivorum & catharticorum usum à quib. animalib. acceperint 70
JURISPERITOS in Ciconiis vidisse Judiciorum confessum 71
PHILOSOPHI HERMETICI ADEPTI, à quibus animalibus modum renovandi juventutem didicerint 72
RESURRECTIONIS & TRANSFORMATIONIS nostræ exempla insignia in Formica & Bombyce 73
Conclusio operis 74
ubi alii Tractatus IV. ab auctore promissi 75

COROLLARIUM de Characteribus Hermeticis 77
Notæ Metallorum ibid.
Mineralium & aliarum rerum Chymicarum 78
Quatuor Elementorum 80

INDEX

INDEX ALTER IN LIB. DE SIGNATURIS, EA DILIGENTER COMPLECTENS QUÆCUNQUE IBI ORDINE alphabetico non traduntur.

A.

ACCIPITER 62 herbâ oculorum hebetudinem pellit 19
aconiti vires 43.49
aconitum salutiferum, & ejus vires 49 oleum ex ejus granis 19
acorus 51
acorus palustris, & eius usus 29
acori lutei radix, & eius vires 29
adiantum, & eius usus 18
Adr. Iunii lib. de phallo 24
ætites lapis, & eius virtus 30
agaricum, & eius usus 17.30
agni 60
alaudæ hymni 57
alcis usus in epilepsia 44
alkekengi, & eius usus 22.28
alleluyæ folia 21
allium 35
alopeciæ curatio 18
amatoriis inservientia 22.25
amphibia 67
amuletæ 29.30 40.50
anagallis mas, eiusq; virtus 32
anates 61
anchusæ arvensis radix, eiusq; usus 34
anchusa tinctorum Cordi 33
anemone, & eius usus 19
angiuæ faucium medela 47
anguilla in colica pestis 28
anguilla 59
anguis 58
angues se renovant 72 & adm. vide & Serpens
anhelitus signatura in macrocosmo 52
anima halecis 41.48
animalia quæ se extendunt & contrahunt 31
quæ sine cibo hieme vivunt 63
anseris excubiæ 66
anseres 61.67
anserini calami medulla 41
anthemis, & eius usus 19
anthracis signatura & curatio 38
anthoræ radix 21
anthos rosarum, eiusq; usus 34
antirrhinum, & eius semen & vires 37
apoplexiæ signatura in macrocosmo 52
remedia 27.51
apostematum in faucibus medela 47
apri 58
apum examina 65
providentiæ 62
structuræ 65
aculeos quid sanxit 49
aquila se renovat 72. & adm.
aquilæ 56
araneus mus morsui suo medetur ipse 49

araneis textoriæ & venatoriæ inventio tribuitur 68
arbores perpetuo virentes 63
arborum excrescentiæ 30
arbuta, & illorum decoctum 38
archangelica, & eius vires 37
ardea clysteretutitur 70
argemone, & eius usus 19
aries 58
arisarum 35
aristolochia longa, & eius usus 25
aron 22.23.35. eius radix 31
aron minus, eisque usus 33
arsenicum 43
artemisia rubra, eiusque vires 35
artes & artificia quæ à brutis didicimus 65. 66 &c.
asari folia 18
florum conserva 18
ascyrtum 42
asini 58.63
asplenum 21
asteris Attici flos, & eius usus 19
astra subiecta sapienti 55
astrorum malignorum semina latent in omni homine 55
astronomi ignoraverunt Christum & Apostolos 55
auditus amissus quo recuperetur 18.19
auditum confortans 18
aves æstivales 56
aurium signatura 18

B.

Beloculus lapis, & eius usus 19
betonica 42
betulæ cortex eiusque usus 25.34
bilis flavæ expurgatio 45
bistorta, eiusque vires 41
boletus cervinus, eiusque vires 24.43
bombicis transformatio 74
bombyces 67
brunellæ flores, & eorum usus 36
brutis innata ars medicinalis 68
bryoniæ radix, eiusque extractum 33
bubo pestiferus in peste pro remedio exhibitus 50
bubones 60
bufonis usus in peste 37
bufone permicti iuvantur bufone sicco 49
bufonius pulvis 49
bufonii lapidis vires 49

C.

Caepæ 28
calamus aromaticus 22
calculus hominis 27
calculi remedia 22.27.28.45.47
color calorum extrahit 50
caltha, & eius usus 19
camelus incestum in se vindicans 64
cancer cancrum interficit 43
cancri remedia 28
cancri 66. ut se renovent 72. ad m.
cancrorum fluviatilium cinis 43
canis rabidi morsus cura ex ipso cane 49
canes 57.58.64. ut se purgant 70
capillares plantæ 18
capillorum signatura 18
capillorum hominis succus 43
capillos densos, crispos & pulcriores reddens 18
dentes identes restituentia 18
prolongans 43
capitis signaturæ 17
capiti affecto utilia 17
capræ ut oculos male affectos curent 70
capreæ sylvestres ut vomicas suas curent 69

capre

capreolus 64
capri 64
carbunculi signatura 38
carcinomata leniens 43
cardia æsolia 21
cardiaci morbi medela 45.44
carduelis 71
Carduus benedictus, & eius decoctum 36
carduus Mariæ, & eius decoctum 36
carnis signatura in macrocosmo 54
carpionis lapis, & eius usus 27
cassia fistula 22
cassutha, eiusque decoctum 41
castoris solertia 68
cathartico rum usus à brutis 70.71
cati 61.67
cauda lupina, herba, eiusq; decoctum 33
caudæ cervinæ degustatæ remedium 50
centaureæ 34
cerasorum nuclei 28
cerasinum gummi 48
cervicariæ 20
cerebri signaturæ, & eius membranarum 17
cerebri suilli usus 44
cerebro conducentia 17
ceruæ se ipsas purgant 71
cervi natura luxuriosa 46
cervi 66. percussi dictamno se curant 6
iidem ut se renovent 72. & ad m. rum 6
zelotypia 2
ceteracb 3
chalcanthum & eius combusti usus 64
chamaleo 64
characterum Hermeticorum notæ 77.&c.
chelidoniæ, & eius vires 33. eius usus ab hirundinibus ostensus 69
chelidonium minus, eiusq; vires 38.40
chiromantia medico maximè necessaria 51
chiromantiæ signatura in macrocosmo 52
chiromanticæ figura in plantagine 26
chirurgi multæ à brutis didicere 68.&c.
Christus & Apostoli cur astronomis fuere incogniti 55
cicadæ 61.
cicatricibus conducentia 28
cicer 23
cichorii pistillum, & eius decoctum 23
ciconiæ pietas 62
ciconiæ adulteræ à reliquis damnatæ historia 71
ciconiæ vere revivi scentes 63
ciconiarum essentia quinta 48
citrium 21
clavum pedi infixum eximere monstrarunt cervi 69
clysterum origo 70
cochleæ auritæ, & de iis oleum 18 19
cochleæ usus in peste 37
cochlearum domus 65
coitum inhibens 24
stimulans ibid.
colchotar vitrioli, & eius usus 29
colicæ tot species, quot naturæ ventorum 52
colicæ remedia 28.44.48.49.51
colicæ torsionum signatura in macrocosmo 52
colis glandis signaturæ 23
colubrina eiusque vires 41.69
columbæ 63. earum mutuus amor 60
colutea 22
conceptionem iuvans 46
conservæ de floribus asari 18
consolidæ vis 69
consolida regalis, & eius florum usus 36
convolvulus, & eius decoctum 28

cor in cardiaca & syncope corroborans 44
cordis signatura 21
cordis rigentis pharmacum 44
cordis motacillæ usus 44
cordi conducentia 21
corallium 32
cornix 57
coroneolus lapis, eiusq; vires 32
corvi 57.58 quo chamæleontis venenum expurgent 71
corvorum pulli 57
cranii signatura 17
usus in epilepsia 44
credentes sunt domini firmamenti 55
crista gallorum 64.67
crocodili adeps suos morsus sanat 50
crocodili 66
crocodilorum lachrymæ 56
crocutæ voracitas, utq; seipsam purget 70.71
crocus 33
crocus Martis & eius oleum 39
cruciata 42 eius signa magica 74
crux in craniis epilepticorum vel strangulatorum, eiusq; usus 29
crux semini rutæ impressa, & baccis iuniperinis 37
crystallus 27
cuculus 58
cucumeris sylvestris succi usus 44
cucupha avis pijßima 62
culmorum nodi & eorum usus 42
cuniculi 59
cuniculi fœcunditas 58
curcumæ radix, & eius usus 34
cuscutæ, eiusq; decoctum 41
ciclamini bulbus, eiusque vires folia & radix 22
cygni 61
cydoniæ malæ 21
cydoniorum lanugo, & eius decoctum 18
cynosorchidis flores, & eorum vires 24

D.

Dactiletus, & eius vires 28
dæmonem quæ herbæ fugent 37
damæ 65 earum pinguedo 48
delphinorum fides erga homines 56
dentariæ 33 eius radix 20
dentes firmans 20
dentium signatura 20
dolorem sistentia 20
diarrhœæ signatura in macrocosmo 52
dictamni vires à cervis monstratæ 68.69
discipuli Christi regenerati 55
dolia vacua sonora, plena contrà 63
dracontium 35
dracontium maius, eiusq; decoctum 41
dracontii species 23
dracunculus maior, & eius usus 24
dracunculus minor, & eius vires 41
dysenteriæ remedia 29.44
signatura in macrocosmo 52
dysuriæ signatura in macrocosmo 52

E.

Echii usus 45
elaterii usus 44
elementorum quatuor nota Hermetica 78
elephas 31. 58
elephantum religio 57
enematum origo 70
enterocelæ conducentia 31
epilepsiæ remedia 17.18.29.30.44
epilepsiæ signatura in macrocosmo tempestas & tonitru, eaq; inter se collata 52.53
epilepticorum in craniis ossiculum 29

equi 64
equi Vngarici sibi ipsis venam incidunt 70
equisetum 26
erinacei per hyemem dormiunt 63
erysipelatis remedia 29
euphrasiæ flores, & eorum usus 19
exanthemata quæ expellant 30
excrementorum signatura 29
excrescentia arborum 30
excrescentiæ artuum remedia ibid.
extractum de mentastro aquatico 19
radicis bryoniæ 33

F.

Fabæ 23. cur à Pythagora damnatæ 23
earum farina ibid.
faciei maculæ quo abstergantur 34
fœcis natura 63
fascini signatura 31
faucium anginæ & apostematis medentia 47
febrium horroris signatura in macrocosmo 52
feles 27. monstrarunt Valerianæ usum 69
fellis expurgandi pharmacum 21
fellis signatura 21
ferch 48 ad m.
ficus folia, & eorum vires 27
ficuum usus in strumis 40
ficuum ani remedia 30.40
fili linei, quo serpens suffocatus est, usus 47
filicis mysteria 26
filicis semina, & eius decoctum 74
fistularum cura 30
flores in terra ostendunt stellarum colores 54
fœniculi vis 69
fœtus in utero signatura 25.31
fœtus adnati medicamen 31
fœtui feliciter enitendo quid faciat 45
folia herbarum manus 26
formicæ providentia 62
in senectute transformatio 73.74
fraga & earum usus in lepra 34
fraxini folia, & oleum ex eius ligno 31
frigus extrahit frigus 50
frigore congelatorum membrorum cura 50
fuga dæmonum, herba, curque ita vocetur 37
fungus betulinus & quercinus, eorumque usus 20
fungorum sambucinorum aqua 33
fungorum Somensium usus. 45

G

Galanga, & eius vires 22
galli gallinacei 59.64
galli Indiei 59
gallorum pugnæ 67
zelotypia 64.65
gallinæ matrix 46
gallinæ ut se renovent 72. ad m.
gamandræa, & eius virtus 38
gargarismi 20
galeopsis, eiusque decoctum 38
genitalium signaturæ 23.24.25
gentianella 42
geranium, eiusq; pulvis 26
geranium sanguinarium, eiusque vires 32
gingivarum signatura 19
gingivarum vitia curans 20
gladiolus & eius vires 39.40.45. signaq; magica 74
glans 23
glirium somnolentia 63

globos plumbeos extrahens 45
gluten ex uberibus vaccinis 46
graculi 59 seipsos purgant 71
gratia Dei, & eius pulvis 26
gruum excubiæ, dux & ordo 65.66
migrationes 65
gonorrhœæ signatura & medicamen 38
gulonis voracitas, & ut se hoc animal purget 70.71
gummi de ceraso usus 48
guttæ signatura 27
gutturis signaturæ 20

H.

Hæmatites 32
hæmorrhagiam sistentia 32.47
hæmorrhoidum medicamina 31.33.45
halcyo 72 plurimum in se habet arcani ad m. eius renovatio 73
halecis anima, & eius vires 41
halicacabum, & eius usus 22
hedera 56
hepar, vide iecur.
hepatica 20
herba Paris v. P.
herba quædam pilosa, & eius decoctum 18
herbarum manus sunt folia 26
herbarum lanuginosarum usus 32
herbarum, quæ per saxa enascuntur, usus 31 v. & planta
Hermetici Philosophi v. P.
hermodactylus exoticus officinarum 28
herniæ remedia 31.32
herniaria 31
Herodes vulpes 56
hieracium & eius usus 19
hieracii caulis, & de eo decoctum 23
Hippopotamus parricida 61 ut se gravatum satietate curet 69
hippoglossum, eiusque alterum folium mirabile 36
hircus animalium luxuriosiss. 24
hirci 61
hirudo spinosa, & eius oleum 32
hirundinaria minor, eiusq; usus 35
hirundines quo pullorum oculis medentur 69
vere revivisc unt 63.73
hirundinum amor in prolem 62
aqua antiepileptica 44
nidi 65
homo omnium creaturarum fasciculus 54
varia ac multiformis & desultoriæ naturæ animal 54
non debet vivere spiritui animali 53.55
brutalis, & rationalis 55.56
hominis creati nobilitas & præstantia 54.55
homines unde suas signaturas desumserunt 56. &c.
humores serosi quo expurgentur 44
hyoscyamus & eius seminis siliquæ, & oleum 20
decoctum de radice ibid.
hypericon unde nominatum 36. eius miræ vires contra dæmones & spectra 36.37
hyperici folia & flores, eorumque vires 26.42
hydrophobiæ medela 45
hydropiper, & eius vires 42
hydropis remedia 33
signatura in macrocosmo 52

I.

IBis avis clysteris usum monstravit 70
plurimum in se habet arcani 73 ad m.
icteritiæ remedia 33.34
iecoraria fontibus adhærens 26

iecoris affectus & scirrhos curans 20
signatura 20
iecori conducentia 20
iecoris lapidei usus 44
incantationes contra quid valeat 37
infantum adultorum cura 31
imaleficentium nimis membrorum restauratio 51
intestinorum signatura 22
intestinorum tormenta colicæ sedans 48. v. & Colica.
iridis radix strumosa 40
ischiadis remedium 26
iuglandes, & in iis capitis signatura integra 17
iuglandium usus 17.21
iuncus aquaticus, & exinde sal 30
iuniperi baccis innata crux 37
iurisperitos in ciconiis vidisse iudiciorum consessum 71
iuventutem recuperantia animalia 72
iuventutis restitutio 46.47

L.

Lacertæ vis 58
lachryma Jobi, & ejus usus 28
lanuginosarum plantarum vires 32
lapicidinæ, ossa magnæ matris 34
lapis beloculus v. B.
carpionis 27
citrinus 27
in felle bovis 34
Judaicus 27
lyncis 27
sabulosus, ejusque vires 26
larus se ipsum ut purget 70
laterum punctiuras sanantia 36
lauri folii vires 71
leæna 57
lentes, & decoctum illarum 30.40
lentiginum medicamina 34
leones 56
leontopetali radix, & vires eius 25
leporis pes, v. P.
leporis poples, ejusque usus 39
lepores 60. eorum fœcunditas 58
leprosis conducentia 34
libidinem excitantia 23.24
lichen 20
lineis signatura 21
lienosorum medicamen 22
lienteriæ signatura in macrocosmo 52
lilii convallis flos, & eius usus 27
limaces, & in iis ossiculi usus 39
lima anchora 51
architecta ibid.
lingua cervina 21
linguæ hircinæ semen, eiusq; usus 45
lithospermon & eius vires 27
locustæ marinæ serenovant 72
lotium, vide urina.
lucius piscis 62. eius maxilla vel crux eiusque usus 36
Lullius expertiss. philosophus 37
lumbrici vivi usus in panaricio 46
lumbrici lumbricis medentur 45
lumbricos expellentia 35
lumina mundi, discipuli Christi regenerati 55
lunaria, eiusque vires 28
lupi morbi cura 46
lupi excrementorum usus 48
lupi stomachi corium 47
lupi 64
lupinæ cauda v. C.
lupinæ carnis & adipis usus 46
lupini intestini cingulum 48
lupinus, & eius decoctum 22.23
luscinia somni expers 61

luxuriæ sedes 22
lyncis urina & lapis, eorumq; vires 27

M.

Macis maculas corporis abstergentia 35.40
maculosarum plantarum virtus 35
mæus avis cachinnans 62
maleficiatorum ex incarnatione remedium 23
mala cydonia v. C.
mala persica v. P.
malicorium 25
malum granatum seu Punicum 25. acini, & eorum decoctum 20
malum unde profectum, inde remedium emanat 50
mammarum fissuris quid medeatur 46
mammillarum malè affectarum remedium 21
mammillarum signatura 21
manuum figura in plantis 26
signaturæ 27
mariscas medicantia 30.40
matricis fluorem exiccans 46
matricis purgamen 25
signatura 25
matricis gallinæ usus 46
mechanici multorum artificiorum scientiam & modum didicere à brutis 65.&c.
medici multa à brutis edocti 68.&c.
medicamenta à similitudine iuvantia 43 &c.
medulla in calamo anserino, eiusq; usus 44
medullæ rubræ in lapicidinis usus 44
melissophylli folia 21
mellis vires 49
membrorum frigore vitiatorum, & defluentium nimis restauratio 50.51
membrorum septem principalium signaturæ 54
membrorum singulorum in plantis signaturæ 17.&c.
membrorum rabidorum medela 35
memoriæ amissæ remedium 44
memoriam confortans 17
meningum cerebri signatura 17
menses sistens 35
menstrui cura 40
mentastrum aquaticum, & eius extractum 19
mentulæ signatura 23
Mercurius terrestris 42
mercurialis, eiusque decoctum 35
merulæ seipsas purgant 71
mespilorum nuclei 28
metallorum nota Hermetica 77
metus metu discutitur 45
mechoacæ radix 33
milium solis, & eius vires 27
millefolium 42
mineralium nota Hermetica 78
molucca folia 21
monedulæ 59
monocerotis mystica pictura 57
morborum signaturæ 27.28 &c.
mori fructus, succus & folia 38.46
motacillæ cor v.C.
muli 62
mundi maioris & minoris signaturarum correspondentia 52
mus araneus sanat morsum à se illatum 49
mures 61
murium morsus vel pernicionem ut ipsi sanent 50
murmentis plaustrorum structura inventio accepta ferenda 68

muscus arborum oblongus, & eius decoctum 18
muscæ vere reviviscunt 73
muscarum impudentia 58
mustela mures attrahit 72.ad m.
myrobalanum 20

N.

Nardus 21
narium sanguis profluens ut sistatur 20.47
nasi signatura 19
narium signatura 33
naturarum cœca discordia 50
nervorum signatura 26
noctuæ 59..ibid.64
nodi in culmis, & eorum usus 42
nodorum cutis remedia 35.47
nucistarum pulvis 38
nuclei ceraforum, persicorum, mespilorum 28
nymphæa, eiusq; vires 26

O.

Obsessi non ferre possunt hypericon 37
obsessis quæ prosint 37
oculi bovis humor crystallinus destillatus 46
oculorum affectorum remedia 19.46
oculorum caliginem ut curent capræ ursi 70. ibid.
oculorum signaturæ 19
oculos male affectos ut curet serpens 69
odoratus amissi remedium 19
oleæ 28
oleum de cochleis auritis 18.19
de croco Martis 39
de granis herbæ Paridis 19
de hyoscyamo 20
oloris pelles 47
ononidis fructus & siliquæ 28
ophioglossum 41
ophioscorodon ibid.
orchides, & in iis testiculorum diversæ vires 23.24
ossa de corde cervi essentia & vires 44. 40
ossiculi in craniis epilepticorum vel strangulatorum usus 29
oss sana, eiusque vires 26
ossium in homine tot genera, quot lignorum 54.ad m.
ossium signatura 26.54
ovum congelatum frigida restituitur 40
oxyacanthæ cutis interior flava 34
oxylapathi semen, eiusque decoctum 29

P.

Paeoniæ floris folliculus conclusus 17
paeoniæ granæ, eorumq; usus 17.29
palmæ Christi 27
palumbes 58
ut seipsos purgant 71
palumbium castitas 59.60
panaricii curæ 37.46
papaver, & eius decoctum 17
Paridis herba, eiusque grana, & oleum inde 19
partui feliciter enitendo quid faciat 30
parturientibus læsis, ut aquam continere neque ant. medens 48
pastinaca marina 6.
passer in caduco pestis 30
passeres 59
pavonis pennarum specula, & eorum usus 21
pavones 6.

pecus 58
pediculi 34
penis cervi vel tauri usus 46
penis inflammati cura 23
penis languor quo tollatur 46
perdices seipsas purgant 71
perdicis cor de pulvis 43
perfoliata 31
pericranii signatura 17
vulnerum cura ibid.
perniunculos leniens 43
persicaria 35
eius commendatio 42
folium 40
persici florum & foliorum & nucleorum usus 28 33
persica mala 33
pes leporis, herba, & eius decoctum 33
pedum figura in plantagine 26
anserinorum usus 46
hydropicorum signatura 33
refrigeratorum curatio 46
pestem prænunciant linguæ ranarum maculatæ 37
pestis remedia 37.38.50
phallus 24
phantasmatum pellentia 36.37
pica loquax 59
piceæ coni & ex eis decoctum 38
Pici Mirandulani laus 54
pilæ lusus à catis 67
pilæ à scarabæo conglomeratæ usus 45
pilorum profluvio succurrens 18
pilulæ scarabæorum 66.67
pinei nuclei 20
pinifolia & eorum decoctum 20
fructus, & nucleorum usus 23
pira 20 conducunt iecori ibid.
pisa 25
pisces muti 61
pistachiorum usus 23
philomela 61
philosophi Hermetici adepti à quibus animantibus inventutem didicerunt 72. 73. eorum nota occultæ 77
phreneticorum medela 44
phthiseos signatura in macrocosmo 52
phyllitis vulgaris 21
physiognomoniæ signatura in macrocosmo 52
plantæ foliis perforatis ad vulnera valent 42
plantarum maculosarum instar viperarum vel exuvii serpentis vires 41. vide & herbæ
plantago, herba chiromantica 26
pleuresis curæ 36
podici innascentium veluti fructuum mori cura 46
polypodium, eiusq; decoctum 39
polypus 64
polytrichon, & eius usus 18
poma foliis quercinis adnascentia, & ex iis liquor 31
populi arboris oculi, & eorum usus 33
porci 58. v. & sues.
pororum cutis signatura 26
porerum obstructionem tollens ibid.
porrum 24
portulacæ 26
potentillæ flos & eius usus 19
prata varia 65
prunellam medicantia 35 36
pseudohermodactylus Matthioli & Italorum 24. ad m.
psittaci 58.59
pudendi signaturæ 22.23. eorum inflammationem iuvantia 23.24
puerperis opitulans 25
pulmonariæ, deq; iis decoctum 21
pulmonis signatura ibid.
pulmonis vulpis usus 46
pulmonum affectibus conducentia 21 46
pulsus signatura in macrocosmo 52
pulsuum dignotio à simiis 71
punctiones lateris sanantia 36
punctionum in corpore remedium 36
pupillæ signaturæ 19
pyrola, & eius usus 20
Pythagoras cur damnarit fabas 23
Pythagorei cur à piscibus abstinebant 61

Q.

Quercinus viscus 29
quercinis in foliis poma, & eorum liquor 31

R.

Ranarum linguæ maculatæ prænuncia pestis 37
raparum semen 30. eiusq; decoctum 48
rapunculus, & eius vires 30
realgar tartaricum sublimatum in gutture, eiusq; remedium 36
regulus 58
remedium inde emanat, unde profectum malum 50
renati dominantur astris 55
renum signatura 26
resiniferæ arbores 28.39
resurrectionis nostræ futuræ exempla in brutis 73
rhabarbarum bilem flavam purgat 45
ros solis vel rorellæ 28
roseti rubei fructus ibid.
rosarum anthos, eiusq; usus 34
rubeta mustelam attrahit 72. ad m.
rupturam sanantia 31.32
Ruscia incolarum mira natura 63
ruta semen 37

S.

Sabina, & eius vires 25.26
sagittalis herba sagittas extrahens 47
sagittas extrahere dictamno cervi docuerunt 68.69
sal Armoniacum, eiusque usus in prunella 35. 36
corticum iuglandium 17
gemmæ 40
iunci aquatici 30
Vngaricum seu transylvanicum, eiusque vires 40
urinæ hominis 47
sales terræ discipuli Christi regenerati 55
salix, & eius decoctum 35
sambuci baccæ, earumq; usus 29
cortex interior flavus 34
flores, & eorum usus 34
medulla eiusq; arboris, & fungorum usus 33
sanguinis è naribus & venis usus 47. ut & è vulneribus 47
sanguinem concretum è corpore expellens 40
sanguinem sistentia 20.32
santalum rubrum, eiusq; decoctum 32
sapena riparum & eius vires 42
sapiens dominatur astris 54
sapphirus & eius virtus 38
sarda lapis, & eius vires 32
sargi salacitas 57
satyrion erythroneum seu verum Paracelsi 23
eius vires 24
satyrii essentia ibid.
saxifragiæ radices 27
scabies medelæ 39

scabiosa, & eius usus 19.39
scarificationi inventio 69
scarabæi natura 66.67
pilulæ 45
scarabei flavi 34
equini 45
scarus 59
scincus 24
sciuri 67
sciolopendrium verum 21
scorbutum sanans 19
scoria ferri 39
scorpionis oleum 50
scorpionum ictus sanantia 43.49.50
scorzoneræ usus contra cognominis serpẽtis morsum 47
scrophulariæ 30.33 38.40
scrophularum medicamina 38
scroto innascentium q. mororum cura 46
scylla & eius usus 18
secundinæ cura 26.47
signatura 26
torrefactæ usus 47
sedum minus, & eius succus 19
seminis profluvio medens 38
semina saxea 27
sepiæ astus 64
seroſos humores expurgans 44
serpens quibus oculos sibi vulneraque curet 69
fili linei, quibus serpens suffocatus, usus 47
serpens dissectus se herba restituit 73
serpentis exuvii cingulum 45
serpentis usus contra suos ictus 50
serpentes 62. *linguam amissam ut recipiant* 73. ad m.
serpentum axungiæ vel pinguedinis usus 48. 50
serpentum inventa 72
morsus remedia 41.45.50
usus in renovando corpore 46 49
serpentaria & eius vires 41.68
seseli 71
signaturæ membrorum 17. &c.
morborum 27. &c.
signaturarum correspondẽtia macro- & microcosmi 52
signaturas suas unde sumpsere homines 56 57. &c.
silex 27
simiæ 58.61
pulsus dignoscendi peritissimæ 71
Sol terrestris 37
solanum 22
spasmi remedia 39
spicæ vacuæ & plenæ, quorum signaturæ 62. 63
spicula & spinas extrahens 45
spinæ dorsi signaturæ 26. *dolorum remedium ibid.*
spiritus vini virtus 51
spodium, & eius usus 31
spongiæ marinæ 40
sphygmicæ artis origo à simiis 70
spumæ natura 63
squamis capitis & cutis conducentia 39
squamosorum pedum curatio ibid.
squinanthiæ remedium 38
staphylodendros 22
sterilitatis medela 46
stomacacen pellens 19
stomachi digestionem iuvantia 47
stomachi lupi corium ibid.
strangulatorum in craniis ossiculum 29
strumis medentia 39.40
struthiocamelus 57.58
sturni 58.59

sugillationes sanantia 40
suis cerebrum v. C
suum amicitia 56
sulphuris Quintæ essentia 51 48
syderica, eiusq; decoctum 41
synoviæ remedia 47

T.

Tabis signatura in macrocosmo 52
tabida membra medicans 35
tartari remedium 47
tartari in ventriculo cura 41
tartari vires 47
tartarum in venis muliebribus dissolvens 25
taurus 46.58.59
telephii radix 31
tempestatis operatio in animo & intellectu hominis 53
testiculos inflatos sanantia 24
testium signaturæ 23.24.25
testudines 66
testudo, & calcinatæ eius pulvis 31
thapsia, & eius usus 18
tibiarum signatura 26
tigrides 58
tiliæ florum grana, & eorum virtus 31
tineæ, & eius usus 34
tineæ in cavitate rosæ canina 35
tonitrucunei signa magica 74
tonsillas mulcens 33
tormentillæ radix, & eius usus 32 47
tragorchis, & eius vires 24
transformationis nostræ exempla in brutis 73
trichomanes, eiusq; usus 18
in tritico primi parentis signatura 74

V.

Valeriana usus à felibus monstratus 69
variolorum remedium 48
uberum signatura 21
uberum muliebrium malè affectorum curatio 21
uberum vaccinarum usus 46
venæ sectionis inventio 69
venarum signatura 26
venarum magnarum signatura in macrocosmo 54
venenum veneni congeneris expulsivum 50
venena plerunq; venenatis venena 43
venenis resistentia & remedia contra ea 17.41. 49.50
venenosi morbi plerunq; propriis antidotis sanantur 49
ventriculus quo servetur 22
ventriculi signaturæ 22.49
medelæ 22.45
ventriculi gallinæ usus 49
Venus sine Baccho friget 25
Venerem excitantia 23.24.43 46
verbasci folia, eorumque decoctum 33
vermes intestinorum quibus pellantur 35
verrucas tollens 42
vertiginis remedia 48
vesicæ signaturæ 22.54

INDEX

vesica morbis medentia 27.48
vesicæ suillæ, ovillæ, caprinæ, carpionis, bovis, usus 48
vesicarum nigrarum in pedibus signatura 49
vesicaria & eius acinorum usus 22
vesicaria repens 22
vespertiliones 59. vere reviviscunt 73
victorialis utriusq; signa magica 74
vinæ, & earum decoctum 35
viliosarum plantarum usus 32
[illegible]erarum morsus sanantia 41.43.45.49
[illegible] usus in renovando corpore 46.47
[illegible] usus 34
[illegible]sæ restitutio 24
[illegible]s, & eius vires 29
vi[illegible] 9. quæ bruta monstrarunt 69
[illegible]a vita in musculis 48
vita eius mysteria 74
vires deputatæ 59
vitrioli colchotar, eiusq; usus 29
vitulus 61
ulcerum deplorat orum cura 49
ulmus 28 eius folia 42 eorumq; vesicula 31
umbilicus, luxuriæ sedes 22
umbilici signatura 22
umbilici infantis particulæ usus 44
umbilicus Veneris, & eius vires 22
vomica curatio à capreis monstrata 69
vomitivorum usus à brutis 70
upupa spurca avis 60
urinæ si invitis redditur, cura 48
urinam cientia 22. 48 vel remoratam 41
ursi 59. ut oculos curent hebetes 70
urtica alba, vel mortua 37.38
uteri signaturæ 25
uva versa, eiusque vires 49
uvarum acini 25
vulnerum curatio 28.42.47.69
vulpes 64
vulturis pelles 49
uvularia 20

Z.

Zibetta vires 49
Zingiber 22

FINIS.

Menda Typographica homini oculato facilè obvia candidus lector humaniter emendabit.

DE VERA ANTIQVA PHILOSOPHICA MEDICINA

ELEGIA,

Ad OSVALDUM CROLLIUM, *Philosophum & Medicum peritissimum, suum amicum carissimum,*

M. VLRICI BOLLINGERI,
Poeta Coronati.

NON Oswalde meis est vis ea tanta Camœnis,
O Crolli medici gloria magna chori:
Quæ tenui dicat præconia maxima versu,
Veraq; quam miseris spem medicina ferat.
Hæc est quæ nostras extollit ad æthera mentes
Atque Creatorem prædicat esse Deum.
Quælibet herba probat, quòd sit divina potestas,
Quæ nobis rerum condidit omne genus.
Inspice quæ fæto claudat natura recessu
Pectore qui credis numina nulla tuo,
Hæc est, quæ nos esse Deos divumq; nepotes
Admonet, in tenebris heu tamen illa jacet.

Hem, quia tanta tenet cœcas ignavia mentes,
Et noſtros oculos faſcinat umbra levis.
Non hodie ſuperant operis veſtigia priſci,
Nomina vix noſtro tempore nota manent.
Quis Chymicam novit, quæ muta cadavera rebus
Vulcani flammis demere ritè docet?
Hic labor, hoc opus eſt Vulcani diſcere vires,
Pharmaca qui morbo certa parare cupis.
Lemnius ille Deus totam tibi perficit artem,
Ne pigeat prunis applicuiſſe manus.
Balſama quæ triplici clauduntur in ordine rerum,
Hæc cãpe, ſi cordi eſt vera medela tibi.
Cum Plantis poſſunt Animalia ferre ſalutem,
Et tibi præſtabit vis Mineralis opem.
Ne modò decipiat facies te mortua rerum,
Quære ſub externis interiora tibi.
Mercurium dicunt, nec non Sal, Sulphur, in iſtis
Invenies medica quicquid in arte valet.
Eſt major, mundusq; minor, qui fœdere certo,
Adſpice, quam ſemper convenienter eant?
Inſervit major per pharmaca grata minori,
Promit & è triplici claſſe ſalutis opem.
At genus humanum mediis in noctibus ORCI
Tartarei. relegant ferrea vincla Dei
Cognita ſunt paucis velati fœdera mundi,
Aptaque quæ morbo ſit Medicina ſuo.

Proh

Proh pudor: hoc etiam ratione carentia norunt,
Ipſa parant curam dum ſibi bruta ſuam.
Quando feris tergo capris hæsêre ſagittæ,
DICTAMUM quærunt gramina nota ſibi.
Nec ſuus accipitrem latuit medicaminis uſus,
Unde poteſt oculos exacuiſſe ſuos.
SERPENTINA ſuis non eſt ignota colubris,
Cœcaq; pungentes urſa requirit apes.
At quibus eſt ſuperi cœleſtis imago Parentis,
Talia num voluit nos latuiſſe Deus?
Haud equidem credam, ſed nos malus abſtulit error,
Dum nimis ingratis ſpernimus iſta modis.
Heu mihi quæ res eſt jam perverſiſſima mundi,
Adſcribit ſathanæ munera ſancta Dei.
O gravis impietas quæ ſanctam reſpuit auram,
Quæ potius tenebras quàm bona lucis amat.
Ergò malus dæmon nobis has contulit artes
Primævi tantas quas habuêre Patres?
O fortunatos, quibus hæc arcana revelat
Demiſſus cœlo ſpiritus ille Dei,
Nonne docente Deo cunctis ſua Nomina Plantis,
Et vires docuit primus ADAMUS homo? *Adam.*
Unde ſuæ virgæ poterat vim noſſe JACOBUS, *Iacob.*
Non benè naturæ ſi didiciſſet opus.
Et non corruptum quamvis jam lumine caſſum
JOSEPHUS potetat corpus habere Patris? *Ioſeph.*

Moyses. AMRAMIDÆ IEHOVAS monstravit nobile lignum,
Vnde fuit dulcis redditus humor aquæ.
Et ne convivis Colocynthis amara noceret,
Elisæus. SAPPHATIDES farris pulvere fecit opem.
Isaias. Ulcere correpto Regi pius ille SACERDOS
Ficubus impositis Pharmaca grata tulit.
Salamo. Et SALAMO, physicum quem non ænigma fefellit,
Quæq; juvet docuit, quæque sit herba nocens.
Hermes. Talis erat PHARIIS etiam Ter maximus HERMES,
Haly. Geber. Talis HALY, & magna laude GEBERUS ARABS.
Orus. Talis & ORUS erat Grajæ de sanguine gentis,
Qui nobis rerum symbola sacra dedit.
Et PELUSIACIS qui sceptra gerebat in oris
Chalid. Ætherios CHALIDES notus adusque Polos.
Villanovanus. Adde NOVÆ VILLÆ Dominum, Latiumq; magistrum
Morienes. Fatidicum nomen qui MORIENIS habet.
Lullius, Nec minor arcanæ scrutator LULLIUS artis,
Riplæus Rogerius. RIPLÆUSq; senex, ROGERIUSq; fuit.
Artephius. Optimus ARTEPHIUS causas aperire latentes,
Trevisanus. Et TREVISANA dictus ab arce Comes.
Nec non occultas naturæ tradidit artes,
Trithemius. Qui SPANHEMÆA præsul in æde fuit.
VVimpenæus. Et WIMPENÆUS Bojæ lux maxima terræ,
Isacus. ISACUS & Batavi gloria magna soli.
Paracelsus. Divinus tali est PARACELSUS in arte Monarcha,
Secula cui similem nulla tulêre Virum.

CORN-

CORNDORFER Paracelsiacum se gaudet amicum, *Korndorfer.*
Quem pariter PHÆDRO, LAIDECERVSq; probant. *Phædro. Laideccer.*
Sunt etiam tales nostro qui tempore vivunt
Hanc Sophiæ veram qui tenuêre Viam.
Bombastum sequitur felici tramite Vatem
MONTANVS toto notus in orbe senex. *Montanus.*
WIINTZIVS, & noto MOLLERI nomine dictus, *Vvintzius. Mollerus.*
Naturæ felix histor vterq; fuit.
Huic etiam studio BERGERVS deditus vni *Bergerus.*
Artifici miscet Pharmaca grata manu.
Nec minus egregium sternit VIGELLVS honorem, *Vigelius.*
Pæoniâ sanans vulnera dira manu.
Et quem MVFFETVM, DEE, TORRERYMq; celebrat, *Muffetus. Iohannes Dee, Tornerus.*
Nunc etiam medicis Anglia clara suis.
Et variis aperit PORTAM BAPTISTA medelis, *Iohãnes Porta.*
Et qui de QVERCV nobile nomen habet. *Quercetanus.*
Maximus hâc etiam scrutator in arte DRYANDER, *Dryander.*
E patriâ CROLLI natus & ipse tuâ.
Et peregrinator SCERBETIVS alter Vlysses *Scerbetius.*
Multa videns terræ mystica, multa maris.
Hafnia CRAGÆA genitum de stirpe celebrat, *Cragius.*
Et se GRAMANO iactat Hiera suo. *Gramanus.*
Non ARRAGOSIVS, non hac rudis arte PLATERVS *Arragosius. Platerus.*
Consulit ægrotis qui Basilæa tuis. *Zuuingerus.*
Et cum ZWINGERO patriâ GESNERVS eâdem *Gesnerus.*
Editur, eximios scripsit vterq; libros.

Sylerocrates. Adde quibus duri CRASIS & mixtura SIDERI
Egregium nomen fratribus esse dedit.
Penotus. Sal PENOTVS habet, quod languida corpora nullo
Corrumpi morbo vi medicante sinit.
Severinus. Nonne SEVERINVM Petrum sua Dania laudat?
Huserus. HVSERVMQ; vehit Gens Vbiana suum?
Lincoius LINCIVS huic adjutor adest, & fidus Achates,
Bombasti vt vivant gloria, fama, libri.
Dorneus. Consimili studio totum DORNÆVS in orbem
Emisit Chymicis scripta probata viris.
Sic & ANHALTINIS clarus BALDVINVS in oris,
Doctrinæ fautor, REX Paracelsæ, tuæ.
Wolffius. Sic vos Hassiacis WOLPHII succurritis aulis
Consilio medico, Pæoniaq; manu.
Hartmannus Marpurgi, HARTMANNVM tibi quid referam? quem Phœbus & omnis
Aonidum & Charitum turba sacrata stupent?
Hic decus & splendor, Medicorum & gloria, quos hæc
Tempore postremo secula docta ferunt.
Mosanus Cassellis. Quid tibi MOSANVM dicam? qui doctus in arte
Spagyricâ Hassiaci est gloria sola soli.
Bodenstein. Adde BODENSTENIVM celebris quem fama notavit,
Andernacus. Atq; ANDERNACO laus sua digna manet.
Dariotus. Nec minus æterno DARIOTVS nomine dignus
Ob Chymicas artes florida serta gerit.
Hornerus. Consulit HORNERVS patriæ, si fortè laborat,
AVREOLVM quoniam consulit ille suum.

Doctus

Doctus & HILLERVS varios depellere morbos *Hillerus.*
Nouit, & Onoldæ pharmaca sana dedit.
CRETSCHMERVS terræ doctus rimare fodinas, *Cretschmer.*
Quâ lateant venis plena metalla suis.
Et caros HESSVS non vltimus inter amicos *Hessius.*
Est equidem Medico dignus & ille choro.
Ille prius rigidi perplexa volumina juris,
Nunc opus evoluit, REX PARACELSE, tuum:
Consulit in medium tua si res ægra laborat,
Aut grauis inuasit si tua membra lues.
Hunc sequitur MAIVS felici sydere natus, *Maius.*
Qui Paracelsiacos vertit vbique libros:
MAIVS Apollineo procedit ab ordine doctus,
Vallis præfectus nunc Ioachime tuæ.
Nec RVLANDE meo tu versu indictus abibis, *Rulandus.*
Te meritò nostri Cæsaris aula colit.
Nec vos transierim Musis & carmine nostro,
Naturæ clausas qui ceciniistis opes.
TOXITES noster, noster SVCHTENVS ALEXIS, *Toxites. Suchtenius.*
Hic est ingenio clarus & ille suo.
Nunc ad te redeo CROLLI, quem magnus Apollo *Crollius.*
Insignem medicum Mercuriusq; dedit.
Sunt tibi doctrinæ mysteria nota vetustæ:
MERCVRIVM vidi, SAL, OLEVMQ; tuum.
Quid PHOEBVS possit, nec non CYLLENIVS ALES,
Nosti, quid possit LEMNIVS ille DEVS.

Inde

nde tibi triplicis paret concordia mundi,
Illa vetus rerum quâ medicina latet.
Non tamen hoc tam grande cupis celare talentum,
Vt quos inuidiæ liuor amarus habet.
Multa etenim præsens poterit monstrare libellus,
Communem reliquis quem finis esse viris.
Tu quoque quæ magno tibi cum sudore parasti
Per Latias currens Franciacas q; plagas,
Ad commune bonum claras emittis in auras
Hactenus arcano pharmaca clausa sinu.
Hinc tibi posteritas meritò persoluere grates
Debebit scriptis doctior illa tuis.
Macte tuo dono, reliquos contemne profanos,
In cœlo restant præmia magna tibi.

ENCO-

ENCOMIUM

WETTERÆ ATHENARUM HASSIÆ,

Scriptum

ab

M. ULRICO BOLLINGERO

P. L.

AMPLISSIMO PRVDENTISSIMOQVE SENATVI POPVLOQVE VETERANO,

OSUALDVS CROLLIVS Medicus S.

AMplissimi, *Consultißimique viri, ut etiam apud totam posteritatem insigne ac memorabile aliquod exemplum extaret singularis & peculiaris Dei optim. maxim. erga carißimam nostram patriam Clementiæ & Bonitatis, volui hoc loco inserere Encomium illius carmine olim ab amico conscriptum, quod Argentorati* anno XCV. *excusum fuit, & nunc unâ operâ hac secundâ evulgatione, vobis, instar libri mei appendicis, gratitudinis & observantiæ ergò à me nuncupatum. Ideoque eo potißimum fine, ut semper unà cum sera posteritate horum beneficiorum memores, indesinenter Deo mecum agatis gratias, quod sua beneplacita benedictione plures ex illa literatos simul & semel ferè excitarit viros, quàm vix ex alia ulla (adsit veriverbio venia) totius Europæ licet ce-*

leberrima prodierint urbe. Ita aut meritò illud & noſtra quadrare poſsit quod de ſua patria memorat Ithacus, quamvis ſit ſterilis & aſpera, attamen eſſe κυρτρόφον. Praeter memoratam literatorum copiam hoc inſuper aſſeverare poſſum, vix unquam fuiſſe quicquam in ullo ſcientiarum genere tàm reconditum, quod non uni aut alteri è nominato cœtu ſuâ gratiâ manifeſtare placuerit: tum ut hac ſua ſpeciali Miſericordiâ nos omnes, cuuctarum miſerationum ſuarum longè minores, ad ardentiorem ſui incitaret cultum, timorem ſcilicet & amorem: tum etiam ut omnibus hominibus manifeſtum faceret, ſibi eſſe integrum ſua diſtribuere & erogare dona, ſine perſonarum & locorum aut temporum reſpectu.

Hiſce valete viri Ampliſsimi & honorandi, & animo mecum pio, grato, ac memori hunc peculiarem. Numinis Favorem toto vitæ decurſu cum omnibus poſteris agnoſcite, ut Patrem miſericordiarum, ad ulteriorem ſuorum beneficiorum continuationem & nunc & deinceps ſemper experiamur propitium, cuius nomen ſit bene dictum in ſecula, Amen.

Anno MDCVIII.

EN-

ENCOMIVM WETTERÆ
ATHENARVM HASSIÆ.

LAVDABVNT alii Solymam, ſeu Perſica Suſa,
Cecropis aut vrbem, quæ doctis artibus olim
Præſtantes genuere viros, toto orbe celebres:
Tu tamen excelſis nuper circundata muris
WETTERA, quæ veteri gaudes ita nomine dici,
Quâ Druſi miles ſua caſtra vetuſta locabat,
Tu BOLLINGERI merito laudabere Muſis.
Non quod te natura bonis donavit opimis,
Et tibi ditat agros fœcundo copia cornu,
Aeolus & mites, & ſanas temperat auras,
Vnde laboriferis creſcit vis ſtrenua membris.
Quod tibi ſerta parant vario diſcrimine Nymphæ
Plaudentesq́ agitant choreas, & Oreades hirtis
Cum Satyris ludunt, Dryadesq́ ibi frondibus altis
Veſtitæ ſua regna tendit, & luſtra frequentant.
Quod tibi progenies non infœcunda ferarum
In ſylvâ, & rident circum frondentia tempe:
Omne volatilium genus eſt circumq́ ſupraq́
Aethera mulcentum cantu, lucisq́ volantum.
Quod tibi deſcendunt largi de fontibus amnes
Piſciferiq́ lacus (hinc fercula grata parantur)
Quodq́ tuo gremio varii vis magna metalli
Eruitur, multo ditatq́ numiſmate egenas.
Quod tibi grex ovium, celſaq́ in rupe capellæ
Innumeræ pendent, ſunt & pecuaria campis,
Et cultis adeò vis eſt genialis in hortis
Nutantes onerans ramos: quod jugera culmis

Flaveſcunt, plenaq; urgent ſe meſſe novales:
Omnia prætereo reliquis communia terris,
Quod canere incipiam, proprium tibi fata dederunt.
Tu paucis adeò quamvis poſſeſſa colonis
Una tamen plures Phœbi producis alumnos:
Qui miſſi de ſede tua, per totius orbis
Diſperſi plagas, vitam excoluere per artes
Atque ſui memores alios fecêre merendo.
Namq; ſacerdotes quidam divina gubernant
Templa Dei, ſuus ut nunquam non debitus aris
Perſtet honor, veraq; Deus pietate colatur.
ORTHIUS *hinc ortus vicina ſede receptus*
Qua iacet ad Lanum duro de Marte vocata
Urbs vetus, Aoniæ ſtatio gratiſſima turbæ,
Chriſticolas bene duxit oves, ad paſcua læta.
Et tuus ille ſenex, ſuperas qui nuper ad arces
PINCIERUS *ſcandit, gratæ pietatis honorem*
Reſtituit Patriæ, ſacri quam ſemine verbi
Plantavit multos non infeliciter annos.
Editus hinc etiam longæva ætate verendus
CALVINUS, *Duce ſub Catto, qui dogmate ſacro*
Pandit ad aſtra viam: ſatus hinc de ſanguine claro
Interpres Chriſti, IOANNES CROLLIUS *ille,*
Quem pubes Germana fuit mirata docentem
Ignara Allobrogum linguæ, quo tempore ſacros
Monſtravit cultus ad flumina nota Lemanni.
Quis numeret Iuris doctos legumq; peritos
WETTERA *quos genuit:* VULTEIOS *aſpice fratres*
HERMANNUM *cum* CHRISTOPHORO *qui rebus agendis*
Excellunt pariter, certiſſimus auctor uterq;
Conſiliis prodeſſe bonis: HIRSFELDIUS *Abbas*
Conſulit hunc: illum princeps LUDOVICUS *honorat.*
Aſpice PINCIEROS *cognato ſanguine iunctos,*

Ex

Ex illis longum venit IUDOVICUS *ad* ALBIM
Adq; ſinum CODANI *reddit ſua iura* LUBECCIS.
IOANNES *bonus eloquio, dum vita manebat*
Legatum geſſit non rarò ad Cæſaris aulam
AUSTRIACUMQ; *Ducem: nunc caſſum lumine luget*
Arbiter Imperii, funeſtisq; horrida bellis
BELGIA, *cui placidam curabat reddere pacem.*
Iam mihi GERNANDOS *ſpecta tres ordine fratres*
Quos Themis & Themidos Charis & Suadela ſorores
Certatim exornant: CALVINUM *his inſuper adde.*
Quid deceat, quid dedeceat, quæ regula morum
Ille tibi melius Chryſippo, & Crantore dicet.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis
PORPHYRI CROLLI, *iuſta qui iuris amuſſi*
Omnia diſpenſas, nulli pietate ſecundus.
Hîc tardis ingens ubi SEQUANA *flexibus errat,*
Dum ſequeris Muſas per binos ſedulus annos
Hîc te ſors rigido clauſum ſub carcere preſſit.
Non equidem tales unquam mala crimina pœnas
Innocuo peperêre tibi, ſed proditor hoſpes
Et tua pura fides in tanta pericula vitæ
Te ſociosq; tuos poſuit, iam triſte parabant
Supplicium flammæ ſed vos, mirabile dictu,
Fœmina ſervavit tanto in diſcrimine rerum.
Mactè animo CROLLI, *pietas ſua præmia ſecum*
Semper habet, iuſtisq; viris non defuit unquam
Rebus in adverſis, cum ſpes non ulla iuvandi,
Auxilium præſens ſtellanti ex æthere miſſum.
Nec te tranſierim LÆLII *qui nomine gaudes*
Optime LAURENTI *ſacra digniſſime lauru*
Quam Themis impoſuit, cui tu tam fidus alumnus.
Iam procul à patria te Conſultore VISURGIS

Utitur

Utitur, & BREMA sacrorum Præsul in urbe.
At vos quos memorem quos unica WETTERA multos
Protulit edoctos herbas, usumq; medendi?
Nuper erant gemini caro cum patre DRYANDRI,
Quæ sit morborum propriissima caussa, quid artes
Efficiant medicæ, quæ vis operetur in herbis:
Quæ virtutum ipsis DEUS incrementa ministret
Ipse pater docuit, patriis quam proximus oris
Alter natorum mortalia tecta reliquit
Ante diem raptus: verùm alter in orbe remoto
Pæonium in morem magna cum laude POLONOS
Liberat à morbis PARACELSI dogma secutus.
Hic Germanorum fuerat ter maximus HERMES
Unus in arcana rerum virtute Monarcha
Omnigenos morbos divina sustulit arte,
Et docuit morbis non visa prioribus annis
Pharmaca, felices illos semperq; beatos
Qui divina viri servant præcepta medendo.
Venit & ad Styrios VULTEIO sanguine natus
Arte Machaonia celebris, cui sublita nullo
Mens fuco, dudum fama super æthera notus.
At tu PINCIERI generis memorabile nomen
Tu benè Nassoviis Ducibus succurris, & ægris
Scis medicas adhibere manus, ubi lapsus ad ossa
Est dolor, aut artus depascitur arida febris.
Hos meus OSWALDUS sequitur felicibus ausis
CROLLIUS; arcano quâ vi natura recessu
Intus agat, rerum vires dum separat ignis,
Quæ virtus herbis, animalibus atque metallis,
Omnia cognovit: quando discrimine miro
Ducit ab impuris purissima semina rerum.
Vidi ego Sal nitidum, pinguem vidiq; liquorem,
Mercurium vidi, medicamina plurima vidi

Quæ

Quæ non Hippocrates, quæ non ars nota Galeni
Hactenus edocuit, quæ CROLLIUS ipse paravit.
Hoc etenim studio, septem peregrinus ad annos
Per Latiam terram, per Celtica regna medentes
Ille viros vidit, varias lustravit & urbes.
Inde sagax animi longoq; peritus ab usu
Artibus instructus variis, varioq; desertus
Eloquio redit, seu disserat ore Latino
Seu Gallo, aut Italæ promat commercia linguæ.
Iam PAPPENHEIMIO vitæ morumq; Magister
Additus est iuveni, cum quo dimissus ad urbem
Germani proceres ubi convenêre sacriq;
Sceptriger Imperii: rem dignam gessit uterque
Esset ut integritas captivi nota parentis
Quem sors dura premit, patriisq; à sedibus arcet.
At tu qui tanti mensuram nominis imples
MAXMILIANE puer præsentem exporrige frontem.
Iam iam tempus adest, priscum quo Cæsar honorem
Restituet, patremq; suam revocabit in aulam.
Interea te Parnassum deducet in altum
CROLLIUS ille tuus carum quem nuper amicum
Hac Bebenhusæa mihi sors coniunxit in æde.
O quoties unà totas consumsimus horas
Colloquiis læti, & docti sermonibus oris!
Non quam dulce femur lepori, quam dulce palumbi
Sit laus, aut pernis, aut quæ sit gratia triglis,
Sed qui sit pietatis honos, quæ gloria doctis
Artibus, & quæ sunt Francæ commercia linguæ.
Acceptum huic refero: si quid discernere possum
Gallorum voces, quarum præcepta loquendi
Tradidit ille mihi: Salve carissime CROLLI,
Cum PAPPENHEIMIO, si quid mea carmina possunt
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo.

Nunc age dic Erato proceres quos publica rerum
Cura tenet populo ciuilia dicere iura:
Quiq; modis aliis, studiis operantur honestis
Ad commune bonum nati quos WETTERA *fœto*
Ex utero peperit: velut intra mœnia Troiæ
Instar montis equus fortes effudit Achivos.
Emicat hos inter ceu Lucifer ortus Olympo
Ille senex IUSTUS VULTEII *sanguinis auctor*
Felix prole suâ, per quam post fata superstes
Semper erit, nomenq; eius laudesq; manebunt.
Huic sua cura fuit Cattis prodesse Lycæis
Ut iuvenes habeant doctosq; piosq; Magistros,
Qui studiis mores iungant, ne prava malorum
Corrumpant exempla, aut cæca licentia vitæ
Transversos rapiat: nostri fera temporis ætas
Talia contemnit, sed merces magna laborum
Permanet in cœlis amaranthi è flore corona.
Proximus huic agris natalibus ortus ab eisdem
Gente satus STADIA, *quo nemo plura locorum*
Climata percurrit, donec pervenit ad Indos
Extremos, ubi gens habitat crudelis, & olim
Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli:
Humanis quæ corporibus, quæ vescitur atro
Sanguine, quem tremuli rorant in cratibus artus,
Hunc illi prensum toties mactare volebant
Ni Deus in melius flexisset dira virorum
Pectora, Christicolæ sortem miseratus iniquam.
Ad patrios doneciam post duo lustra penates
Incolumis rediit, docuitq; prioribus annis
Ignotas terras, trabibus seu fortè cavatis
Seu quis iter pedibus Cyclopas quærat ad istos.
Hinc etiam occurrit memorandus carmine nostro
CROLLIADUM *genitor, vir magnus honore senectæ*

Qui

Qui fasces quintas Consul quintamq; securim
In patriâ gessit facti grauis vltior iniqui
Magnus vt Arpinas aut longi Mutius æui.
Fortunate senex nunquam tua fama peribit
Parta tuâ virtute tibi, quin illa magisq;
Per celebres floret natos serosq; nepotes.
His SYLBVRGÆ *non vltima gloria gentis*
Accedit, Latiam & Graiam quo nemo loquelam
Dexterius novit, libros dum tractat, & illis
Sedulus insudat, communemq; edit ad vsum
Purgatos mendis, vir nostra ad commoda natus.
Iungitur huic patrii qui tradita frena Lycæi
Laude regit magnâ, cui MERCATORIA *nomen*
Stirps dedit, huic merx est consolatura senectam
Musarum studium quam si quis venerit emptum
Crede mihi, nunquam (quæ sit fortuna) pigebit.
HENRICVS *itidem nobis se* LÆLIVS *offert.*
Ille nouem quondam fratres non vltimus inter
Panonium Musas longè deduxit ad Istrum,
Sed cadit ante diem, cæliq; in parte locatur.
Non autem dignis potero celebrare Camœnis
PINCIEROS *inter Germanos nomine* PAVLVM
Amphion citharâ, cui carmine cedat Homerus,
Rex Ponti linguis. talem vix vlla tulerunt
Secula, qui variis superauerit artibus omnes.
Heu, DEVS *hunc tantum terris ostendit, & vltra*
Non superesse dedit, miserandâ peste peremptum.
At BOLLINGERO *iam vos ignoscite vati*
WETTERICI *heroes reliqui, quorum inclyta fama*
Orbe cluet toto: Quis enim tot nomina ponat?
Quis tot CIRCOVIOS? *quis prisco sanguine natos,*
Tot DECIOS? *quis tot* FONTIS *cognomine dictos?*
FETTIADES *&* BREVLÆOS *insignia famæ*

Pectora, quis SAVRO *&* FISLERO *stemmate cretos,*
Quis MILIOS? *Quis* MESMILIOS, *& sanguine natos*
SEFREDO? *Quis tot nomen* PISTORIS *habentes,*
Quis canat ELSNEROS, *quibus & pugnæ area nomen*
STRETTOVIIS *fecit? Quis tot* COMBACHICA *dicat*
Mollibus in numeris cognomina dura, nec ipso
Sat concinna sono, versuq; incompta Latino?
Saluete illustres animæ, & tu maxima salue
WETTERA, *nobiscum natalis terra virorum.*
Per quos talis honor seris tibi surgit ab annis
Qualis erat Solymæ, & Susis, & qualis Athenis.

SOLI DEO GLORIA.

FINIS.

CASPARI HOFMANNI ANTI-FERNELIUS.

LECTOR.

ITERUM te appello, & per GLORIAM DIVINAM oro, ne sinas tibi persvaderi id, quod multis persvasum est, *FERNELIVM esse supra omnes alios Institutionistas*, ut sic loquar, sive, ut Galli sympatriotæ incomparabilem, adeoque dignum, quem omnes Medicinæ studiosi manibus terant, & colãt, tanquam divinitus missum Doctorem. Hujus verò opinionis dux, credo, fuit JOA. RIOLANVS, pater, qui superiori sæculo etiã Comẽt. illustravit, fecitq; , ut pro artis nostræ fundo & subscriptore (ceu Gell. alicubi loquitur) habeatur. Atqui (a) longè aliter judicavit verè Ill. D. ALEX. MASSARIA, *Fernel. illud præcipuũ studiũ fuisse, ut, quodã innovandi studio ac scabie correptus, sanam optimorum autorũ doctrinam contaminare, & tyronum ingenia, quæ solidis Medicinæ & Philosophiæ fundamentis non undiquaque essent stabilita, argutis quibusdam fallacijs, eleganti orationis stylo oblitis, perverteret, corrumperet, pessumdaret.* Hujus filum secutus, quin experientia cautior factus, verè magnus vir, D. PH. SCHERBIVS, Doctor meus per septennium continuum, nunquam sine honore mihi nominandus, datâ occasione, sæpè nos & libenter monebat, *Nolite vos credere FERNELIO! vates ego vester ero, si volueritis esse φιλομαθεῖς, sæpiculè cogemini dediscere, & cum pudore vestro contradicere ipsi dogmatis vestris!* Hujus ego dicto audiens nunquam legi: quin ne habui quidem in censu septem illorum, contra quos disputavi obiter in Institutionib. meis, ratus me peccatorum cõtra titulum, UNIVERSA MEDICINA: Nunc autem, postquam volente ita DEO, Argenterium, in multis simiam ipsius, ita prostravi, ut spes sit, studiosos nostros in posterum abstenturos à lectione ipsius: adjungo Fernelium, tanquam ἐπείσαγμα, ostensurus paucis, *Esse inter eos scriptores, qui famam habent, non merentur.* Interim permitto Poëtis, & qui his paria faciunt, (ij sunt, quos magnus Crato producit in Ep. ad Wechelum) ut illum inter sidera micantia, & quidem juxta Herculem Eugonasin, collocent. Nimirum, jam divinus est ap. Val. sed alio sensu. Vtar autem codice Francof. Anni 1577. in folio.

(a) Locus est disp. 2. contra Sax. de Phœnig. l. 2. cap. 6.

)(AN-

ANTI-FERNELIUS.

Physiologiæ Lib. I.

LEMMA I.

ALtè quidem orditur: sed tamen ita, ut intelligas, duplicem illum tradere Methodum discendæ Medicinæ, ἀναλυτικὴν καὶ συνθετικήν, quarum illa totum resolvit in suas partes, adeoque facit initiũ à Naturâ notis: hæc ex partibus facit totum, & incipit, à nobis notis. Hæc posterior quamvis sit expeditior: usus tamen obtinuit, ut priore illâ utamur. Non ita Noster:

II.

Expeditam enim viâ ingressus, accipit primùm Hominem totum, & docet, quibus ille differat à cæteris animalibus. In duobus, inquit. 1. Est erectus. 2. Habet manus. Deinde dividit hominem in partes similares. Jam ergò hoc primum σφάλμα est, quod præ alijs singularis esse vult. Hoc excipit alterum incommodum, quod tanquam cuneos in ordinem redigit partes similares, antequam sciat lector, quid sit similare & dissimilare? Hoc tertium, quod subito ait, quasdam harum ad motum facere, quasdam ad sensum. Quartum, quod auditori suo, q. θεὸν quendam ἀπὸ μηχανῆς, ex insperato sistit, sceletum humanum. Estne hoc arte progredi? Est, si quidem ars statim fit, quod Fernelio in mentem venit!

III.

Hæc ἀλήθεια fit clarior, cum ossa particulatim nominat, antequàm totum dispescat in ventres & artus suos: antequam partes ossium declarârit: antequam articulationum differentias exposuerit. Clarescit etiam amplius, cum ossib. subjicit musculos, tendinesque. Planè ridiculus fit homo, cum non præmissâ distinctione partium in exteriores & interiores, explicat interiores! Tantò magis, quod non dividit in partes individuo servientes, & speciei!

IV.

Intolerabilis apud me est, cum tribus contiguis cap. explicat trium ventrium viscera, non facta ullâ mentione coctionum, quæque in illis fiunt, excrementorum. Tantò magis iterum, quod nec verbulo meminit dissensus inter Gal. & Arist. de usibus omnium istorum viscerum! quasi instrueret ἀπαίδευτον quendam, adeoque ἀναίσθητον!

V.

Quid dicam? Quòd post hæc omnia describit nervos, venas, arterias: quod jungit his membranas & cutim: his iterum carnem & molles partes: his denique adipem, medullam, pilos & ungues. Omnia ineptè! Quamobrem etiam ineptus finis est.

Physiologiæ Lib. II. de Elementis.

LEMMA VI.

HEic instituit Fernelius magnam querelam, quæ paucis mutatis quadret in illum. Mihi hoc displicet, quod inchoatâ jam Methodo compositivâ, demum dicat

dicat, quid velit, *ab analysi vid. se progressurum ad σύνθεσιν.* Sed sit: Quemadmodum in lib. 1. ordinem potius culpavi quàm res: ita heic, cur jam demum dividit partes in simplices & compositas, sive, ut ego malim, in similares & dissimilares? Quia sc. similares etiam sub *Elementis* habet!

VII.

Cur, quod omnium primum esse debebat, definitionem collocat post divisionem? Nimirum heic est Campus Martius, in quo digladiantur duo exercitus. *Quid sit pars?* Fernelius alterius dux, definit partem dissimilarem, & posteà excludit pro arbitrio, quas velit. Ego alibi docui, Τὸ *Pars* esse genus æquivocum, & definitionem esse tantum naturæ eorum generum convenientem: verùm, quia spinæ Logicæ heic locum non habent, contentos nos esse posse definitione Gal. 1. Meth. 5. *pars est, quidquid totum implet.* Quod si planè Medici esse volumus, & res distinctas distinctè docere, cum Gal. 16. cap. 6. *Similarem* quidem dicere nos debere, τὸ διαιρούμενον (μόριον) εἰς ὅμοια πάντη μόρια: *Dissimilarẽ* autem, τελείας ἐνεργείας ἀπεργαστικὸν. Vbi quæro, cur *pili* & *ungues* non sunt partes? *Quia non aluntur alimento tali, quali cæteræ partes: sed materiâ quâdã,* &c. Ferneli, es in numero eorum, qui nihil docent. Quæ enim est *materia* illa? explicate. Ego enim dico, utuntur eodem alimento, quod etiam secundùm trinam dimensionem apponitur. Vrget, *Crescunt in immensum.* Nego: crescunt in longitudinem tantùm. Quia enim vasa illorum hoc habent peculiare, quod non claudantur cute, mirum etiam non est crescere, quomodo caro in cavis ulceribus. Hoc autem volebat usus ipsorum. Vrget alio modo, *crescunt etiam in mortuis.* Nondum constat τὸ ὅτι. Vbi noto Fernelio fieri injuriam, cum dicitur statuisse, luxuriare in immensum. *Atq; contrà videmus fieri,* ait, *constitutos his esse certos limites, ut plantis quoq;.* Excludit etiam è numero partium *adipem* & *medullam ossium.* Fortassis non injuriâ. Meo enim judicio sunt inter excrementa utilia. Qui humores etiam hinc expellunt, rectissimè faciunt. Licet enim apud Arist. etiâ inter partes similares sint; tamen heic aliud suadet τρόπος ἐπιστήμης, cum quo Hipp. stat.

VIII.

Heic iterum dico, cur *Elementa*, quæ omnium prima esse debebant, nunc demum prorepunt? Cur *principia* corporis nostri, semen & sanguis, huc collocantur? Secretum Fern. hoc est, *Elementa* propriè dicta jungi debent cum *Elementis* impropriè dictis. Apage! *Elementa* dici debent tantùm τὰ καλούμενα στοιχεῖα, ut Arist. loqui solent: *partes similares*, tàm liquidæ, quàm solidæ, gaudeant suo quoque nomine.

IX.

Studium novandi apud Fern. hoc quoque committit flagitij, quod qualitates primas ab omnibus dictas vocat *Principes*; secundas, *Ex his ortas.* Et cur non *Ministras*, ut clarior sit oppositio? contrà, inolitus error facit sanguinem ex quatuor excrementis. Hæc sufficit indicâsse.

X.

Eodem modo, ambitio, & sciolitas, ut sic loquar, extundit illi Logicum illud, Elementorum etiam substantias in mistione concurrere. Cui rei tantoperè

avet,ut tria conſcribillet capita,atque ita finiat Elementa.Pax:

Phyſiologiæ Lib.III.de Temperamentis.

LEMMA XI.

HEic inprimis vapulat definitio , cujus genus eſſe vult Rationem miſtionis, quam explicat per concentum ſeu harmoniam. Huic vulgo tria opponi ſolent.Primò concentus eſt vox metaphorica. Secundò ſi temperamentum eſt concentus; miſtio autem alteratorum unio: erit unio unionis.Tertiò quis concentus [illegible] in corporibus intemperatis ? Vide χρ.φυσιολογ.cap.3. ſtabit igitur *Qualitas* [illegible] quæ objicit,tot ferè mendacia dicit. Audeo dicere, eſſe illam Galeno quoque amicam.Stati m enim ab initio utitur vocabulo κέκραται.

XII.

Cap.2.inutilem pugnam commemorat inter Gal.& Aver.

XIII.

Cap.3.recenſet novem temperamenta ex Gal,in quibus nihil ſingulare.

XIV.

De duplici temperamento agens,*ad pondus & ad juſtitiam*, vult evincere,illud ad pondus etiam dari.Ego audio illos,qui docendi gratiâ tantùm ajunt introduci.Si enim dicunt,ignis tanta ſit copia,quanta reliquorum elementorum, abſumet potius quàm conſtituet.Summa, eget unaquæque res tantùm elementi hujus vel illius,quantum opus eſt ad edendam actionem hanc,illamve. Et hoc eſt *ad Juſtitiam.*

XV.

Deinceps docet,tactum hominis temperati eſſe judicem omnium temperamentorum.Ego verò quæro,ubi terrarum ille ſit?Deinde,deſidero cautelas adhibendas,quas Gal.tantâ cum diligentiâ recenſet. Aliquot quidem attingit: ſed deficit.

XVI.

Mox inſtituit catalogum *partium calidarum,frig.hum.ſiccarum*, multimodis mancũ. A partibus venit ad temperamentum totius, in quo multum delirat, præſertim in illo,*Non omnia vivere calore.* Quâ re profectò pueris ſe deridendum propinat,quod l.ſeq.id ipſum dicat.

XVII.

Heic ſi quæram,quid ſit de interioribus , quas manus non contingit? Omnes calent,ſed calore è corde profectò. Oportet igitur rationem addere.*Quam rationem*,veterator ?

XVIII.

Inde converſus ad mutationes temperamentorum,*quæ fiunt à cauſis externis*,multa garrit, ſed quæ parum ad rem, plura & viliora de ætatibus, de quibus hoc unum eſt verum,*quo unumquodq; ortui ſuo vicinius,eò calidius.*

XIX.

In eo verò quàm ſe jactat, quod nullum temperamentum ſit dicendum ſanguineũ,bilioſum,&c.quod à partib.ſit petenda appellatio,non ab humoribus! Inventum hecatombâ dignum ?

Phy-

Phyſiologiæ Lib.IV.de Spiritib.& Calido innato.

LEMMA XX.

QVod modò negârat,id ipſũ ait heic *omniũ vivere calore.*Obſervatu verò digna claudicatio eſt,quod modò diſertè ait, *Divinum eſſe calorem*: modò timidiuſculus,*Non prorſus elementarium eſſe.* Ad argumenta de divinitate quia prolixè reſpondi tract.de Cal.& Spiritib.æquum eſt,me nunc quieſcere.

XXI.

Altera claudicatio eſt,quod *Spiritum à calore* ſeparat. Debebamus propriè loqui,& ita dicere,*Calidum nativum eſt ſubſtantia,in corde fixa & ſtabilis,quæ agens in ſanguinem,corde contentum*, producit exhalationem,quæ ſpiritus dicitur , qui ſpiritus in univerſum corpus diditur, & eſt quaſi accenſus,ut Scal.loquitur,omnium actionum. Ex his ſtoicos vult arguere,quos nunquam intellexit.Spiritum enim hunc vocabant *Animam*,quæ ſit à cœlo deciſa,adeoque divina. Hanc cum triplici corpore contineri ait,ſomniat.Neque enim ejus rei ullum veſtigium ap. immortalem Lipſium , in Manud. pronuper laudata. Arbitrarium etiam eſt, quod σῶμα θειότερον τῶν στοιχείων Ariſt.huc trahit. Eſt enim analogum tantùm,ut ſe explicat,Planè oratorium eſt,quod de ventriculis cerebri,& attracto aëre affert.

XXII.

Amplius delitiatur, cùm cap.3.triplex nobis humidũ oſtendat, *oleoſum, alimentarium,& continuativum*, pro quibus omnibus nec ciccum interdium , ut cum Plauto loquar.Amplius cum cap.4 primum & oleoſum illud *Humidum primigenium* vocat,& docet,quomodo reliqua duo illi ancillentur.Reverà,nihil aliud heic eſt, quàm fruſtranea entium multiplicatio. Humidum primigenium nihil aliud eſt , quàm ſubjectum Calidi nativi,ὄγκος ille, qui cum λόγῳ facit unum τόδε τι,ut alibi locutus ſum. ideri poſſit & c.ſ. latére multiplicationẽ quandã:verùm cum doctr nam Gal.ſapiat triplicitas illa in ſolidis partibus animadverſa, finimus.Idem dicimus de humoribus ſecundarijs. Vtrinque enim ſubtilitates ſunt, quas Medicus nullo ſenſu attingit.

XXIII.

Ejuſdem communis eſt ſubſtantia Calidi innati,quam quærit,cap.6. non in corde ſolo , ſed in partibus ſolidis ſeu ſpermaticis , quas facit exὄγκῳ ſeminis paterni. Verum enim verò,ut ὅλῳ τῷ παντὶ σφάλλεσθαι in materiâ fibrarum : ita in ſubtegmine,quod ex ſanguine materno abſolvit, & ſubſtantiam carnoſum vocat.Quo loco promo ſcutum meum inſuperabile,unum , quà unum,& dico,ſi ſemen paternum habet rationem principij activi, non poteſt ſimul habere paſſivi.Hoc in æternum nemo extorquebit mihi.

XXIV.

Sed quid eſt *Natura*,de quâ cap 7.Reverà,in generatione quidem *ſemen paternum*: poſt generationem autem *Calidum nativum*.Differunt enim hæc duo non niſi κτήσει,ut ſæpè dixi ex Bonamico.

XXV.

Rectè philoſophatur cap. 8.infantem primâ nativitatis die Calidum nativum validiſſ.habere , quod ſemper inclinet uſque ad mortem. Sed à quo id fit? certè non à ſeipſo,ſed à cauſis externis,omninò,à ſex rebus non naturalibus. A

 quibus

quibus ſi contingat incandeſcere vel ad febrim uſque, vel paulò inferius, jam dicitur *calor acquiſitius, externus, præternaturalis*. Non quod duo ſint calores: ſed quod unus ille gradum ulteriorem acquiſiverit. Sunt tamen heic difficultates non contemnendæ, de quibus in pathologicis. Hinc pendet, quod *Calidum nativum* vel intenſius ſit, vel remiſſius pro varietate & temporum anni, & regionum.

XXVI.

Hypotheſis illa, partes ſolidas fieri ex ſemine paterno, tanquam ex materiâ, neceſſitatem nobis imponit admittendi ſpiritus inſitos. Ego verò ſemper judicavi, non habere locum ullibi. Oppoſitum enim eſſet in adjecto.

Phyſiologiæ Lib. V. de Animâ.

LEMMA XXVII.

Dico abſolutè, Anima ad Medicum non pertinet. Quæ heic habentur de facultate vitali Gal. abundè diſcuſſa ſunt, Com. 2. de Thorace, alia alibi.

Phyſiologiæ Lib. VI. de functionib. & humoribus.

LEMMA XXVIII.

HEic non poſſum non commemorare, quod accidit, cum, ita volentibus negotijs, interquiêſſem aliquandiù, ſupervenére mihi cogitationes de relinquendo odioſo hoc negotio. Quid enim lucraberis, dicebam, inſterquilinio iſto? Fortaſſis unionem aliquam reperies? Fortaſſis non? De ſuperioribus ut nihil dicam: qualis eſt hæc inſcriptio? quomodo cum rerum naturâ conſentit? eſtné ſola nutritio facultas? Imò eſt cumulus, qui ſequitur. Et quid hactenus boni inveniſti? In ordine chaos? in rebus, parùm aut nihil. Cum ſtiterunt ſe mihi Cratones, Falloppij, Montani, Mercuriales, Rondeletij, alij, qui gruum inſtar obſtrepebant! Tu homuncio, vis contemnere, quod totum ſæculum approbavit? quod adoleſcentibus tam ſeriò commendavimus? Ignoſcite, viri magni! & reſpondete, annon licet mihi à vobis diſſentire, ſicubi principia phyſica aliud volunt? ſicubi dependentia à principis per vim aliò me rapiunt? Conticuére omnes, intentique ora tenebant! Quibus ego, Hem vobis, heic à latere mihi ſtat ADRASTEA, divinæ juſtitiæ adminiſtra, quæ in VERITATIS quidem defenſione non ſinit me torpeſcere vel unicam horam: in Mendacij autem perſecutione uſque uti & capiſtro, & regulâ fabrili. Proinde vel invitis omnibus vobis, ſcribo, dico, quin clamo, vociferor, uſque dũ aures vobis obſurdeſcãt. Et quia tantoperè cõfiditis Herculi veſtro, dicite, ſi omninò facultates à functionibus ſeparari non poſſunt, an propterea confuſa eſt illarum diſciplina? nec poteſt uno loco explicari? Sed ſit: cur non præmittit catalogum functionum? cur ſubitò illotis manibus irrumpit in actionem nutritoriam? cur non dicit, quod ſint coctiones? cur non explicat facultates miniſtras ventriculi, ab omnibus decantaras? quid ſibi vult ſubtilitas illa, Non eſt coctio, ſed præparatio. Quę præparatio verò? Cum ille ſileat, dicam ego, *ἀναστοιχείωσις* quædam, ſeparatio partium minimarum à minimis, ut vaſa meſeraica accipere poſſint, utile quod eſt, & relinquere, quod inutile. Hoc omnes homines vocant coctionem, &, cum ſentiunt gravitatem, dicunt, ich hab nicht abgedäuet. Harum ſtipularum quantus eſt acervus? quibus colligendis & deſcribendis qui vacare volet, illum citius charta deficiat. Vobis, quibus otium celebrandis ineptijs, ineptire etiam liceat amplius. Ego poſthàc ſaltuatim agam, ne prorſus deſim officio.

In

XXIX.

In hoc ſapit Fernelius (*κατοῤθώματα* enim ſupprimenda non ſunt, ſicubi controverſiæ ſint) quod concedit, ventriculum, oſſa, alia, ali ſanguine, quia credit oculis ſuis, ſecus quã alij cœleſtes. In ſolvendo autem problemate, cur deſinat fames ingeſto cibo, nondum in chylum mutato, hæret inter ſaxum & ſacrum. Ego alibi me expedij, eſt ventriculus agens naturale, quod ſemper requirit materiam, in quam agat, tu puta, ratione officij publici. In inteſtinis patitur quid humani, cum & ſanguine nutriri ait, & chylo. Interim verum eſt, in Meſaraicis ſemper ſimul contineri chylum & ſanguinem.

XXX.

In hoc ſapienter agit, cum concedit, diſtributionem chyli ratione potius quàm ſenſu cognoſci. Non enim hiant ad inteſtina manifeſto foramine, multò minus valvulas habent.

XXXI.

Quàm inſidioſa & fallax ſit inſcriptio, cap. 3. conſideremus age. *Sanguinis, ait, & humorem in jecore procreatio.* Neſcio ſanè quis genius, certè non Hipp. noſtri, cum perſuaſiſſet Galeno, ex notho libello pſeudo-Hipp. de Nat. hum. conſtare nos ex 4. humoribus, ijſdemque nutriri, ſanguine, pituitâ, bile flavâ, & Melancholiâ; Ariſt. verò firmiſſimis rationibus demonſtraſſet, ex ſolo ſanguine nos conſtare, ex eoque ſolo nutriri: conciliatores ſupervenére audaciſſimi juxta & perditiſſimi, qui auſi ſunt dicere, idem dictu eſſe, Sanguis & Humores. Hoc quamvis vel puero falſum apparere poſſit; ita tamen convaluit, ut communis eſſet ſententia, quam Gal. etiam profeſſus eſt, quamque mordicus tenent hodiè omnes Medici. *Ego* verò cum nunquam potuerim mihi imaginari *ἀδύνατον* hoc in primis ſtatim prælectionibus Phyſiologicis, ex ipſo Ariſt. auſus ſum me opponere, & duo probare, alterum quidem, ſolum ſanguinem nutrire: alterum autem, cæteros humores, utpotè excrementa, & ſanguini contrariè oppoſita, neutiquam nutrire. Hàc in re cum hucuſque conſtans fuerim, adeò mihi fraudi fuit, ut inimici mei concitârint contra me unum atque alterum Candidatũ, ut in os mihi dicerent, adeòque cauſam, quod malè ſtetiſſent in examinibus, in me cõverterent, Quis tibi ſatisfaceret, qui contra conſenſum omnium Europæ Academiarum ſtas! Conſenſus ille nihil præſcribit VERITATI. Veniat vel unus ex omnibus Academijs, qui reſpondeat argumentis meis, & herbam porrigam.

XXXII.

Dato uno inconveniente ſequuntur infinita, vulgi dicterium eſt. Horum unum, idq; benè vaſtũ eſt, quod cap. 4. præfert, utrum omnes illi humores ſimul gignantur, & ab uno eodemque calore! Fernelium eò neceſſitatis adigit hypotheſis, ut rem ad chyli heterogeneitatẽ referat. Credat Iudæus apella: Sed & ubi crediderit, non propterea res facta erit. Vnus, inquam, effectus ex cauſis contrarijs.

XXXIII.

Simplex hiſtoria diſtributi ex hepate ſanguinis, rem non conficit: quid enim fit de ſanguine cordiali, quo de ſuprà? Et cur heic unius excrementi, urinæ, meminit, & quidem tàm parcè, tàm ruditer?

Et qui

XXXIV.

Et quis non miretur, jam demum proponi coctionum genera! quæque in ſingulis excrementa! quanquam ô, quis ordo, quæ confuſio rerum? Pudet!

XXXV.

Quis non amplius miretur, reſumi iterum c. 7. ſanguinem, & quidem illum in venis, ut loquitur!

XXXVI.

Quis non obſtupeſcat, recoqui c. 8. cramben de quatuor humoribus? faciem avertat à bilis, pituitæque differentijs, de quibus c. 9. verba ſunt reverà inania! ambubajarum collegium? cui tamen ſui applauſores non deſint?

XXXVII.

Quæ de calore noſtro ſcribit c. 16. vera ſunt, præterquam de pabulo. Nam neque ſolido alimento indiget, neque aëre: ſed refrigeratus tantùm durat, quamdiu poteſt. Hinc adeò pulſus & reſpirationis idem eſt uſus. Pulſus quidem, quatenus ſanguinem in omnes corporis partes propellit, ſimulque fuligines per extrema illarum oſcula emittit; reſpirationis autem, quatenus ſanguis ex dextro cordis in ventriculo in venam arterioſam (quæ ſubſtantiâ eſt arteria) excluditur, è quâ per mutuas anaſtomoſes in arteriam venoſam (quæ ſubſtantiâ eſt vena) recipitur atque in ſiniſtrum cordis ventriculum deponitur. In hoc itinere, & quaſi circulatione, deponit excrementa fuliginoſa in aërem externum. Vtrumque fit à facultate Naturali: (non vitali, quæ in rerum naturâ non eſt, ſi diſtinctam vis à Naturali) dum ignis heic artificioſus exercet duplicem ſuum motum, ſurſum per reſpirationē, deorſum per pulſum. Hoc intereſt inter utrumq; , quod pulſus eſt merè naturalis, & nullatenus in noſtro arbitrio: reſpiratio accipit aliquid animale, quod facit, ut modulari illam poſſimus, ut Cæſ. loquitur, idque propter vocē & ſermonem, ad quem ſapientiſſima Natura utitur aëre attracto. Hæc veritas eſt, contra quam ne portæ quidem inferorum quidquam valent. Multò minus illa, quæ Fernel. in fine cap. 8. crepat.

Phyſiologiæ Lib. VII. de hominis procreatione.

LEMMA XXXVIII.

HEic inprimis eluceſcit Ferneliani ingenij vis modica, quod non ſatis explicare poteſt cauſam, cur Natura parens ſecuerit animalia in ſexus? nec ab uno individuo petierit perpetuationem ſpecierum, ut plantis? plantarum actiones ſunt paucæ, Nutritio & Generatio: ideò ab unâ plantâ ſemen confici potuit tale, quod ſufficeret. Animalium ſunt plures, & ſuperiores; ideò opus fuit mare quidem, qui efficiens daret & formam, fœmina autem, quæ materiam. Rurſus, cum fœmina præbere deberet multum materiæ, debuit habere calorem tantum, quantus ſufficeret generandæ illi, non diſcutiendæ: contrà, cum mas parum deberet conferre, ſed efficax, tam vegeto debuit eſſe calore, ut excoquere poſſet ſemen eouſque, ut fiat analogum τῷ τῶν ἄρρων στοιχείῳ, ut Philoſophus loquitur. Mas igitur generat dando aliquid fœminæ efficiens: fœmina capiendo, ſimulque materiam tribuendo.

XXXIX.

r Heic etiam judicium deſideres in Fernelio. Qui enim c. 1. ſemini maſculo manifeſtè tribuit vim efficiendi: c. 2, non minus manifeſtè dicit, ex ſemine fieri partes

partes ſolidas, vel, quod idem eſt ſemen præbere materiam partibus ſolidis. Cauſa erroris in eo latet, quod non diſtinguit vaſorum ſpermaticorum officium publicum à privato. Vaſa ſpermatica generare ſemen, verum eſt: ſed quatenus ſerviunt ſpeciei. Interim, ejus ipſius ſanguinis parte alterâ nutriuntur. Quod verò ſemen, quod jam habet rationem τῷ λόγῳ πλαστικῷ ἢ δραστικῷ, non poſſit ſimul habere rationem materiæ ſeu ſubjecti, ex eo patet, unum, quà unum, non ſimul agit & patitur, non ſimul eſt, & non eſt. &c. Id ipſum ſemen in ſolis vaſis ſpermaticis diutinâ morâ fit, è quibus etiam ſolis ἐν συγκοπῇ exſilit, non autem ex omnibus totius corporis partibus ſolidis.

XXXX.

De teſtium uſu cum multa dicat: non habet tamen, ubi ſe firmet. Ego oſtendi alibi, ex quæſt. natur. Jacch. ſequi hæc miracula teſtes, non quà teſtes, ſed quâ in συνκοπῇ vehemens eſt motus totius corporis. Ariſt. excuſavi 4. de Gen. hom.

XXXXI.

Seminis vim & facultatem non melius ille depinxerit, quàm ex Ariſt. 2. Gen. 3. quod habeat in ſe τὸ καλούμενον θερμὸν, in quo ſit natura quædam ſpiritûs, analoga corporib. cœleſtibus. Quo ipſo loquendi modo perierit divinitas & æthereitas Ferneliana, ut alibi deduxi. Cum hoc ipſo formæ deſinunt eſſe divinæ. Sunt enim elementares, perinde ut ſemen ipſum. Fern. verò ex Stoicâ diſciplinâ cœlum admiſcet.

XXXXII.

De fœminarum ſemine fruſtrà palpitat c. 6. verum ſemen fœmineum eſt ſanguis menſtruus, de quo c. 7. ubi quæ de malignitate ipſius aſpergit, ſunt corporis p.n. conſtituti. Quæ ſequuntur, πολυθρύλλητα ſunt, & pertinent ad libros de Gen. hom., unde petat, qui voler.

Pathologiæ lib. I. de Morbis, & Cauſis eorum.

LEMMA XXXXIII.

CReditum fuiſſe hactenus à multis bonis, Gal. tradidiſſe definitionem Morbi eſſentialem; me verò principio Animadv. Mont. probaſſe, nominalem tantùm produxiſſe: ſcripſi ſuprà. Jam cum ſtupore inæſtimabili video. Fernelium non idem tantùm velle, ſed & uti mecum ijſdem penè verbis, Gal. ſcil. loqui impropriè, & non ad Ariſt. mentem, adeòque διάθεσιν ipſius non eſſe in ullo prædicamento, ſed (ut o verbo) Tranſcendētale, ut ego locutus ſum cum quibuſdā Neotericis. Hoc cur non viderūt Montanus, Pacius, Scherbius, triga nobilis? Neſcio, niſi quod omnes ſumus homines. Vocat autem διάθεσιν Latinè *Affectum*, ſeu *habitum, qui ſtabilis ſit*, & cōtra diſtinguit ἀπὸ τῷ πάθος, ἢ πάθημα, quod *Habitudinem, Affectionem, & Perpeſſionem*. In illo eſſe *factum quid*, quod morbus vult: in hoc non eſſe tale quid, ſed impreſſum tantùm veſtigium. Vt intelligas, heic cauſam leviter tantùm egiſſe, ut, ablatâ illâ, auferatur totum: illeic tantum effeciſſe, ut ablatâ etiam causâ, duret effectus. Definitionem ipſe facit talem: *Morbus eſt affectus contra naturam, corpori inſidens*. De qua quid judicârit Scherbius, vide χρ. παθολογ. cap. 14. cæterum, quia c. ſeq. diſtinguit ille τὸ *contra naturam* ab altero *præter naturam*: videri eà de re poteſt Ill. Sennertus 2. Inſtit. 2.

)()(Pro-

XXXXIV.

Protervus incipit esse Fern. cum c. 3. vetustissimam Hipp. partium divisionem diruit, & accommodat rebus tribus p. n. alapâ profectò res digna! Quid? quod ad ἀναμώντα committit cum τοῖς ἰχωρώδεσι? Quid? φ substituit illis τὰς ὑπηρεσίας, functiones. Quasi verò absque hoc dispendio non potuerit propalare putidiss. sophisma, Morbi quidem subjectum τὰ ἔχοντα esse: causæ autem τὰ ἰχώρματα! symptomatum tandem τὰς ὑπηρεσίας! Et quàm novitatem redolet, symptomata habere subjectum! cum morborum sint ἐπιγεννήματα! accidentia! Cur non morbi potiùs sunt subjectum symptomatum? Quid verò placet illud, Morbum esse in solidis tantùm, non etiam in humoribus? Quid enim fiet de febribus humoralibus? quibus solis puto profligari posse hoc commentum. Et unde natum est illud, Quandoquidem in partis substantiâ non inhærescunt? Sabini, quod volunt, somniant, dicebatur olim: nunquid de Gallis dicetur in posterum? Fortassis subodoratus erat tale quid, ideò *luculentius explicandum sumit*. Ille verò obscurat. Non calculus, non lumbricus, non quidquid alieno loco continetur, est morbus: calculus, lumbricus, hoc loco situs, dispositionem, quæ est morbus, facit. Hoc ipsemet dicit, *sed neque partes ipsæ, &c.*

XXXXV.

De neutro statu præter rationem solicitus est. Latitudo enim sanitatis, & Arist. & Gal. dicta, longè melius explicat rem. Et spectatur illa, non in progressu ætatis tantùm, sed & in modò natis, ut suprà dixi.

XXXXVI.

In morbis similaribus insignis est novator & erro. Præter enim temperamentum ponit & materiam & formam. In materiâ collocat secundas qualitates, quod novitatem sapit. In formâ morbos totius substantiæ, in quo & novitas & error. Totius substantiæ novit Gal. & est res plane: ille verò aliorsum it, totam substantiam vocans *& insitum spiritum, & divinum illius calorem, & facultates, ipsamq; formam*. Quâ congerie quid turpius? Turpior verò fit, cum concludit sub illam malignos, pestilentes, contagiosos, venenatos, & fortè alios. Mihi disputatum est de illis sub nomine *Rejectaneorum*, Lem. 55. nec revoco.

XXXXVII.

In morbis dissimilaribus sic satis fungitur officio, si duo demas. 1. Non satis certus est, quid sit organum, instrumentumve. 2. Morbos compositionis, συνθέσεως vocat, quos θέσεως situs debebat, deceptus vitio codicum, quâ Græcorum, quâ Latinorum, de quo ego olim Notis in Gal.

XXXXVIII.

Averrois ratio contra morbum communem, nec nimis valida est, nec accurata. Sino.

XXXXIX.

In causis morborum c. 11. planè puerilis est Fern. Quis enim credat rei p. n. vel finem vel formam esse? Sola efficiens & materia locum hoc habet. Efficiens vel προκαταρκτικὴ vel προηγουμένη est, eo respectu, quo Sennertus in Instit. explicat. Continens nulla est, quamvis Fern. stuporem mihi objecturus sit.

L.

In evidentibus ca. 12. oratorem agit, Sufficiebat auditori, aut fortuitò nobis occurrunt, & nulla illarum scientia est: aut necessariò, & sunt sex res non naturales dictæ.

LI.

Inter has Aëris usus nimis latè extenditur, cum ad spirituum generationem trahitur. Vniversalis ipsius usus est ad refrigerium Calidi nativi. Si contingat tempora non esse tempora, ut Hipp. loqui solet, hoc præcipuè sentit malum: si præterea μιάσματι quibusdam vitietur, extremum malorum est.

Pathologiæ Lib. II. de symp. & signis.

LEMMA LII.

TRium receptorum symptomatum usitatiora nomina sunt Actiones læsæ, Qualitates mutatæ, Excreta & retenta. In horum causis exquirendis non ero molestus Fernelio. Ab hoc ternario pendet tota σημειωτικὴ. Quam ut constituerim, notum est ex Instit. Nec plura addo.

Pathologiæ Lib. III. de puls. & urinis.

LEMMA LIII.

IN his insumitur maxima Simiotices pars. Solet quæri, ex utro certiora signa sunt? Mihi placet vetus illud, *pulsus bonus, urina bona, æger moritur*. Ita contrà, aliquando pernicioſa videntur, cum extra malum sint. Quâ de re legas licet extremum libri de Præcog. ad Posth. & Sylvat. Hist. 37. Quam si sciviſſet Argent, non ita accidiſſet illi ad animum pulsus intermittens.

Pathologiæ Lib. IV. de febrib.

LEMMA LIV.

HEic iterum contra ordinem peccat Fernelius. Cum enim, ut mox dicit, calor naturalis sit duplex, hac præmissa distinctione, dicere sine periculo cõfusionis poterat, Febris est calor p. n. è corde in omne corpus effusus. Et mox, insitus exsuperare non potest. Est autem in illo quidem offendiculum, quod ait, origine cœlestem esse: in hoc, quod adsit instantia, inflammatio, adeóque omnis calidus tumor, p. n. est febris particularis. Cæterùm, cum triplicem calorem p. n. quia alibi pro nugatoria declaravi, sit nunc ita. Qui defendere volet, prodeat.

LV.

Pauperculum est, calorem febrilem, non per arterias tantùm dispergi, sed & per venas, ut hodiè distinctè loquimur: non tamen negligendum Peripatetico. De definitione ipsâ febris non laboro. Est enim inutilis in arte.

LVI.

Insigne novationis exemplum est in differentijs febrium. Nec causam dicere potest, cur pessumdet veterem differentiam, secundùm triplex subjectum. Prætereà, si datur simplex febris, cur non datur composita quoque? hoc loco, inquam? Nec intelligere unquam potui, cur calor cordis, qui sup. cap. Cœlestis erat, jam sit elementaris?

LVII.

Concedo quidem ita volentibus, Ephemeram esse in spiritibus: sed in rei veritate est in parte tenui ore sanguinis, eaque φλόγωσις superficialis, qualis olim mihi in balneis Aponitanis contigit. An autem talis febris necessariò præcedat putridam, id experientiæ commendandum est. A me si quæris, dicam, nullam esse

necessitatem.

LVIII.

In ſynocho tenebras nobis offundit Fern. Re. enim verâ eſt febris accidentalis, ut ſic dicam. Si enim contingat. φλόγωσιν illum durare ultrà diem naturalem, quod nomenclatura ipſius vult, ad biduum, triduum, uſque ad ſeptendium, dicitur σύνοχος πυρετός, non συνεχὴς, Cõtinens Latinis, non *Continua*. Hoc temporis ſpacio ſi accedat putredo, h. e. ſi ex calore miti fiat acris, antè quidem erat ſynochus imputris, jam autem fit putridus. Hic triplex eſt ratione temporis, & dicitur vel ἐπακμαστικὸς, *ingraveſcens quotidiè*: παρακμαστικὸς *decreſcens quotidiè*: ἰσότονος, *in eodem tenore perſiſtens*. Heic moleſtam ſarcinam imponit nobis Fern. *Synochum nothum*, cum ſanguinis eſt bilioſior. Eſt veteribus ignotus, & dicitur *ſynochus* ſimpliciter, quæ aliàs *Febris ſanguinea*.

LIX.

Heic alias exſpecto tenebras. Quia enim ſynochis copulat *Continuas*, ſocium ſe facit eorum, qui confundunt. Ita enim eſt, cum de *Continuis* ſermo eſt, oportet ſe ponere *ſynochos*, & ſinere cum *Ephemeris*. Nam neque putredo propriè dictą heic eſt, ſed ſola effervescentia. Inter eos, qui copulant & Sennertus eſt 2. Febr. 2. & Foreſtus, & alij.

LX.

Heic in promtu alię ſunt. Satis quidem firma eſt diſtinctio inter συνόχους, *continentes*, & συνεχεῖς, *continuas*: ſed tamen ſunt, qui *continentes-continuas* nobis fabricant, & ſunt illæ, quas concluſas c. 7. Fernelius vocat. Hæ quidem ad ἀπυρεξίαν non perveniunt: ſed tamen vel alternis diebus, vel tertio, vel quarto habent quaſdam exacerbationes, unde ἀμφημερόφυεις dicuntur, ἰριταιοφυεῖς, τεταρταῖοφυεῖς, ignari, *Quotidianas-continuas*, *Tertianas-continuas*, *Quartanas continuas*. His vicinæ ſunt *Symptomaticæ*, continuæ quidem & illæ, ſed ab inflammatione viſceris alicujus. His iterum *Catarrhales* quædam, ut ſcripſi in Poſt-curis.

LXI.

Inveſtigatio cauſæ *periodicationum* (ut barbari loquuntur) *febrilium* compulit quoſdam dicere, Materiam febrium intermittentium eſſe extra vaſa, & in habitu. Hos quidem ſufficienter refutat Fern. c. 9. at in causâ propriâ, ut & in causâ frigoris, horroris, & rigoris, infelix eſt. Quæ mihi meditata ſunt olim χρ. παθολογικῆς parte illâ, quæ de Febribus non repeto.

LXII.

In Hectica cap. 16. hoc notandum, quod rectè quidem ait, conſiſtere primum in Calido cordis ἐμφύλῳ: deinde populari calidum partium ſimilarium σύμφυλον. At minus rectè, cum poſteà ſubdit, partes ſimilares duplicem eſſe calorem, divinum & elementarem, quorũ hic quidé patiatur, ille non, niſi diu pòſt.

LXIII.

In malignâ & peſtilenti febre non intelligo, quomodo quædam ſolitaria ſit & ſine putredine! Contagium enim ſeu νόσερὰ ἀπόῤῥοιαις Hipp. ſubitò parat profundam illam putredinem, quæ nullis cedit medicamentis. Fortaſſis melius feciſſet, ſi ex hypotheſi ſuâ addiſſet μιάσματα ſua cœleſtia, contra quæ pugnat Pereda l. 2. in Paſch. 9.

LXIV.

In quæſtione, utrum febris ſit prior bubone, carbunculóve, an contrà? ita ſtatuo,

ſtatuo, aut corpus eſt diſpoſitum ad febrem, aut non eſt? In priore caſu fere ſubitò ingruit febris, in quâ vel citius vel tardius oſtendit ſe tumorum alteruter, pro robore & imbecillitate naturæ. In poſteriori oſtẽdam rem in exemplo. Anno 1632. in obſidione Noribergenſi febricitavit quidem & uxor & alterutra filiarum, ſed ſine ſigno, ut loquuntur: verùm cum ſubitò venam ſecarem, & alexipharmaca adhiberem, per gratiam divinam, reſtituta fuit utraque. Ego ſeniculus cum vagater inter infectos, ſenſi quodam veſperi in interſcapilio quaſi ictum ſubulæ. Admotâ manu, animadverti tumorem exilem, ſed ſine alio ſymptomate. Exactâ ſatis commodè nocte, cum manè ſisterem me chirurgo, altero tanto major fuit, & lividus, ut ille ajebat. Adhibitis igitur commodis remedijs, ego quidem ὀρθοστάδην manſi: tumor autem ſpontè ſe aperuit. Servavi igitur apertum ultra menſem, &, per gratiam divinam, evaſi.

Pathologiæ Lib. V. de Morbis & ſymp. part.

LEMMA LXV.

DOloris cauſas rectè facit duas Fern. ſiquidem concedit, tandem ad unam, ſolutionem continui, veniri.

LXVI.

In *affectib. ſoporoſis* valdè variant antiqui. Quantũ mihi compertum eſt, res ita habet. *Apoplexia* inter hos locũ non invenit, vel judice Fern. Trahitur autem huc, cum *Carus* gravior incidit, qui tanto cum ſtertore eſt, cum quanto *apoplexia lethalis*. Quando verò id accidit? Quando facultas animalis, quæ ad complementum reſpirationis naturalis concurrit, ita ligatur, ut calori ebullienti ſubſervire non poſſit. Hoc fit vel à vaporibus, vel à ſanguine. Cum *à vaporibus, Carus eſt*. Δηλοῖ δ' ὕπνος, inquit Hipp. Diſcuſſis enim vaporibus Carus habet finem, & ſanus eſt æger. Cum *à ſanguine, Apoplexia* eſt, quæ vel in paralyſin deſinit alterutrius lateris, vel in mortem. Et hæc eſt ſolutio difficilis illius quæſtionis, cur in hoc affectu, perdito omni motu, ſolus thoracis ſervatur? Quia carere ille Natura non poteſt abſque exſtinctione calidi nativi. Luctatur igitur, quamdiu poteſt. *Primus* igitur affectus ſoporoſus eſt *Carus*, iſque cum læsâ reſpiratione. Nec dignoſcitur niſi à poſteriori. *Alter* eſt κῶμα ἢ καῦφορὰ, nullatenus læsâ reſpiratione cum, ægri difficulter excitati perpetuò delabuntur in ſomnum, modò cum, modò ſine febri. *Tertius* eſt κῶμα cum adjectione ἄγρυπνον, ἢ ὑπνώδες, cum ægri videntur dormire, ſed non dormiunt, loquentes interim delira, & jactantes ſe in lecto. Tali ego affectu cum laborarem anno 1628. ex graviſſimâ deſtillatione, habebar pro depoſito ab omnibus, excepto ſolo IVNGERMANNO. *Quartus* eſt Lethargus, voce quidem πολυσήμῳ, ſed quam omnes cum febre intelligunt. Ego dixi ſententiam in χρ. παθολογ. videri eſſe τυφομανίας veterum, cum phrenitici ex tumultuoſis fiunt ſedati, tum videlicet cum conclamatum eſt. *Quintus* eſt κάτοχος ἢ κατοχὴ, qui & κατάληψις, quem Fern. heic confundit cum *Comate vigili*, fortaſſis quia neutrum affectum viderat, ut neque ego *Catochum*. Verùm ſi talis eſt, qualem Gal. Eraſtus, alij deſcribunt, non magis eſt ſopor quàm apoplexia. Idem dico de ἀπλήξει 7. Aph. 14. Non enim, ſi qui ex ictu aut caſu in caput ſtupent, dormiunt, ſed falsâ ſomni imagine decipiunt adſtantes.

LXVII.

Non inſuper habendum eſt, quod Fern. ipſe monet cap. 3, loqui ſe de Epile-

pſiæ, non cujuſvis, ſed *abſolutæ*, ſymptomatis. Hanc fieri ait h. l. ab obſtructione cerebri ventriculorum, quam *ingens copia pituitæ aut melancholiæ cauſetur* : ſed addit 2. Abd. 16, venenatam qualitatem, adeòque *morbum Formæ* conſtituit. Tu verò animadverte etiam προσθήκην illam. *Hæc tamen non affatim, &c.* Hæc enim eſt *ſemi-obſtructio*, quâ illam contra diſtinguit ab Apoplexiâ, & quam refutavi Animadv. Mont. cap. 10.

LXVIII.

Incubi cauſa non eſt vel pituita craſſa, vel melancholia, ſed craſſus & aduſtus ſanguis. Hoc in me juniore aliſque vidi. Cum opus eſt venę ſectione, moleſtus eſt incubus : cum facta eſt, deſinit ſubitò.

LXIX.

Apoplexiæ pariter non eſt cauſa frigidior pituita (Practici vulgò melancholiam addunt) ventriculos cerebri omnes affatim opplens (neque enim viſum fuit tale quid in apoplecticis poſt mortẽ) ſed ſanguis. Torcular Herophili occupans, & diſtributionem per ſubſtantiam cerebri, & conſequenter nervorũ, impediens, ut Nymannus in pecul. tract. Witteb. 1629. oſtendit. In eâdem falſum eſt ſignum, quod fixos oculos habeant : Imò clauſos habent. Hinc imaginatio ſomni, & opinio affectûs ſoporoſi.

LXX.

In paralyſi pariter nego opus eſſe craſsâ pituitâ : imò verò tenuis eſt, &, ſi propriè loqui volumus, eſt ſerum ſanguinis, quod irrigando & condenſando membranoſam nervi ſubſtantiam, facit, quò minus ſpiritus penetrare poſſint. Et hæc cauſa ſufficit & ſenſui ſoli auferendo, imminuendoque, & motui ſoli & utrique ſimul, uno verbo intemperiem frigidam & humidam cauſando. Hinc cum poſt longam curam, ſentitur ſpiritus influere ſub imagine formicarum reptantium, redit valetudo. Toto hoc tempore malum eſt indolens. Dicis, unde ergò in quibuſdam eſt dolor? In Evangelio certè, Matth. 8. ὁπόθεν τῷ ἑκατοντάρχῃ δεινὸς ἐδεδαιμόνιζετο? An fuit paralyſis, non vulgaris, ſed illa, quæ ex Colicâ degenerat? Hanc enim novum morbum eſſe, & tempore Paulli (is ſub Arcadio & Honorio vixit) primum viſam, tam non credo, ut putem fuiſſe morbum ancipitem Auguſti Imperatoris, à quo liberatus ſit ſolertiâ Antonij Muſæ, ceu probabiliter oſtendo in Poſt-curis meis. Accidit hæc paralyſis, non poſt quamvis Colicam, nec ubique locorum, ſed in tractu Rhenano, in Auſtriâ, in Vngariâ, & ubicunque potentia, & ſaxoſa, ut cum Italis loquar, bibuntur vina. Et accidit tum tantùm, cum in capite cumulantur calidi humores, qui illapſi in nervos, causantur acerrimos illos dolores. Hoc primum docuit me ὁμώνυμος meus, CASP. HOFMAN, Archiater Brandenburg. in Conſ. Scholtzij, Sed qui ſunt humores illi calidi? Aut bilis, aut, quod propius verum eſt, ſerum ſanguinis in cerebro falſefactum. Moriebatur hoc morbo ſuperioribus annis ad Rhenum magnus quidam belli dux, de quo clamabant, *Venenum accepit!* Imò dicebam, ſiquidem generoſa vina Alſatica ſunt venena!

LXXI.

Admiratione dignum eſt, quod, poſtquam Cæſ. 2. Quæſt. Med. 16. Convulſionum doctrinam luci meridianæ expoſuit, homines tamen noſtri reſtitent! Pejus faciunt, qui Repletionem & Inanitionem Hipp. adhuc crepant! Peſſimè, qui Eraſti opinionem, ab omni probalitate longiſſime remotam, amplexantur! Ego feciſſe

feciſſe mihi videor officium boni viri Animadv. Mont. cap. 9. & ſeq. Quod quibus ingratum eſt, navigent Anticyras.

LXXII.

Diſtinctio catharrhorum in interiores & exteriores, multis modis eſt manca. Hoc indicâſſe ſufficiat. Oculorum, aurium, faciei morborum exactiorem catalogum nemo à me exſpecter. Neque linguæ, fauciumque, &c.

LXXIII.

Inter pulmonis morbos qui hydropem heic haberi volunt, incauti ſunt. Fit enim tum tantùm, cum aquæ in abdomine tanta eſt copia, ut continendæ illi non ſufficiat. Inter cordis affectus reponendus erat Syncope cardiaca, aut etiam Cardiaca ſimpliciter dicta, cum cor ſuffocatur in ſanguine ſtagnante, quâ de re ego ſæpiculè.

Pathologiæ Lib. VI. de Abd. morbis.

LEMMA LXXIV.

Βούλιμος in Medicinâ longè aliud vult quàm id, quod nomen præ ſe fert. Vide Gal. 2, Aph. 21. & præ cæteris Maſſ. 3. Pract. 8.

LXXV.

Monenduseſt Fern. aut omiſiſſe aut confudiſſe Choleram humidam & ſiccam. Hanc poſt, ut in me expertus ſim, narro in χειροπαθολ.

LXXVI.

Κακοχυμίαν de ipſo hepatis affectu non memini me legere. Contrà de humorum intemperie, ex hepatis intemperie orte, frequens eſt acceptio, de quâ inter alios ego quoque in Poſt-curis. Διαφθορὰ τῆς ὑγιείας eſt etiam morb. hactenus mihi incognitus, fortaſſis alijs quoq; mei ſimilibus. Videtur autem innuere potius quàm dicere, morbum eſſe formę, nõ diſſimilem phthoæ in pulmonibus, quò manifeſtò inclinat in extr. cap. Ita ἐν ὑπάτοις ἀτονίαι obſcurus eſt. Prodet autem ſe, cum ita affectos propriè Hepaticos dici vult, loqui ſe velle de cruentis dejectionib. illis, in quibus excrementa ſunt ſimilia aquæ, in quâ recens mactatæ carnes ſint ablutæ, ut Gal. loqui ſolet, *non autem, in quibus chylus vacuatur.*

LXXVII.

In obſtructione, tumore abſque ſcirrho, ſcirrho ipſo hepatis tranſpoſitionem interveniſſe puto. Hoc enim ordine ſe conſequuntur, quo ſcripſi. Puto etiam, explorationem, quæ tactu fit, in poſterioribus potius locum habere, quàm in priore. Gal. enim in de Loc. aff. expreſsè dicit, niſi magna ſit obſtructio, manui non occurrere.

LXXVIII.

In diſtinctione inflammationis hepatis & pleuritidis dextræ opus eſt curâ attentiſſimâ. Cujus rei hiſtoria clariſſima eſt 5. Loc. aff. de Medico Siculo, ubi vide Sylvat. hiſt. 42.

LXXIX.

Perquammirum accidit mihi. Fernelium c. 5. proponere morbos in cyſti fellis, & c. 8. demum agere de *Ictero*, inter morbos hepatis & lienis! Habet *Icterus* difficultates inſignes, de quibus conſulendæ tibi fuerint χειροπαθολογικαὶ noſtræ. Iam hoc exquiro, cur calculus in hac cyſti genitus aquæ innatet? An argumento eſt,

non

non poſſe illum gigni ſine pituitâ, quæ ſi ex exhalationibus calidis & ſiccis inſtar materiæ, quâ à calore loci abſumtâ, pumex fiat? An idipſum φαινόμενον impugnat ſententiam Cæſ. Scherbij, aliorum omnium, qui calculos faciunt ex ſolis exhalationibus calidis & ſiccis? Ego enim in d χε. pertendo, d. exhalationes habere quidem rationem cauſæ efficientis, ſed cui per materiâ ſubjiciatur pituita, & hinc eſſe, quod exhalationes in omnibus ſint, calculi non ſint in omnibus. Videant autem Practici, an verum ſit, quod Fern. ſcribit heic, per recenſitos ab illo affectus veſicam felleam prorſus exinaniri. Mihi improbabile videtur, defectum rei p.n. (bilis quæ excerni debet è corpore humano) tale quid cauſari. Iidem videant, an bilis exſuperantia facere poſſit ſymptomata, quæ ille ſcribit? Certè, ab alijs animadverſum nondum vidi. Iſdem, ſi libeat curioſis eſſe, videant, an vetus ſit diſtinctio in Icterum ſimpliciter dictum, & μέλαινα ἢ μελάγχλωρον? Ego quidem nego, ſed dicam nec Fern., nec cuiquam alij ſcribo.

LXXX.

Non immeritò magni facio diſſertationem Fern. c. 6. de morbis lienaribus. Quæ enim enumerat graviſſima ſymptomata, Ariſt. potius uſum ſequuntur, quam Gal. & id quidem duplici de causâ. Alterâ, quàtenus coctio quædam in liene celebratur, quâ læsâ, profectò inſigniter læditur œcononomia ventris inferioris. Alterâ, quàtenus excrementum ibi gignitur tale, quod per arterias ſplenicas facilimè communicatur corde, præſertim cum ſit analogum aceto, ut in 6. ſuis Viſcherus ſcribit. Puto autem indigitare illum Melancholiam hypochondriacâ, ſeu flatuoſam, fœcundiſſ. variorum ſymptomatũ generatricem, à quâ Proteus dicitur Mercuriali, alijſque practicis. Interim videtur in quibuſdam altiùs gradi, v. g. cum ſitim implacabilem tribuit viſceri huic inflammato, cum reſpirationem crebriorem & difficiliorem facit, &c. Crediderim autem fieri, cum ἀνάῤῥοπος potius eſt, quàm cum καπῤῥοπος (den Riebkuchen vocabant milites Vngarici, è quibus pauci evadebant) cum melancholia in atram bilim faceſſit, &c.

LXXXI.

Contrà, divinare Fern. c. 7. putẽ. Non nego, obſtructiones, tumoreſque varios in meſenterio latére poſſe: ſed ſuſpicione potius preſſum id ſcripſiſſe putem, quàm doctâ conjecturâ, niſi ſi eventus poſt mortem arguit, quod tamẽ dicere non audet. Ego verò moneo Practicos, præſertim ubi licet, in indagatione potius occultorum morborum occupentur, quàm moroſis diſſertationibus, quibus plerique oſtentare ſe malunt, oratores potius quàm Anatomici.

LXXXII.

Hypotheſi meæ inniſus affirmo, *Melancholiæ hypochondriacæ* locum affectum eſſe, non utrumque tantum viſcus, ſed & latum illud ſpatium, quod Meſenterium occupat. Eſſe autem tantò plures affectos locos, quò ſymptomata ſunt plura & ſæviora. Illorum præcipua ſunt à flatibus, in quibus diſcutiendis tantò minus proficimus, quò frequentiores ſumus in uſu calidorum. Frigidis enim, aut potius temperatis opus erat, interpoſitis ſubinde purgantibus levioribus, qualis *Tartari cremor*, qui inſignem heic prærogativam habet.

LXXXIII.

Αἱροφία καὶ καχεξία h. l. mihi ſunt ſymptomata melancholiæ hypochondriacæ, quàtenus in illâ regnant obſtructiones.

In

LXXXIV.

In hydropis ſpeciebus moleſta mihi eſt ſubinde repetita refrigeratio hepatis. Fit quidem ab illâ: ſed non ſolâ. Imò fit quidam ne affecto quidem alterutro viſcere, ſed renibus in officio negligentibus, quando non abducunt ſerum. Quod verò palmarium eſt, fit quidem à contrariâ causâ, calore ſcilicet colliquante, quem usq; repudiant vulgares Medici. Summa, non oportet intueri aquam tantùm, ſed & ſymptomata, quæ cum illâ. Ad calorem refero fiſſuras viſcerum Fernelii, indeq; ortas veſicas, quas tamen rarò fieri puto.

LXXXV.

Ἐμφαξις an dici poſſit, cum exſiccata ſtercora nõn deſcendunt, valdè dubito: στενοχωρία quidem eſt, cum à medicamento adſtringente, quale *Cydoniatum*, ſita corrugantur inteſtina, ut nihil deſcendat: ſed propriũ loci nõ eſt φλεγμονὴ craſſorum inteſtinorum. Cur non ſit una ex cauſis τῆς κωλικῆς διαθέσεως: Dolores ex affecto vel peritonæo, vel membranis abdominis dici non patior *Colicos nothos*. ἡ βεβαδύνσα διαχώρησις cur non jungitur τῇ ἐμφράξει, ſiquidem illa ex evidentibus etiam cauſis eſt? Ad has referri debet affectio contraria, ἡ ταχεῖα διέξοδος. Quæ quî differt à *diſpoſitione cœliacâ*? quî à *lienteriâ*? quî utraque harum à ſe invicem. εἰλεὸς καὶ τρόφος eſt *Colica* quædam, cum excrementa alvi per os exeunt. Hoc fieri διὰ τὸ εἰλῆσθαι ἢ τρέφεσθαι τὸ ἔντερον, nondum credo. Vide χε. παθολογικὰς. In quibus etiam in ordinem rediguntur diarrhœas cauſæ. στοχώρημα μέλαν eſt *diarrhœa* quædam. σηπτήξεις τῶν ἐντέρων tam veræ ſunt, quàm vera eſt *diarrhœa* quædam. *Dyſenteriâ* nerè pinguedo eſt interius in recto inteſtino, ut Ianii nos decipiunt. In *dyſenteriâ* *dejectionem cruentam*, vel *Vlcus inteſtinorum*. Ab initio enim neutrum adeſt, ſed adeſt, cum morbus ad ἀκμὴν pervenerit. Hoc ex propriâ experientiâ loquor. τενεσμὸς (ita ſcrib. fuerat) eſt *Dyſenteria* quędam. Ab hâc diligenter diſcernendæ ſunt αἱ αἱματηραὶ διαχωρήσεις. Ita ſcrib. eſt. Sunt enim plures, ut ex Gal. clarum eſt. πυώδης διαχώρησις non niſi poſt diuturnam dyſenteriam eſſe ſolet, μυξώδης fortaſſis principium dyſenteriæ eſt, cum ξύσματα Hipp. eunt.

LXXXVI.

Quod calculus fiat ex coagmentatis arenis, non omnes credunt. In omnibus nobis ſunt exhalationes terreæ, quæ in matulâ ſunt conſpicuæ: ſed non ſubitò fiunt inde calculi, ceu dixi. Sed neq; credo ego omnem veſicæ calculum originem ex renibus habere. Nepos enim meus, Joa. Caſp. Kern, jam quinquennis, intra ſeptendium hoc fati genere obiit, cum pater, Medicus & ipſe, nunquam tale quid obſervâſſet.

LXXXVII.

Valdè conſentio Fernelio, in ſtrangulatione uterinâ fieri omnia à flatibus ſeu vaporibus, neq; per rerum naturam oberrare poſſe uterum, neq; verò opus heic eſſe ullo veneno. A flatibus enim ſunt hiſtoriæ eæ ipſæ, quas Fern. commemorat. Liſe gamenta enim uteri, per ſe laxa, à vaporibus ita dilatantur, ut uterus videatur alieno loco eſſe. Conſentio etiam in illo, non requiri vel ſeminis vel ſanguinis corruptionem,

)()( )(

ptionem, cum eveniat etiam illis, quæ benè ſe habent, neq; de menſibus ulla querela eſt: Imò, quæ gravidæ ſunt, pariuntq;. Quin vidi virginem floridiſſ. ſpeculum infeciſſe, cum menſes haberet. Unde monitum capiant matres noſtrę, ne tenellos infantes quibusvis committant nutricibus, curatricibusvé, cum ab his ſæpè fiat, ut faſcino ſimilia ſe oſtendant ſymptomata, etiam mors ipſa, cujus rei memoriam in familiâ paternâ habeo.

LXXXVIII.

Quaſi frigidorum & malè calceatorum prōverbio dictorū nuſpiam eſſet copia: ita exſultant quidam contra ſexum muliebrem, cum ſoli illi ſterilitatis cauſas acceptas referunt. In eo verò etiam errant fœminarū patroni, quod teſtium, vaſorumq; ſpermaticorum eundem poſtulant in illis apparatum. Imò verò viſa fuit Patavii ante triennium, quę non ſemel pepererat, carere utrâq; arteriâ ſpermaticâ. Vidi ego Baſileæ veſicas χιροειδεῖς, quas Herophilus, Gal. teſtante, nunquam viderat. Quid ſi eundem etiam caloris gradum in illis requirant, quem idem Gal, tam diſertè negat? Quin viragines publico teſtimonio ſteriles ſunt!

LXXXIX.

Ex his ruit, quod mox dicet, ſemen fœminarum debere unà cum viri adeſſe, aut certè paulò pòſt, idq; cum ingenti voluptate effuſum. Exquirant id illi amplius, quorum id intereſt: ego verò perſiſto in ſententiâ, extremo lib. de Gen. hom. dictâ, non requiri ſemen illud.

XC.

Signa maris aut fœminæ conceptę fallunt. Nec plura dico.

XCI.

Ignoravit Fernelius diſcrimen inter Arthritida & Podagram, quod in toties laudatis χρ. παθολ. ex Hipp. propono, & commendo. Ignoravit idem genus utriusq; affectus, h. e. qualis ſit morbus? neq; enim vel dolor, vel tumor eſt, cum uterq; adeſſe poſſit, ſed diverſo tempore. Eſt morbus conformationis in viis laxis, ut omnes defluxiones. Ignoravit etiam terminum à quo, & vias, per quas ir materia. Neq; enim pituita eſt, ſub pericranio collecta, quę per ſumma corporis, & extra vaſa, delabatur ad articulos: ſed eſt in vaſis. Quod quibus, & quàm firmis rationibus demonſtret SCHERBIUS, qui ipſe podagricus hæreditarius erat, vide, ſis, l. c. Sed unde eſt initium fluxionis? Modò à cerebro, modò ab hepate, modò à corde, modò ab allis partibus.

XCII.

Elephantiaſis eſt morbus totius ſubſtantiæ, ut quidem Gal. explicat, non forma, ut quidam ex Fermelio, qui venenatum appellat, quia contagioſus. Vbi cum ingerat ſe diſputatio, An venenum in corpore humano gigni poſſit, quæritur, quid ſit ſentiendū? Ego alibi reſpondi, ſi propriè loqui velimus, non poteſt: ſi improprie, poteſt gignitalis humor, qui poteſtate ſit venenum. Eſt autem hoc venenum ſimile canum rabioſorum, quod hydrophobiam parit, ut comparant quidam. Hiſtorias curatorum elephanticorum eſu viperinæ carnis, vide in App. Poſt-cur.

XCIII.

Luem Veneream Fernelius quoq; ad venenatam qualitatem, adeoq; morbum formæ refert, cujus quatuor conſtituit gradus. A noſtris ſi quæras, cujus intemperiei ſymptomata prævaleant? Reſpondebit Maſs. in Praxi, Calidæ. Et hunc ſequebatur Scherbius.

Pathologiæ lib. VII. de morbis externis.

LEMMA XCIV.

A Fern. cupiam audire, quis veterum unquam ἀθροισμὸν pro morbo habuerit? τὸ ῥευματισμὸς definitionem miror! Cupio audire potius, quid ſit malum rheumaticum? Exemplo ſit juvenis colicus, qui, ex uſu medicamenti ſcammoniati, identidem colicâ laborabat, 12. Meth. 7. Reliqua nominum farrago ex Foëſio judicetur. Atq; hoc finio.

KSIĘGARNIA
ANTYKWARIAT
DOM KSIĄŻKI
D 350863